# CODEX DIPLOMATICUS

REGNI

# CROATIAE, DALMATIAE ET SLAVONIAE.

EDIDIT

ACADEMIA SCIENTIARUM ET ARTIUM SLAVORUM MERIDIONALIUM

AUXILIO REGIMINIS CROAT., DALM. ET SLAV.

COLLEGIT ET DIGESSIT

**T. SMIČIKLAS**

ACADEMIAE SOCIUS ORD.

—

## VOLUMEN VI.

DIPLOMATA ANNORUM 1272—1290. CONTINENS.

—

ZAGRABIAE.

EX OFFICINA SOCIETATIS TYPOGRAPHICAE.

1908.

# DIPLOMATIČKI ZBORNIK

KRALJEVINE

# HRVATSKE, DALMACIJE I SLAVONIJE.

IZDALA

JUGOSLAVENSKA AKADEMIJA ZNANOSTI I UMJETNOSTI

POTPOROM KR. HRV.-SLAV.-DALM. ZEM. VLADE.

SABRAO I UREDIO

**T. SMIČIKLAS**

PRAVI ČLAN AKADEMIJE.

---

SVEZAK VI.

LISTINE GODINA 1272—1290.

---

ZAGREB.

TISAK DIONIČKE TISKARE.

1908.

# PREDGOVOR.

I.

**Štampane zbirke upotrebljene u ovom VI. svesku.**

Bullettino di Archeologia e Storia Dalmata, Spalato 1878—1908. T. I.—XXX.

Ciccarelli Osservazioni sull' isola di Brazza e sopra quella nobilta. Venezia 1802.

Codex diplomaticus patrius hungaricus. (Hazai okmánytár). Studio et opera Emerici Nagy, Ivan. Nep. Paur, Caroli Ráth et Desiderii Véghely. Jaurini et Budapestini 1861—1891. T. I.—VIII.

Fabijanić Storia dei fratri minori dai primordi della loro istituzione in Dalmatia e Bosnia fino ai giorni nostri. Zara 1863—1864.

Farlati Illyricum sacrum Venetiis 1751—1819. Vol. I—VIII.

Fejér Codex diplomaticus Hungariae ecclesiasticus ac civilis. Budae 1829—1844. Prodromus, 11 tomi in 43 vol. et 2 indices.

Fermendžin Acta Bosnae potissimum ecclesiastica (Monumenta spectantia historiam Slavorum meridionalium. XXIII tom). Zagrabiae 1892.

Firnhaber Fried. Beiträge zur Geschichte Ungarns u »Archiv für österr. Gesch.« II. 1849.

Gerberti Codex epistolaris Rudolphi I. imperatoris Romanorum. Typis Sanblasianis 1772.

Гласник српског ученог друштва. Београд. Књига I—LXXIII.

Kandler Codice diplomatico Istriano. Trieste 1870—1871.

Katona Historia critica regum Hungariae. Pestini, Posonii, Cassoviae, Budae, Colocsae, Budae 1779—1817. Vol. I—XLII.

Kercselich De regnis Croatiae-Slavoniae notitiae praeliminares. Zagrabiae (1770.)

Kercselich Historiarum cathedralis ecclesiae Zagrabiensis partis I. tomus I. Zagrabiae 1770.

Knauz Monumenta ecclesiae Strigoniensis. Strigonii 1874. Vol. I—II.

Kollar Franc. Ad. Historiae diplomaticae patronatus Apostolicorum Hungariae regum libri III. 1762. 4⁰.

Koller Historia episcopatus Quinqueecclesiarum. Posonii 1782—1812. Vol. I—VII.

Kubinyi Codex diplomaticus. Arpadianus 1095—1301. Budapest 1867 do 1884. Vol. I—II.

Kukuljević Regesta documentorum regni Croatiae, Dalmatiae et Slavoniae Saec. XIII. Zagrabiae 1896.

Kukuljević Arkiv za povjestnicu jugoslavensku Zagreb 1850—1875. T. I—XII.

Kukuljević Jura regni Croatiae, Dalmatiae et Slavoniae. Zagreb 1861. T. I—III.

Laszowski Povjesni spomenici plemenite općine Turopolja nekoč »Zagrebačko polje« zvane. Zagreb 1904—1907. T. I—III.

Ljubić Listine o odnošajih južnoga Slavenstva i mletačke republike. (Ovo je u »Monumenta Slavorum Meridionalium«). T. I. i dalje. Zagreb 1868 i dalje.

Ljubić Libellus Polichorion qui Topicus vocatur u Starine XXIII. Zagreb 1890.

Lucius Memorie istoriche di Tragurio ora detto Traù. Venetia 1674.

Lucius De regno Dalmatiae et Croatiae libri sex. Amstelodami 1666.

Макушевъ Записки императорекои академій наукъ. Петерсбургъ. T. XIX.

Makuscev Monumenta historica Slavorum meridionalium vicinorumque populorum. Varšava 1874. P. I.

Miklosich Monumenta serbica spectantia historiam Serbiae, Bosniae, Ragusii. Viennae 1858.

Palacki Fr. Ueber Formelbücher. Prag 1842—1847.

Potthast Regesta pontificum Romanorum inde ab a. MCXCVIII. ad a. MCCCIV. Berolini 1874—1875. Vol. I—II.

Rad jugoslavenske akademije 1867. I. i dalje.

Raynaldi Annales ecclesiastici ab a. 1198. Lucae 1747—1756.

Ráth-Rómer Győri történelmi és régészeti füzetek. Budapest 1861 do 1865. T. I—IV.

Ripolli Bullarium ordinis ff. Praedicatorum Romae 1729—1740. T. I—VIII.

Sbaralea Bullarium Franciscanum Romae 1759—1768. Vol. I—IV.

Starine jugoslavenske akademije 1869 i dalje. Tom I. i dalje.

Thallóczy-Barabas Codex diplomaticus comitum de Blagay. Budapest. 1897.

Theiner Vetera monumenta Slavorum meridionalium historiam illustrantia. Romae 1863. Zagrabiae 1875. T. I—II.

Theiner Vetera monumenta historica Hungariam sacram illustrantia. Romae 1859—1860. Vol. I—II.

Tkalčić Monumenta historica lib. et reg. civitatis Zagrabiae, metropolis regni Croatiae 1889—1904. Vol. I—XI.

Tkalčić Monumenta historica episcopatus Zagrabiensis. Zagrabiae 1873—1874. T. I—II.

Vjesnik zemaljskoga arkiva u Zagrebu 1899—1908. T. I—IX.

Wenzel G. Monumenta Hungariae historica Acta extera I—III. Budapest 1874—1876.

Wenzel G. Codex diplomaticus Arpadianus continuatus I—XII. Pest 1860—1874.

## II.

Tečajem revizije opazio sam neke pogreške u regestima, koje su sve popravljene u latinskom Sumarium-u. Imade izdavača listina, koji na čelo regesta meću samo onda mjesto izdanja listina, ako je u listini mjesto naročito naznačeno. Tako na primjer u listinama kaptolskim ne dolazi naročito mjesto izdanja listine, jer se samo sobom razumjevalo, da je stolica ili sijelo kaptola ujedno mjesto, gdje se izdavala listina. Na listini imao se pritisnuti kaptolski pečat, a taj se iz sijela kaptolskoga nije mogao kojekuda odnositi. Imade i drugih tehničkih momenata, koji govore za to da su se kaptolske listine mogle pisati i izdavati samo u sijelu kaptola. Zato sam se ja odlučio, da mećem na čelo regesta i ime sijela kaptola, ako u listini i napose nikada ne dolazi. Imade kaptola, koji su se tečajem vremena preseljivali, što je veoma rijetko ali

ima. Tako je kaptol bosanski u ovom vijeku stalno preseljen u Djakovo. Ako i nije u listinama naznačeno naročito mjesto Djakovo, opet je sasvim opravdano, što metnusmo iza godine i datuma: »U Djakovu«. Utvrdjuju nas u tom naročito imena osoba, posjeda i mjesta, o kojima se radi u listinama, jer se nalaze u tako zvanoj dolnjoj Slavoniji. Sijelo kaptola srijemskoga sv. Ireneja do sada u 13. vijeku nigdje se ne spominje. Po listinama potonje dobe, čini se, da bi se moglo postaviti u Nijemcima (Nempthy).

Sijelo kaptola »Kewe« bilo je jednom u Banoštoru. Nije li bilo kadgod u Kamenici, što bi odgovaralo Kamenici (Kewe-u ili Kw)? O tom naše listine ne donose uvjerljivo svjedočanstvo.

Naći će se i u tekstovima pó koja tiskarska pogreška, koju će ipak moći dobrohotni čitalac sam ispraviti.

U Zagrebu dne 20. decembra 1908.

T. S.

## 1.

**1272, 15. augusta. U Trogiru.**

*Fr. Simon Dominikanac izabran za biskupa kninskoga traži potvrdu nadbiskupa spljetskoga.*

Anno 1272., indictione 15., die lunae, 15. mensis augusti. Frater Simon de Tragurio de ordine fratrum Praedicatorum electus in episcopum ecclesiae Tiniensis, fecit, constituit et ordinavit dominum Martinum canonicum sancti Laurentii suum procuratorem et nuncium specialem ad petendam confirmationem dictae electionis et ad confirmari faciendum ipsam electionem et ad augendum, se tuendum, excipiendum, replicandum, allegandum et appellandum, si necesse fuerit et generaliter ad faciendum et exercendum omnia, quae necesse fuerint in praedictis omnibus et quod ipsemet Simon electus personaliter facere et exercere posset, coram venerabili patre domino archiepiscopo Spalati et aliis quibuscunque personis, promittens dictus frater Simon electus . . . Actum Tragurii in capite scalarum palatii domini comitis, praesentibus domino Casoto primicerio sancti Laurentii et domino Martino de Casarizza et Nicolao Longo testibus et Mathaeo Lucae examinatore.

*Farlati Illyr. sacr. IV. 287. — Kukuljević Reg. Nr. 1076.*

## 2.

**1272, 22. augusta. U Spljetu.**

*Kača, udova Širić-eva daruje kćeri svojoj Boleslavi svoju polovicu kuće, da je ova hrani do smrti.*

In nomine domini nostri Jesu Christi amen. Anno a natiuitate eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo secundo, indictione quinta decima, Spaleti, die lune decima exeunte augusto, regnante domino nostro Stephano serenissimo rege Hungarie, temporibus domini Johannis vene-

rabilis archiepiscopi Spalatensis, domini Yuachini illustris bani Sclauonie comitis, domini Volce de Birberio egregie potestatis, ac dominorum Dobri Dusciçe, Vulcine Sreçe et Petri Slouinne iudicum. Domina Chaçça uxor quondam Sciricçi concessit, dedit ac tradidit iure proprio et in perpetuum pure et libere Bolleslaue filie sue totam medietatem suam de domo tota quam cum eadem Bolleslaua sua filia comunem habebat et indiuisam posita(!) in ciuitate Spaleti apud sanctum Johannem de Fonte iuxta domum Dragoslaue relicte Dragi Uulcine; ad habendum, tenendum, possidendum, uendendum, donandum et quicquid ex eo ipsi Bolleslaue eiusque heredibus deinceps in perpetuum placuerit faciendum cum introitu suo et exitu, suis rationibus, pertinenciis et circumstanciis cunctis omnibusque et singulis supra se, intra se et infra se habitis in integrum omnique iure et accione, usu seu requisitione sibi ex dicta medietate domus uel pro ea modo aliquo pertinente siue expectante. Quam uero donationem et concessionem de dicta medietate domus ipsi Bollislate (!) liberaliter factam memorata Chacça nullo iure, nullo statuto ciuitatis, nullo dolo, nullaque consuetudine uel ratione ualeat deinceps in perpetuum infringere nec aliquatenus reuocare: renuncians omni auxilio legum, decretorum et decretalium iuris, consuetudinum et statutorum ciuitatis Spaleti atque cuiuslibet alterius cause competenti et competiture(!). Et hoc, quoniam ipsa dicta Bollislava promisit et obligauit se dicte Chacçe sue matri eam donec uixerit tenere penes se, nec aliquatenus deserere, set in omnibus seruire et uictum atque uestitum cunctaque alia neccessaria, donec uixerit conuenienter administrare. Actum in hospicio mei notarii presentibus Cerne Yuani, Dobro Mathei U(er)bule testibus et aliis.

Ego[1] Grubessa Sreççe conscius examinaui.

Ego magister Franciscus Anconitanus imperiali auctoritate notarius et nunc autem notarius ciuitatis Spaleti, hiis omnibus interfui et a supradictis Chacça et Bollislaua rogatus earum uoluntate scripsi et roboraui.

*(Monogram not.)*

*Original u arkivu samostana sv. Marije u Zadru.*

---

[1] Manu propria.

## 3.

**1272—1290. 24. augusta.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski zapovijeda neka se ustanove medje zemlje u Subotištu (Zombothel).*

Ladislaus dei gracia rex Ungarie fidelibus suis capitulo Chasmensi salutem et graciam. Fidelitati vestre mandantes precipimus, quatenus comiti Bocond homine nostro detis testimonium idoneum, coram quo terram Zombothel vocatam, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis statuat comiti Ladizlao (et) seriem facti rescribatis. Datum in castro Budensi, in festo Bartolomei apostoli.

Excellentissimo domino suo L(adizlao) dei gracia regi Ungarie capitulum Chasmensis ecclesie indicacionem et oraciones pro eo ad dominum debitas et deuotas. Litteras vestre serenitatis debito, ut tenemur, cum honore recepimus, seriem huiusmodi continentes:

*(Slijedi gornja listina kralja Ladislava).*

Nos itaque vestre celsitudinis mandato occurrentes, ut tenemur, cum eodem homine vestro unum ex nobis ad faciem dicte terre direximus pro testimonio, qui demum ad nos rediens nobis dixit, quod idem homo vester eandem terram cum pertinenciis et utilitatibus suis dicto comiti Ladizlao statuit et assignauit nullo contradictore existente.

*Cod. dipl. patrius. VIII. 272—3. no. 220. — Po originalu u arkivu grofova Teleki u Gyömru. Na hrptu nalazi se trag pritisnuta pečata, kojom bijaše listina zatvorena.*

## 4.

**1272, 31. augusta. U Spljetu.**

*Radi se o obradnji iznajmljene zemlje.*

In nomine dei eterni amen. Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo secundo, indictione quinta decima, die ultimo augusti, regnante domino nostro Stephano serenissimo rege Ungarie, temporibus domini Johannis uenerabilis Spalatensis archiepiscopi domini Johannis preclari bani Sclauonie comitis, domini Vulcine egregii potestatis, Dobri Duscize, Vulcine Sircie, Petri Slo(uin)e iudicum. Domina Chatena abbatissa monasterii sancti Benedicti una cum suo conventu pre-

sente et conveniente dedit ac locauit quandam terram ipsius monasterii ad pastinandum Sciue Moiro . . . . . . . ad medietatem que terra est supra scalellas sub terra que fuit Miche Madii et iuxta terram Marini Musadi, quam terram ipse debet perpastinare per tres annos proximos uenientes et bene laborare secundum bonam consuetudinem Spalatensem dando fideliter et sine fraude predicto monasterio medietatem omnium fructuum qui in ipsa nascerentur et . . . . . . . usque domi ad suas expensas ducendo et si infra dictum terminum . . . . . . . non perpastinasset, totum pastinatum amittat. Actum ante ecclesiam sancti Domni in presencia Marzi Thodosii et Sergii canonicorum et aliis.

Ego Thomas Duscice conscius examinaui. Ego uero Domnus Lucas canonicus et iuratus notarius Spalatensis his interfui utriusque partis uoluntate rogatus, ut audiui, scripsi et roboraui.

*(Signum not.)*

*Original u arkivu samostana svete Marije u Zadru. Listina oštećena.*

## 5.

**1272. 31. augusta — 18. septembra.**

*Bilješka.*

1272 die ultimo augusti ab hic in antea voluntate consilii debet scribi regno Ungariae vacante (et infra). In nativitate domini nostri Jesu Christi amen. Anno eius a nativitate 1272. indictione 15., temporibus domini Ladislavi serenissimi regis Ungariae et domini Columbani episcopi Tragurii et nobilis viri domini Pauli potestatis et dominorum Valentini de Kasariza, Duymi de Cega et Dese Petri iudicum civitatis Traguriensis, die dominico, 13. exeunte septembris, venit dictus potestas, venerunt litterae dicti domini regis, quatenus erat coronatus rex.

*Lucius De regno Dalmatiae et Croatiae l. IV. c. 9. 179. — Notae Joannis Lucii u Starine XIII. 214.*

## 6.

**1272, 3. septembra. U Stolnom Biogradu.**

*Ladislav kralj piše Trogiranima, da budu pokorni njemu i banu Joakimu.*

Ladislaus dei gratia rex Hungariae fidelibus suis iudicibus consiliariis totique communitati de Tragurio salutem et gratiam. Vestra noscat

fidelitas, quod nos sumus regni nostri diademate insigniti et coronati, gratiam per divinam regesque et principes regnorum circumquaque adiacentium sunt nobiscum in bona pacis unione, quare vobis firmiter praecipientes mandamus, quatenus circa ea quae nos et Joachinum nostrum banum dilectum contingunt tali fidelitate procedatis, ut vos omni bono prosequamur, sciatis enim, quod quamvis simus ad praesens puerili in aetate, tamen domino propitio habemus potestatem nobis insurgentes potenter coercendi. Unde si aliquid infidelitatis in corda vestra ascendet, nec super aquis, nec in terris evadetis manus nostras, volumus igitur, quod maiores ex vobis veniant ad nos sicut ad dominum suum naturalem festinanter, ac sine timore et aliud facere non praesumant. Datum Albae in quindenis sancti Stephani regis.

*Lucius De regno Dalm. et Croatiae l. IV. c. IX. 179. — Fejér V. 2. 37. — Kukuljević Reg. 1077.*

## 7.

**1272, 18. septembra. U Spljetu.**

*Katarina opatica daje na četiri godine samostansku zemlju iz polovice.*

In nomine dei eterni amen. Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo secundo, indictione quinta decima die tercio decimo exeunte septembri, regnante domino nostro Vladislao illustrissimo rege Ungarie, temporibus domini Johannis venerabilis Spalatensis archiepiscopi, domini Joacimi preclari bani Sclauonie comitis, domini Vulcee egregie potestati, Dobre Duscizze, Vulcine Srezze, Petri Slowinne iudicum. Domina Chatena abbatissa monasterii sancti Benedicti cum suo conuentu presente et consenciente dedit ac locavit quandam suam terram ipsius silicet monasterii Deze Peruozz . . ad pastinandum per quatuor annos proximo venturos ad medietatem, quam terram ipse debet in his prescriptis annis perpastinare et bene laborare secundum bonam consuetudinem Spalatensem, dando fideliter medietatem de omnibus fructibus eidem monasterio aliam sibi reseruando et cum sua persona et comuni asino mustitum ad domum ducet monasterii nil pro persona percipiens, nisi comestionem pro salmerio soluet et si predicto termino eam in integrum non perpastinasset totum pastinatum perderet. Actum in platea sancti Laurencii in presencia et testimonio Sergii canonici diaconi clerici et plurium aliorum.

Ego Tomas Dusize conscius examinaui.

Ego nomine Domnus Lucas canonicus et iuratus comunitatis Spalatensis his interfui et utriusque partis uoluntate rogatus, ut audiui, scripsi et roboraui.

*(Signum notarii.)*

*Original u arkivu samostana svete Marije u Zadru.*

## 8.

**1272, 29. septembra. Na otoku sv. Marije (danas sv. Margarete).**

*Kraljica Elizabeta potvrdjuje Perčinu darovnicu svoga muža kralja Stjepana.*

Elisabet dei gracia regina Hungarie, universis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris, salutem in salutis largitore. [A]d universorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod Perchinus comes camere domini regis fidelis noster, ad nostram accedens presenciam, exhibuit nobis privilegium karissimi consortis nostri St(ephani) regis inclite recordacionis, confectum super terra castri de Riuche, que villicatus Machich nuncupatur, petens a nobis humiliter et devote, ut secundum formam ipsius privilegii nostrum dare privilegium dignaremur, cuius quidem tenor talis est:

*(Slijedi listina kralja Stjepana od god. 1270. (Vol. V. 572, br. 21. ovoga zbornika.)*

Nos igitur iustis peticionibus eiusdem comitis Perchini inclinate, quia comperimus privilegium ipsius karissimi consortis nostri iuste et legitime processisse, nec in aliqua sui parte viciatum, de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, duplicis sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum per manus venerabilis patris Philippi dei gracia episcopi Waciensis, aule nostre cancellarii, fidelis nostri, in insula Virginis gloriose, anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo secundo, in festo sancti Michaelis archangeli.

*Original u kr. ug. drž. arkivu u Budimu DI 1705. (Stara sign. N. R. A. fasc. 1532. no. 15.)*

*Na listini visi svilena vrvca žute boje: pečata više nema.*

*Na hrptu bilješka početka 14. vijeka: »Privilegium regine super possessione de Riuche regine senioris collata.*

*Cod. dipl. patrius. VIII. 147. no. 114.*

## 9.

**1272, 21. novembra.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski prima na znanje izražaj vjernosti Trogirana i obećaje im čuvati sva prava.*

Ladislaus fidelibus suis potestati et comuni de Tragurio salutem et gratiam plenam Significatis nobis per litteras vestras et Cosmam nuntium vestrum, quod debitam fidelitatem nobis perfecte servaretis et persistetis perpetuo in eadem, super qua vobis et vestris referimus multas gratias assicurantes et affidantes fidelitatem vestram per presentes, quod vos in vestris libertatibus et iuribus, quae a sanctis progenitoribus nostris tenuistis volumus per omnia observare. Datum in insula sanct . , . . . . II. feria post octavam sancti Martini.

*Lucius Memorie di Traù. 91. — Fejér Cod. dipl. Hung. VII. 4. 115 — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. IX. 371. — Kukuljević Reg. no. 1078.*

## 10.

**1272, 26. novembra.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski potvrdjuje darovnicu kralja Andrije I. (od g. 1210.) o imanju Lišnica redu templarskomu.*

[L]adislaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Serue, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque rex omnibus ad quos presens scriptum peruenerit salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod accedens ad nostram presenciam frater Wyllermus magister domorum milicie Templi per Vngariam et Sclauoniam exhibuit priuilegium incliti regis Andree clare memorie super donacione cuiusdam terre Lesnissa vocate, petens illud nostro priuilegio confirmari. Cuius verba hec sunt:

*(Slijedi listina kralja Andrije II. od god. 1210. Vol. III. br. 80 ovoga zbornika).*

Nos itaque ob deuocionem dicte domus milicie Templi iustis peticionibus pium et benignum prebentes assensum, dictum priuilegium regis Andree de uerbo ad uerbum insertum presentibus auctoritate presencium duximus confirmandum. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Nicolai Albensis ecclesie Tranussiluane (!)

prepositi aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno domini M° CC° septuagesimo secundo, indiccione quintadecima, sexto kalendas decembris, regni autem nostri anno primo Venerabilibus patribus Philippo Strigoniensi, eiusdem loci comite perpetuo, Stephano Colocensi et Johanne Spalatensi archiepiscopis, Lamperto Agriensi, Job Quinqueecclesiensi comite Musuniensi, Philippo Vaciensi aule domine regine karisime matris nostre cancellario, Paulo Vesprimiensi aule nostre cancellario, Benedicto Chenadiensi, Lodomerio Waradiensi, Tymotheo Zagrabiensi, Dyonisio Jauriensi et aliis episcopis ecclesias dei feliciter gubernantibus, Rolando palatino, Joachino bano tocius Sclauonie, Nicolao woyauoda Transsiluano comite de Zounuk, Ladizlao comite Posoniensi, Erney magistro tauarnicorum comite Worosdiensi, Alexandro iudice curie nostre, Emerico comite Simigiensi, [Pau]lo bano de Zevrino, Ponich comite Zaladiensi, Ormodeo comite Castri Ferrey, Reynoldo magistro dapiferorum, Laurencio magistro pincernarum comite de Kewe et de Crasu, Vgrino magistro agasonum, Michaele comite Vesprimiensi, Salomone comite Albensi, Michaele comite Nitriensi et aliis quam pluribus comitatus regni nostri tenentibus et honores.

*Original s odlomkom visećega dvostrukog pečata na crveno-zelenoj svilenoj vrvci u kr. drž. arkivu u Budimpešti M. O. D. L. no. 815.*

*Na hrptu suvremena bilješka. »Privilegium de terra Lysniche et de metis eiusdem terre. — Rukom 14. vijeka: »privilegium de Lenissa (!) — Rukom 15. vijeka: Privilegium de Lesnek et Rasa«.*

*Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 70—1.*

## 11.

**1272, 18. decembra.**

*Biskup krbavski Saracen svjedoči, da je zaredio Nikolu, izabranog biskupa kninskog, za svećenika.*

Nos Saracenus dei gratia episcopus Corbaviensis significamus universis presentium per tenorem, quod nos sabbato proximo post festum sancta Lucie, ex voluntate et mandato domini Johannis dei gratia archiepiscopi Spalatensis, in monasterio metropolitano, videlicet in ecclesia sancti Domnii Nicolaum electum Tyniensem non aliqua sibi contradictione obstante, vel aliquo sibi contrarium allegante, promovimus in sacrum ordinem sacerdotii Datum in Spalato in crastino diei prenotati, anno MCC. septuagesimo secundo.

*Original u arkivu kaptola u Spljetu a. 1272. Na listini nalazi se uzica od pergamena, pečat je otpao.*

*Farlati Illyricum sacrum IV. 287. — Kukuljević Reg no. 1080.*

## 12.

**1272, 26. decembra. U Spljetu.**

*Kaptol spljetski svjedoči, da je nadbiskup Ivan dao izabranomu biskupu kninskomu redom redove crkvene.*

Nos capitulum ecclesie Spalatensis notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis ueritatis testimonium perhibentes, quod defuncto bone memorie domino Ladizlao episcopo Tiniensi, capitulum et plures presbiteri et clerici ecclesie Tiniensis cum multis nobilibus viris eiusdem episcopatus solemniter ad sedem Spalatensis ecclesie accesseruio cum Nicolao eiusdem ecclesie archidiacono et suo electo et eleccionem de ipso factam venerabili patri domino Johanni Spalatensi archiepiscopo suo metropolitano presentauerunt in nostri presencia et plurium presbiterorum et religiosorum virorum suplicantes humiliter et deuote eidem domino archiepiscopo, ut ipsum confirmare dignaretur. Dominus uero archiepiscopus admissa ipsorum eleccione et auditis illorum precibus, habito tocius nostri capituli et plurium presbiterorum et religiosorum virorum consilio et diligenter ipsam eleccionem et personam electi examinantes et tam ipsam eleccionem, quam ipsius electi personam legitimam, iustam et approbatam inuenientes inuocata spiritus sancti gracia ipsum electum solempniter et canonice confirmauit ad peticionem etiam domini regis et bani Postmodum uero in sabbato quatuorum temporum mensis septimi ad ordinem diaconatus promouit et in alio sabbato quatuorum temporum decimi mensis cum sacerdotem ordinauit et die dominico natiuitatis domini nostri Jesu Christi ibi munus consecrationis in ecclesia beati Domnii in presencia totius populi assistentibus ibi venerabilibus patribus, scilicet Saraceno Corbauiensi episcopo et Dabrana Pharensi honorifice et cum omni diligencia est largitus. Datum Spaleti anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo secundo, die sexto exeunte decembri

*Original u arkivu kaptola u Spljetu a. 1272. (XVI. 2. 32.)*
*Na listu vidi se trag, gdje je o vrvci visio pečat.*
*Farlati Ill. sacr. IV. 288. — Kukuljević Reg. no. 1082.*

## 13.

**1272, 27. decembra. U Zagrebu.**

*Pred Matijom banom prodaju Pošel i drugovi zemlju Jarmanin županu Perčinu.*

Nos Matheus banus tocius Sclauonie tenore presencium significamus quibus expedit vniuersis, quod constitutis in nostra presencia Perchino comite ab una parte, Poscil filio Myrizlai, Wlk filio Wlkomerii, Wydomerio filio Tezlai, Cohan filio Petk et Dobrila filio Viduzlai a parte altera, idem Poscil et ceteri sui socii pro sua parte nominata confessi sunt, se uendidisse triginta et duas dimensiones, que wlgo vereten dicuntur, de terra Jarmanich existentis super fluuium Wolauch vocatum, iuxta metas populorum de Gradich eidem Perchino comiti et per eum suis heredibus heredumque successoribus iure perpetuo possidendas pro triginta duabus pensis denariorum Zagrabiensium, quas se dixerunt ab eodem plenarie recepisse; videlicet dictus Poscil de sua porcione ad numerum predictarum dimensionem uenditarum exposuit uendicioni sex dimensiones, Wlk sex, Vidomer totidem, Cohan septem et Dobrila totidem. Quas quidem dimensiones iidem uendiderunt in uno loco sine aliqua intercepcione, obligauerunt eciam se ad dandas litteras capituli Zagrabiensis super confirmacione dictarum dimensionum ipsi Perchino comiti, quandocunque fuerit oportunum. Astiterunt eciam commetanei et consanguinei uenditorum dictarum dimensionum, scilicet Martinus filius Martini, Georgius filius Pautin (!), Maradyk filius Waratizlai, Bogdanus filius Petri, Salk filius Izbizlai, Dedosa et Descinus filii Dedvani, Bratk filius Petk et Gudimer, qui uendicionem factam sine aliqua contradiccione uno consensu et assensu ratificantes admiserunt. In cuius rei testimonium presentes concessimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum Zagrabie quinta feria post festum Thome apostoli, anno domini M°CC°LXX secundo.

*Na hrptu istom rukom »Priuilegium Mathey bani super triginta duabus dimensionibus terrarum ex parte Poscil empticiarum pro triginta duabus pensis denariorum banalium.«*

*Original u kr. ug. drž. arkivu u Budimu: M. O. D. L. Nr. 816 (Stara Sign. N. R. A. fasc. 1532. no. 17.) — Na listini visi ob uzici crvene-zelene boje okrugli oštećeni banov pečat.*

*Fejér Cod. dipl. Hung. V. 1. 278. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. VIII. 398—9. — Kukuljević Reg no. 1083 po Wenzelu, 1089 po Fejéru.*

## 14.

**1272.**

*Ulomak razvoda medja medju opatijom topuskom i stanovnicima gorskim kod sv. Klementa.*

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

(abbate de Toplica similiter de consensu decani et conventus ac aliorum fratrum eiusdem abbatis, ne huiusmodi materia contencionis in recidive questionis scrupulum ulterius reduci valeat, pari, concordi et communi voluntate limites et terminos, qui propter antiquam et longevam vetustatem vix quasi discerni poterant, ne propter confusionem terminorum ulterius huiusmodi contencio protraheretur, ut premisimus, fecimus revocari, ymmo novas metas iuxta veteres ereximus, que tali ordine distinguntur. Prima igitur meta incipit ex parte occidentis in fluvio Petrina sub grangia Machim vocata, ubi de prope fluvium de Petrina sunt due mete terree, que erecte sunt iuxta quendam rivulum, qui cadit in Petrinam, eodem rivulo in parte sinistra remanente, de quibus directe transit ad pedem montis iuxta grangiam, ascendendo per medium montis eiusdem ad montem Gradech versus orientem, ubi sunt due mete terree, remanentibus terris nostris a sinistris, terris vero abbatis a dextris, ab inde ascendit supra medium eiusdem montis ad quandam antiquam metam, ubi sunt due mete terree, deinde vadit similiter ad unam antiquam metam, quam circumdant due mete terree, inde venit ad duo fossata versus meridiem, ubi sunt due mete terree, deinde descendit et venit ad vallem, per quam directe ascendit ad verticem montis ad quandam antiquam metam, ubi fuit arbor castenee, quam circumiacent due mete terree, inde venit ad duo fossata versus meridiem, ubi sunt due mete terree, de quibus transit et venit directe versus meridiem ad metam sancti Ladislai regis, quam circumdant due mete terree, ab hinc flectitur et tendit directe ad quatuor fossata que iacent iuxta viam versus orientem, ab inde venit et descendit prope viam ad ponikeu, ubi fluvius intrat terram, qui in wlgari sclavonico dicitur, ubi sunt due mete terree; inde venit supra versus orientem per sinistrum rivulum ad caput ipsius fontis ubi sunt mete terree, ab hinc ascendit et transit quandam viam et venit ad salices, que in wlgari nostro fyz dicuntur, ubi sunt due mete terree, de quibus directe descendendo versus orientem venit ad caput cuiusdam fontis, Mirorien vocati, ubi est arbor, que in wlgari nostro dicitur jorfa, de cuius fontis capite descendit in Chudin, ubi dividitur

terra nostra de terra abbatis de Toplica, terra nostra remanente ex parte sinistra, terra vero abbatis a parte dextra. Ceterum questio similiter suborta inter nos super terris libere ville nostre de sancto Clemente et abbate de Toplica taliter inter nos propter bonum pacis exstitit ordinatum et ut huiusmodi materia questionis omnino sopiretur et strepitus litigii ac contencionis, idem abbas pro bono pacis montem situm iuxta rivulum Woloule, considerata nostra iusticia et ecclesie nostre, de consensu decani conventus et fratrum suorum nobis et ecclesie nostre reliquit pacifice possidendum. Cuius montis termini tali ordine distinguntur: prima itaque meta incipit ex parte orientis iuxta viam publicam prope fluvium Petrina, ubi fluvius Woloule transit per viam in Petrinam, ubi iuxta rivulum hinc et inde sunt mete terree, deinde per cursum eiusdem rivuli ascendit supra, ubi concurrunt duo rivuli, ubi sunt due mete terree, remanente rivulo Woloule in ascendendo in parte dextra, ab inde per cursum eiusdem rivuli Woloule transit in latere montis ad caput ipsius rivuli Woloule, ubi sunt due mete terree, transeundo et ascendendo per vallem ad partem sinistram, ubi sunt due mete terree, deinde ascendit supra per vallem versus occidentem et de exitu ipsius vallis tendit ad duas arbores quercuum cruce signatas, ubi sunt due mete terree, deinde ascendit supra per vallem ad duas metas terreas, in medio quarum est vallis, ab inde venit ad duas arbores castanearum ad summitatem ipsius montis versus occidentem, ubi sunt due mete iuxta viam, inde venit ad calistam, ubi est arbor castanee, ubi sunt due mete terree, ubi dividitur terra nostra Hrastoycha a terra abbatis. In cuius rei memoriam presentes contulimus nostro sigillo consignatas. Datum apud sanctum Clementem in libera villa nostra, anno domini MCCLXX secundo.

*Privil. monaster. B. V. Mariae de Toplica no. LVI. — Tkalčić Mon. episc. Zagr. I. 165.—166. — Kukuljević Reg. no. 1091.*

## 15.

**1272. U Čazmi.**

*Pred kaptolom čazmanskim prodaje bratstvo Bučka zemlju u Otmi županu Jakovu.*

Nos capitulum Chasmensis ecclesie significamus omnibus presencium per tenorem, quod constitutis coram nobis ab vna parte Ve . . . . . . . Tyba filio Stephani pro se et pro cognatis suis et proximis, item

Mykaele filio Wlchek, Marcus filio Ceuetk et Jakus filio Wlcodrug pro se et cognatis suis et proximis; item Pau[lo] . . . . . . . sk Chornoglau filio Nykmer et Petro filio Endrei pro se et cognatis suis et proximis, de genere Buchcha, ab altera autem Jacobo comite filio Jacobi; iidem supradicti viri de genere Buchcha vnam particulam de terra eorum hereditariam, sufficientem ad quatuor aratra in Othna in metis infrascriptis, item dimidiam partem silue pertinentem ad terram Othna, equa dimensione de parte eiusdem terre sufficientis ad quatuor aratra, eidem comiti Jacobo et suis per eum heredibus heredumque successoribus pro triginta et duabus marcis coram nobis plene persolutis vendiderunt iure perpetuo possidendam. Ad cuius terre metas erigendas et requirendum consensum vicinorum et commetaneorum misimus hominem nostrum, qui ad nos tandem rediens dixit nobis, quod nullus extitit contradictor. Dixit eciam idem homo noster, quod comparuerunt personaliter super faciem ipsius terre Syrbuk, Irozlau filius Thome, Vyzlau filius Moytim, Peteu filius Petri, Gordola filius Jurka de cognatis et proximis venditorum, qui vendicioni et empcioni fauorabilem consensum prebuerunt. Item assumpsit idem comes Jacobus, quod secundum quantitatem terre empte cum predictis ve[nditoribus ad] descensum bani et ad descensum collectorum marturinarum, secundum nobilitatem eorundem venditorum, communiter cum hiisdem soluere teneatur. Mete autem, sicut idem homo noster dixit, hoc ordine distinguntur. Prima meta incipit a parte septemtrionali iuxta terram Syrbuk in via, iuxta quam est meta terrea; et per eandem viam ad partem orientalem tendens venit ad arborem gertean, iuxta quam est calista; inde ad metam terream, vbi est dumus gertean; inde declinans iterum ad partem meridionalem per viam venit a riuum Dobrolych, vbi est meta terrea, in qua est arbor ilhor et auellani, inde ad arborem piri; inde iuxta riuum ad viam, vbi sunt due mete terree ex utraque parte; deinde uenit ad arborem cerasi cruce signatam, inde ad metam terream et per fenile ad siluam, inde in riuulo tendens in magno spacio cadit in aquam Chasme et versus occidentem exiens de silua inter Kynnyk et Dobronech venit ad arborem piri cruce signatam et meta terrea circumfusam, vbi vicinatur terre venditorum, inde procedens ad partem septemtrionalem ad metam terream; inde ad viam vbi est meta terrea, deinde ad partem orientalem in magna via tendens venit ad dumum gumulchen, in quo est meta terrea; inde exiens de via ad partem septemtrionalem venit ad arborem has cruce signatam, [q]ue est sita iuxta aquam Lypouch et exit de eadem aqua ad metam terream, que est sita inter duas vias; inde per magnam viam ad partem septemtrionalem; inde ad metam terream; inde ad du[mum gumul]chen meta terrea circumfusum, deinde ad primam

metam et ibidem terminatur. Obligauerunt eciam se iidem venditores, quod si quis vel si qui pro ipsa terra aliquam fecerint questionem, uolentes requirere, ipsi propriis laboribus et expensis ipsam terram eidem comiti Jacobo iustificare teneantur et indempnem in hac parte conseruare. In cuius rei testimonium et robur presentes contulimus nostro sigillo communitas Datum anno domini M°CC° septuagesimo secundo.

*Na originalu pečat već otpao U pismari magj. narodnog muzeja. Mi ga ne nadjosmo.*

*Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. VIII. 405—7.*

## 16.

**1272. U Požegi.**

*Pred kaptolom požeškim izmiruju se neki članovi plemena Boriča bana.*

Universum capitulum ecclesie sancti Petri de Posoga omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in omnium saluatore. Quoniam labilis est humana memoria et rerum turbe non sufficit, ob hoc racio mater equitatis adinuenit, ut res geste litterarum debeant viuacitate perhennari. Hinc est, quod ad universorum noticiam volumus peruenire, quod constituti coram nobis nobiles viri de genere Borych bani, videlicet Marczel, Michael, Wysen et Wydus filii Benedicti ab vna parte et Beryzlaus filius Beryzlaui ex altera, viua voce et amicabili personaliter affirmarunt· Quod quamquam diu et multociens super diuisione ipsorum generali lites et contenciones in alterutrum coram domino rege et diuersis iudicibus regni fuissent ventilate, tandem probis viris et idoneis inter ipsos pacem et composicionem de voluntate parcium iam dictarum facientibus, scilicet Petri filii Otholyn, Johannis fratris eiusdem, Georgii filii Mutimerii, Nicolai filii Descysclow, Simonis filii Byrizlo, Pauli filii Boryho, Gregorii filii Zawda, Stephani filii Jacow, Syrgerardi comitis et Thome filii Comelij, vt discordia et lites de medio eorundem penitus tollerentur et sopirentur in hunc modum conuenissent, ut medietas silue inter aquam Moruzna vocatam et aquam Zawa existentis in solitis prouentibus, scilicet in pastu porcorum et omnibus vtilitatibus quas eadem silua consueuit pro tempore ministrare in duas partes debet sine diminucione bipartiri. Similiter eciam medietas ipsius aque Moruzna ab inicio eiusdem que Fok[1] vulgariter appellatur secundum cursum

[1] Zadnje slovo ove riječi zamrljeno tako, da nije sigurno sasvim da li k.

eiusdem aque in lausulis (!), que wlgo scege (!) nuncupantur, partibus communiter ministrabit. Ut autem premissa ordinacio inter nobiles prenotatos robur obtineat perpetue firmitatis, ad peticionem eorundem presentes litteras concessimus nostri sigilli impressione roborantes. Datum anno gracie millesimo ducentesimo septuagesimo secundo.

*Iz originalne potvrde kralja Matije od g. 1461. 14. marta u kr. ug. drž. arkivu u Budimu: M. O. D. L. no. 15.533. (Stara sig. N. R. A. fasc. 559. no. 7.)*

*Wenzel Codex diplom. Arpad cont. XII. 61—62.*

## 17.

**1272. U Čazmi.**

*Kaptol čazmanski oglašuje kako su neki gradjani Zdenaca prodali nešto svoje djedovske zemlje.*

Nos capitulum Chasmensis ecclesie significamus omnibus presencium per tenorem, quod constitutus coram nobis personaliter ab una parte Egydio et Myke filiis Moytun iobagionibus castri de Izdench pro se et pro Ambrosio et Norsa fratribus suis absentibus, ab altera autem Elya Saxone, idem filii Moytun, unam partem de terra eorum hereditaria in metis infrascriptis eidem Elye et suis per eum heredibus heredumque successoribus pro viginti et octo marcis coram nobis plene acceptis vendiderunt iure perpetuo possidendam. Cuius terre mete sicut dixit nobis homo noster quem miseramus super faciem ipsius terre pacifice et quiete erecte et signate coram Ambrosio et Norsa supradictis et coram aliis vicinis et commetaneis, hoc ordine distinguntur. Prima meta incipit a parte septemtrionali magna Supluncha ubi est arbor piri crucesignata, iuxta quam est meta terrea. Inde procedens iuxta silvam, venit ad dumum avellam meta terrea circumfusum. Inde per viam intrat ad silvam ad arborem tul crucesignatam et meta terrea circumfusam Inde procedens per eandem viam in eadem silva venit ad arborem byk crucesignatam et meta terrea circumfusam. Inde ad arborem gertean crucesignatam et meta terrea circumfusam, sitam iuxta rivum Cobila. Inde per eundem rivum Cobila exit ad arborem tul crucesignatam et meta terrea circumfusam. Inde ad arborem egeur crucesignatam et meta terrea circumfusam, que est iuxta fenile Inde per fenile eundo venit ad arborem keurus, crucesignatam et meta terrea circumfusam. Inde exit ad viam a parte orientali et venit ad arborem tul crucesignatam et

meta terrea circumfusam sitam iuxta eandem viam. Inde in eadem via in parvo spacio eundo exit ad arborem tul crucesignatam et meta terrea circumfusam, sub qua est fons. Inde descendit ad vallem ubi sunt frutices avellane, per eandem vallem cadit ad rivulum Sydin ubi est meta terrea sita iuxta eundem rivulum ibique vicinatur terre Nicolai et Mykaelis. Inde procedens per eundem rivulum venit ad molendinum. Ibique separat terra Nicolai et Mykaelis ubi vicinatur terre Syrbuk, de hinc procedens per magnum spacium venit ad dumum avellam meta terrea circumfusum situm a parte meridionali iuxta eundem rivulum. Inde per eundem rivulum procedens cadit (in) magnum Supluncha ubi est arbor tul crucesignata meta terrea circumfusa. Ibique separat terra Syrbuk et vicinatur terre Moys a parte occidentali de hinc procedens per magnum spacium venit ad priorem metam et ibidem terminatur. In cuius rei testimonium et robur presentes contulimus nostro sigillo communitas. Datum anno domini M° ducentesimo septuagesimo secundo.

*Po originalu u Vörösváru u arkivu grofova Erdödy-a. Sa pečatom na crvenoj i zelenoj svilenoj vrvci.*

*Cod. dipl. patrius VI. 185—6 no. 132. — Kukuljević Reg. no. 1092.*

## 18.

**1272. U Zadru.**

*Desača udova prodaje svoju zemlju u Blatima samostanu sv. Nikole u Zadru.*

[In Christi nomine Anno incarnationis eius] millesimo ducentesimo septuagesimo [secundo], mensis . . . . [di e penultimo, indictione quinta d ecima], Jadre. Tempo[ribus domini] Laurencii Theupuli incliti ducis Venecie et magistri Laurencii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac Johannis Polani egregii comitis. Manifestum facio ego Dessaça, relicta Petri Dinu . . . . . . . quia ob remedio anime mee et p . . . . . . . que transacto deo et monasterio [sancti Nicolai de] Jadra omnes terras meas positas ad Onacouam blatam, iuxta terras condam Petrogne de Lampredio et prope terras condam Martinuscii, quas quidem predictas terras . . . . et meo nomine habuit et tenuit bone memorie Stephanus de Piçiga ad terraticum; plures annos a modo in antea liceat predicto monasterio prefatas cum suis omnibus terminis et coherentiis terras libere habere perpetue possidere cum plena uirtute et potestate intromitendi,

habendi, tenendi, possidendi, dona(n)di, donandi(!), alienandi et totam suam uoluntatem exinde faciendi, nemine sibi contradicente in perpetuum. Pretium autem a domina abbatissa et suis sororibus placitum, conpletum ac diffinitum exinde recepi libram vnam denariorum venetorum concessorum Quas quidem prenominatas terras debeam et tenear ego suprascripta Desaça cum meis successoribus predicto monasterio sancti Nicolay discalumpniare et defensare ab omni homine et persona, ipsas calumpniantes super m[e et omnia mea bona habita et habenda] in hoc seculo. Actum est hoc [et firmatum coram his vocatis et rogatis] testibus, s[cilicet] . . . . . . .

*Original u gubern. arkivu u Zadru, odio samostana sv. Nikole br. 51. Vrlo je oštećen. Godina je odredjena po indikciji.*

## 19.

**1272. U Kninu.**

*Biskup krbavski Saracen svjedoči, da je nadbiskup spljetski zaredio Nikolu, izabranoga za biskupa kninskog.*

Nos Sarrachenus dei gratia episcopus Corbaviensis et Dobrona per eamdem episcopus Pharensis tenore presentium significamus universis, quod in festo natalis domini, vocante nos et precipiente nobis venerabili patre et domino Johanne dei gratia archiepiscopo Spalatensi metropolitano nostro in Spalatum accedentes interfuimus, ubi idem dominus archiepiscopus dominum Nicolaum legitime et canonice electum et confirmatum, solemniter et manifeste, nullo contradicente, vel aliquod in contrarium allegante, aliquid existente(!), per appositionem manuum nostrarum in ecclesia sua cathedrali, videlicet in monasterio beati Dompnii, iure canonico examinatione diligenti prelibata, in die natalis domini in episcopum Tiniensem consecravit. In cuius rei testimonium et evidentiam pleniorem presentes litteras nostras concessimus sigillorum nostrorum munimine roboratas. Datum ibidem anno ab incarnatione domini millesimo ducentesimo septuagesimo secundo.

*Original u arkivu kaptola u Spljetu. — Na listini vide se tragovi, gdje su o vrvcama visila dva pečata.*

*Farlati Illyr sacr. IV. 288. Ib. IV. 248. fragment. — Kukuljević Reg. no. 1081.*

## 20.

**1272. U Budimu.**

*Pred kaptolom budimskim poklanja Petar Zovnuk crkvi sv. Marije »de Insula« zemlje Zederkin u baranjskoj i Žamaria u vukovskoj županiji.*

Omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis capitulum Budensis ecclesie salutem in domino sempiternam. Ad universitatis vestre noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod cum ad peticionem viri nobilis Petri filii Petri filii Zonuk de genere Zounuk dilectos in X° concanonicos nostros Gregorium filium Sunk waiivode, Briccium sacerdotem, Bendeu decanum misissemus, iidem ad nos redeuntes retulerunt nobis, quod supradictus Petrus iacens in lecto egritudinis, sanum tamen et plenum habens intellectum, inter ceteras ordinaciones, quas in suo condidit testamento, quasdam terras suas, quarum una vocatur Zederkyn existens iuxta pontem Namiia cum ecclesia in honore sancte crucis ibidem hedificata in comitatu Barania et alia Zamaria vocata, existens prope aquas Drava in superiori ville Hagmas nominate in comitatu Walkow cum omnibus utilitatibus et pertinenciis earundem terrarum, videlicet piscinis, stagnis et aquis Drava legavit et donavit ecclesie sancte Marie de insula pro remedio anime sue perhenniter possidendas. Insuper servos suos Pentiik Jacobum et Blasium, nec non Margaretam ancillam suam intuitu eternorum perpetua libertate investivit, concedens eisdem liberam et inreprehensibilem facultatem, ubicunque locorum voluerint commorandi. In cuius rei memoriam predicto Petro instanter petente litteras presentes super ipsa donacione terrarum et libertate dictorum servorum ac ancille concessimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Ambrosii scholastici Budensis, anno domini MCCLXX secundo, Nicolao cantore, Petro custode, Elia decano, Scela sacerdote, Damiano et Petro magistris, ceterisque canonicis existentibus.

*Koller Hist. episcop. quinqueeccl. II. 208—209.*

## 21.

**1273, 15. januara. U Zagrebu.**

*Pred kaptolom zagrebačkim kupuju Babonići neke svomu posjedu susjedne zemlje.*

[C]apitulum Zagrabiensis ecclesie universis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in domino. Universitati vestre tenore presentium declaramus, quod constitutis coram nobis ab una parte Dobroteh filio Dobrozlou, Godedrag filio Radozlai, Bratylk filio Golob, Boryzlou filio Wlk, Radoan filio Dragozlo de Harapauch pro se et pro generatione eorum tota et ab altera Zlobask filio Gordos pro comite Stephano filio Stephani, iidem Dobroteh, Godedrag, Braty(l)k, Boryzlaus et Rodoan quandam particulam de terra eorum hereditaria, Harapauch vocata, terre Radyzlai fratris dicti comitis Stephani immediate adiacentem, ut dixerunt, metis separatam infrascriptis confessi sunt se et generationem eorum vendidisse predicto comiti Stephano et per eum suis heredibus iure perpetuo possidendam pro septuaginta pensis denariorum banalium, quorum singule quinque pense marcam tunc temporis faciebant, quas se dixerunt ab eodem plenarie recepisse. Mete vero dictam particulam separantes, sicut partes nobis retulerunt, hoc ordine distinguntur: incipit prima meta ab oriente in angulo vinee venditorum in arbore nyr iuxta terram predicti Radozlai fratris comitis Stephani, inde vadit iuxta eandem vineam inferius ad occidentem ad duas arbores cher, hinc vadit sub eadem vinea ad unum rivum, in quo rivo descendit ad quandam arborem cerasi, de hinc ad foveam, ubi ille rivus intrat sub terram, demum ascendit super monticulum, ubi sunt due arbores cher, inde in eodem monticulo vadit ad arborem tul, ab hinc ad parvam arborem cher meta terrea circumfusam, hinc ad duas arbores tul, inde ad caput putei, in quo intrat fluvium Corona et in aqua Corona vadit versus meridiem supra et pervenit ad metas terre predicti Radyzlai, ubi est arbor has, terra venditorum a septemtrione remanente. In cuius rei testimonium presentes ad instantiam partium concessimus nostro sigillo communitas. Datum tertia feria post octavas Epiphanie domini, anno eiusdem M. CC. septuagesimo tertio

*Thallóczy-Barabas Cod. Blag. 23—24. no. 12. — Kukuljević Reg. 1093*

*

## 22.

**1273, 4. februara. U Dubrovniku.**

*Daje se zemljа u Šipnju na trećinu.*

✝ Anno incarnationis domini millesimo septuagesimo tercio, mensis februarii, quarto die intrante, coram uobis subscriptis testibus. Nos quidem clericus Thomas filius Cernelii de Thomaza abbas et hereditarius ecclesie sancti Michaelis de Lacromono et clericus Barbius filius Theodori Dabranize, socius dicti clerici Thome et hereditarius predicte ecclesie, confitemur, quomodo (terram[1]) dicte ecclesie, que est in Jupana ad Strahotinum et incipiendo de aqua Strahotini uersus boream uadit usque ad puntam, dedimus ad pastinandum Radobratto de Draza(uiza) et Radoie de Mercota et Radomillo de Petrichna atque Dese de Dragouano tali pacto, quod de dicta terra hinc usque ad duodecim annos pastinent, omni anno terciam de sol(vendo). Et inde in antea pastinent de dicta terra, sicut poterunt, et de toto illo quod pastinauerint de omnibus fructibus inde per . . p . . s habeant sibi quinque partes et sextam partem dictorum fructuum dent dicto clerico Barbio in vita sua et post mortem dicti clerici Barbii dictam sextam partam omnium dictorum fructuum dabunt illis, qui pro dicta ecclesia fuerint. Et quod dictus clericus Barbius nichil refundat vindemiatoribus, nisi ut absoluere tollat in vinea dictam sextam suam partem, similiter et qui post ipsum fuerint tollant absolute sextam partem predictam . . . Et insuper dicti Radobrattus, Radoie et Radomillus atque Desa dabunt omni anno duo quinga de vino de toto comuni dicte ecclesie pro incenso. Et totum quod pastinauerint teneantur laborare secundum usum Ragusii et teneant dictum locum de herede in heredem, donec durauerint uites. Nos autem predicti Radobratus, Radoie, Radomillus et Desa in omnibus hiis consentimus. De hoc autem pacto sunt plures carte similes. Hec autem carta nullo testimonio rumpi possit. Hii sunt testes: Michael Tunii iuratus iudex et ego presbyter Petrus et comunis notarius iuratus scriptor sum et testis.

*(Signum notarii.)*

*Original u dubrovačkom arkivu. Zbirka saec. XIII.*

---

[1] Ili vineam.

## 23.

**1273, 1. marta.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski potvrdjuje Simonu sinu Salomonovu darovnicu svoga djeda Bele i oca Stjepana na posjed Prodavić (Virje).*

Ladizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentes literas inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod Symun filius Salomonis de genere Drugcha ad nostram accedens presenciam exhibuit nobis priuilegium karissimi patris nostri Stephani regis inclite recordacionis concessum super confirmacione priuilegii domini Bele aui nostri clare memorie continentis collacionem cuiusdam terre Predeuech uocate in comitatu Symigiensi in Cheznice existentis, petendo cum instancia, ut ipsum priuilegium acceptare et nostro dignaremur priuilegio confirmare. Cuius tenor talis est:

*(Gl. listinu kralja Stjepana od 27. maja 1270. Vol. V. 545, br. 4. ovoga zbornika).*

Nos igitur priuilegium ipsius karissimi patris nostri super huiusmodi confirmacione priuilegii domini aui nostri confectum, non abrasum, non cancellatum, non interlectum (!), nec aliqua sui parte uiciatum, uel in sigillo aliqualiter redargutum, ratum habentes et acceptum et de uerbo ad uerbum presentibus insertum auctoritate presencium duximus confirmandum, dupplicis sigilli nostri munimine roborando. Datum per manus magistri Benedicti prepositi ecclesie Orodiensis, aule nostre viceecancellarii dilecti et fidelis nostri anno domini MCCLXX tercio, in kal. marcii, indiccione prima, regni autem nostri anno primo Venerabilibus patribus Nycolao electo sancte Strigoniensis ecclesie perpetuoque comite loci eiusdem aule nostre cancellario, Stephano Colocensi et Johanne Spalatensi archiepiscopis, Lamperto Agriensi, Job Quinqueecclesiensi comite Musuniensi, Philippo Vaciensi aule domine regine karissime matris nostre cancellario comite Neugradiensi, Briccio Chanadiensi, Paulo Vesprimiensi, Tymotheo Zagrabiensi, Lodomerio Varadiensi, Dyonisio Jauriensi et Petro Transsiluano episcopis ecclesias dei feliciter gubernantibus. Rolando palatino bano de Machou et iudice Cumanorum, Matheo bano totius Sclauonie, Nycolao voyuoda Transsiluano comite de Zounuk, Joachino magistro tauarnicorum nostrorum comite de Pliis, Alexandro iudice curie nostre comite de Vrbaz, Laurencio comite Supruniensi, Henrico

bano de Vozora et de Sou, Stephano bano de Bozna, Gregorio bano de Boronch et de Kuchou, Emerico comite Symigiensi, Johanne comite Zaladiensi, Omodeo comite Castri Ferrei, Vgrino magistro agasonum nostrorum comite Syrmiensi, Paulo bano de Zeurino, Renoldo magistro dapiferorum nostrorum comite Zolgageuriensi, Laurencio magistro pincernarum nostrorum comite de Kewe et de Crasou, Salomone comite Albensi, Mychaele comite Nytriensi et aliis quam pluribus comitatus regni tenentibus et honores.

*Original, pečata nema. — Ráth és Romer: Györi tört. fuz. Vol. II. 299—302.*

## 24.

**1273, 11. marta. U Cittavecchii.**

*Grgur X. papa biskupu pečujskomu i zagrebačkomu neka istražuju o popravku ćudoredja i donesu pred koncil.*

Gregorius episcopus servus servorum dei venerabili fratri (Job) episcopo Quinqueecclesiensi salutem et apostolicam benedictionem. Dudum super generalis convocatione concilii universos orbis principes et prelatos nostras sub certa forma litteras destinantes, quia inter alia de quibus in ipso concilio est agendum, specialiter circa reformationem morum, qui, peccatis exigentibus, in clero et populo videntur graviter deformati, nostra versatur intentio, inter cetera prelatis ipsis mandavimus per easdem, ut usque ad tempus pro concilio ipso congregando prefixum per se, aut alios viros prudentes et deum timentes, omnia que correctionis et reformationis limam exposcunt, subtiliter inquirerent et in scriptis redacta fideliter deferrent in ipsius concilii notionem. Et nichilominus in eisdem prediximus litteris, nos sollers studium et efficacem daturos operam aliis modis et viis, ut eadem in examen ipsius concilii devenirent, per ipsum correctionem et directionem accommodam reciperent. Volentes itaque premissa, prout magni nobis desiderii dictat anxietas, cum omni diligentia effectum sollicite prosecutionis impleri, ad hoc tuum ministerium ex multa confidentia duximus eligendum, discretioni tue per apostolica scripta mandantes, quatenus ea, que in regno Ungarie, prout facultas aderit, sive in clero cuiuscumque religionis aut status, sive in reliquo populo christiano utriusque sexus, sive infidelibus cuiusvis secte vel ritus conversantibus inter eos, quatenus per illos christiana religio infici potest, seu quomodolibet fermentari, correctionis re-

medio indigere videntur, per te ac alios viros ad hoc ydoneos, non quidem per testes iuratos, seu alias ordinaria inquisitione, sed alia investigatione, que per familiares collationes et alios diversos indagandi modos cum religiosis et aliis execrantibus maxime vitia, colentibusque virtutes adhibere poterit, diligentius exquirens ea singillatim, distincte ac aperte conscripta, necnon et consilia de remediis adhibendis ad correctionem et reformationem illorum, sub sigillo tuo per alios fideles nuntios ad presentiam nostram mittas, in missione huiusmodo dictum tempus ipsius preveniendo concilii per sex menses, ut interim haberi possit competens discussio et plena deliberatio, ad oportuna inquirenda, ut decet, antidota circa illa per approbationem eiusdem concilii adhibenda. Volumus autem omni te cautela et diligentia providere, ut ad investigationem taliter predictorum procedatur, quod nulli per hoc irrogari possit infamia, nec adversus aliquem proinde scandalum suscitari. Datum apud Urbem veterem v. idus martii, pontificatus nostri anno primo.

*In eodem modo episcopo Zagrabiensi.*

*Theiner Mon. Hung. I. 294. — Fejér Cod. dipl. V. 2, 66—67. — Potthast Reg. pontif. no. 20 685 — Kukuljević Reg. no 1096.*

## 25.

**1273, 31. marta. U Veneciji.**

*Notarska isprava o imenovanju Andrije Causona za nadbiskupa dubrovačkoga.*

In dei nomine amen. Anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo tertio, indictione prima, die veneris ultimo exeunte marcio, presente domino Simeone Mauro plebano sancti Barnabe uicario ecclesie castellane, domino Marco archipresbytero dicte ecclesie castellane plebano ecclesie sancti Gemmiani, domino Stefano Bechario plebano sancti Samuelis, Leonardo Falletro plebano sancti Angeli et presbytero Petro de sancto Luca de Venetia testibus ad hoc uocatis et rogatis et aliis. Presbyter Antonius de Galeppa cancelarius ecclesie Ragusine presentauit et dedit domino Andree Causoni de Venetia canonico Paduano et electo eiusdem ecclesie Ragusine litteras sanctissimi patris domini G(regorii) pape decimi, eius bulla pendenti bullatas, non uitiatas non cancelatas, nec in aliqua parte sui abolitas, quarum tenor talis est. G(regorius) episcopus seruus seruorum dei dilecto filio A(ndree) Causono de Venetia canonico Paduano salutem et apostolicam benedictionem Inter sollicitu-

dines alias que nobis ex inite seruitutis incumbunt officio, illa precipue sollicitat mentem nostram, ut circa ecclesias solertiam adhibentes ipsarum utilitatibus intendamus in eo maxime, ne uiduate longe uacationis dispendia patiantur. Sane significantibus nobis dilectis filiis capitulo Ragusino ad nostrum peruenit auditum, quod ecclesia episcopatus Ragusiensis, solertio destituta, ipsi conuenientes in unum, uocatis omnibus qui uoluerunt debuerunt et potuerunt comode interesse, te in eorum archiepiscopum concorditer elegerunt, tibi prout decuit decretum electionis huiusmodi presentantes, tu autem electioni huiusmodi nec consensisse diceris nec etiam dissensisse. Quia uero uolumus quod de cetero eandem ecclesiam detineas uiduatam, ne ipsius utilitas per pastoris defectum ualeat deperire aut illius gregem insidiator inuadat, discretioni tue presentium auctoritate mandamus, quatenus infra unius mensis spatium post receptionem presentium electioni predicte consentias, si uolueris, uel absoluas predictam ecclesiam per dissensum, quod si consentire decreueris, ut de ipsius electionis modo, eligentium studiis et partis . . . . tue meritis possimus inquirere plenam ueritatem, compareas infra alium mensem immediate sequentem personaliter coram nobis. Si uero dissenseris et etiam si consenseris et infra ipsum mensem coram nobis comparere neglexeris, quod circa te super premissis factum est, eo ipso cures[1], uolumus nam habere. Nos enim eidem ecclesie dante domino prout expediens fuerit de pastore idoneo curabimus prouideri. Datum apud Urbem Ueterem quinto kalendas septembris, pontificatus nostri anno primo. Quas litteras dictus dominus Andreas reuerenter recepit et respondit, quod paratus est exequi mandatum dicti domini pape et quod uult super hoc mittere nuntium suum ad pedes sanctitatis ipsius domini pape et de hoc dicti dominus Andreas et presbyter Antonius rogauerunt me notarium scribere tria instrumenta consonantia, uidelicet unum pro ipso domino Andrea et duo predicto presbytero Antonio, quorum dictus presbyter Antonius unum uult mittere apud Ragusium et alıud apud se retinere. Actum est hoc Venetie in canonica sancti Marcii.

*(Signum not.)*

Ego Marchisius Egizi sacri palatii publicus notarius his omnibus interfui et rogatus scripsi.

*Original u dubrovačkom arkivu. Zbirka saec. XIII.*

---

[1] Pisar napisao: i u r e s. jamačno pogrešno mjesto: c u r e s.

## 26.

**1273, 19. aprila. U Zagrebu.**

*Ban Matej proglašuje odredbe sabora hrvatskoga.*

Nos Matheus banus tocius Sclauonie significamus omnibus presencium per tenorem, quod in congre[gacione] regni tocius Sclauonie generali nobiles et iobagiones castrorum hec iura regni et banatus infrascripta redacta in scriptis nobis exhibuerunt petentes, quod ea in iudiciis exercendis et banatus iuribus ex . . . . . . . ns seruare [et] f[acer]emus per nostros iudices obseruari. Nos itaque utpote qui de bonis regni et vtilitatibus gratulamur ipsorum peticionem iustam, eo quod premissa iura veris et legitimis racionibus fundabantur, admisimus debito cum effectu. Primum s[iq]uidem actor pristaldum suum consanguineum vel cognatum aut seruientem vel suum parochialem sacerdotem pro testimonio recipere nullus possit, ad hec si citacio fiat, in presenciam nostram quindena dici citacionis, si vero in presenciam nostrorum iudicum, octaua debet pro termi[no assi]gnari et actor in primo citacionis edicto in litteris iudicis suam exprimet accionem, ne locus fraudibus reseruetur. Et si conuentus in primo non comparuerit termino, quadraginta denariorum iudicio subiacebit pro ceterorum vero obmissionibus terminorum consueta iudicia [re]gni solue[ntur] (!). Item citatus in causa possessionis, furti, violencie, homicidii aut infidelitatis, si personaliter vel per hominem suum comparuerit, responsio peremptoria sine iudicii grauamine vsque ad septimum terminum debeat prorogari et in recepcione cuiuslibet termini quindecim dierum inducie obseruentur, uel pro septem edictis que legitime recipi possent vnus terminus peremptorius assignetur. Et si quis in premissis casibus in septimo termino non comparuerit, iudex in octauo termino publicare faceret proclamari, quod reus iuri parere debeat, quare in prioribus terminis non comparuerit ostensurus iustam et legitimam racionem, qui si eciam tunc se absentauerit, actor mittetur causa rei seruande in possessionem contumacis pro modo debiti uel maleficii in litteris iudicis declarati. Preterea si quis pristaldo contradixerit uel maculam obiecerit falsitatis, si ipsum legitime conuincere non poterit, soluet pro iudicio marcam vnam. Item si quis pristaldum verberauerit vel hominem capituli datum pro testimonio, conuictus tamen legitime pene decem marcarum subiacebit. Si quis autem in figura iudicii litteris capituli uicium opposuerit falsitatis et non conuicerit, regni legitimis documentis decem

marcarum penam soluet. Ceterum cum quis in causa pecuniaria condempnatus iudici uel aduersario suo vsque ad secondum(!) terminum satisfacere non curauerit et tercio termino vnus de iudicibus per regnum constitutis ibit cum homine comitis Zagrabiensis uel Crisiensis, adhibito testimonio capituli Zagrabiensis uel Chasmensis et de bonis seu rebus contumacis iuxta condignam estimacionem iustum exiget iudicatum, in peculio autem petito magne quantitatis iudices inspecta qualitate personarum secondum(!) suam discrecionem moderabuntur, terminos pro solucionibus faciendis. Item si quis alteri crimen obiecerit lese maiestatis uel dixerit, quod falsam incudi faciat monetam, si conuincere non poterit, penam pati debeat talionis. Statutum fuit eciam, si quis contra alterum in iudicio proposuerit, quod in regno uitam ducat publice violentam et non conuicerit, secundum iuris processum soluet dimidii homicidii iudicium, pensas scilicet sexaginta; si vero actor proposuerit contra reum, quod ipse rerum suarum fur extiterit siue latro et legitime non conuicerit, iudicia duo soluet. Si quis autem in iudicio constitutus aduersarium suum in presencia iudicis vituperauerit, iudicium lingue soluet, scilicet viginti quinque pensas, in minoribus autem causis conuictus solo iudicio aggrauatur. Item si cui obiectum fuerit in iudicio, quod super domum alterius manu venerit uiolenta et non conuicerit, iusticia mediante iudicium duplex soluet; adiectum fuit eciam premissis, quod in quolibet genere accionis adiudicato ad duellum siue sacramentum, si partes composicionem fecerint, iudex vltra formam composicionis habite plus petere non valebit. Item in omni causa siue actor reo deferat siue reus actori referat sacramentum, iudex inter ipsos duellum non possit iudicare, sed per sacramentum causa debeat terminari, nisi partes examen duelli assumpserint spontanea voluntate. Extitit eciam ordinatum, quod in causa homicidii uel furti, si quis per sacramentum adiudicatum se purgabit, soluet purgacionis denarios quadraginta et eciam in causis vinearum ac molendinorum si adiudicatum fuerit sacramentum, idem debet iudicium obseruari. Item in causa pecuniaria reus conuictus nullatenus debet captiuari, nisi pecunia uel possessione carere inuentus fuerit manifeste. In accione eciam furti siue violencie uel cuiuslibet maleficii homo possessionatus siue caucione fideiussoria iudicetur, Item alter pro alterius delicto sicut pater pro filio emancipato uel e conuerso autem frater pro fratre diuisio[nis] titulo separato non debeat condampnari, nisi fuerint conscii uel participes criminis perpetrati, sed quisque in bonis propriis et porcionibus iuxta suum meritum aggrauetur. Item porcio hereditaria sine herede decedentis generacioni sue debeat remanere. Nec pretermittimus, quod si terra alicuius reambulatur, iudex ad fructus et vtilitates eius non debet mittere manus suas, donec causa inter partes fuerit fine debito terminata. Item

cum hostilis incursus uel [e]xercitus uenerit super regnum aut dominus rex processerit in expedicionem personaliter, tunc nobiles regni de Sclauonia singuli et vniuersi ire in exercitum tenebuntur, ita tamen, quod iidem cum baronibus quibus voluerint exercituandi habebunt liberam facultatem. Item super debitores zulusinarum uel procuracionum aut descensuum exhibita satisfaccione banus descensum facere non debet nec iusta causa regni et legitima imminente et nobiles ac iobagiones castrorum de descensibus bani debent usque octauas sancti Martini modis omnibus expediri. Item si quis in soluendo marturinas, collectam septem denariorum, iudicia exercitualia, uel aliam collectam, quam in regno fieri continget, seu iudicia in quibus est conuictus, contumax extiterit et rebelis, comes Zagrabiensis uel Crisiensis cum vno de coiudicibus sibi deputatis ad exigendum procedet assumpto secum testimonio capituli Zagrabiensis uel Chasmensis pro eo, ne plus iusto debito exigatur et in processu suo super aliquem nobilem uel iobagionem castri descensum facere non debebit, sed expensas quas fecerit in eundo de bonis eciam recipiet contumacis. Nec volumus sub silencio preterire, quod nobiles in Zagoria et aliis comitatibus consimilibus existentes comiti parochiali descensum dare non tenentur nec eius astare iudicio, sed banus eos iudicabit pro tempore constitutus. Sane collectores eciam marturinarum non cum pluribus procedere debeant, nisi cum duodecim hominibus habentes quatuordecim equos et non plures, quibus quidem de qualibet generacione pro uictualibus administrari debeat ouis vna, sex galline, anser vnus, quatuor cubuli de vino cum cubulo trium palmarum, duodecim cubuli de pabulo cum cubulo quatuor palmarum et non vltra, prout felicis recordacionis domini nostri illustris regis Bele in priuilegio continetur. Collectores autem septem denariorum uel iudiciorum exercitus dimidietatem habebunt descensus memorati, dictique collectores marturinarum in curiis nobilium uel iobagionum castri domos aliquas aut domum villici uel preconis molendina et stubas dicare non debeant ullo modo; villico eciam domus una et curia sua pro recipiendis hospitibus libere relinquatur et talis debet habere villicum et preconem, qui decem iobagiones possidet et non infra. Item aliqui commorantes super terris nobilium uel iobagionum castri dicari non debent, sed iobagiones eorum si quos habent. Et quod omnia premissa debito ordine obseruentur, cum comite Zagrabiensi quatuor nobiles et duo iobagiones castri et totidem cum comite Crisiensi quos regnum eligendos duxerit iudicabunt, qui si omnes interesse non possent, tres uel duo iuxta comitem sufficiant ad iudicium faciendum. Vt autem hec statuta suprascripta s[eu] constituciones robor (!) perpetue obtineant firmitatis, presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum Zagrabie quarta feria proxima post

octauas pasce, anno ab incarnacione domini M. CC. septuagesimo tercio.

*Iz izvornog prijepisa čazmanskoga kaptola od god. 1350. 17. oktobra na pergameni u kr. zem. arkivu u Zagrebu: Privilegia no. 3.*

*Kercselich Notitiae praeliminares 201—202. — Fejér Codex V I. 87—92 Kukuljević Jura Regni II. 3—5. — Kukuljević Reg. no. 1098*

## 27.

**1273, 20. aprila. U Zagrebu.**

*Matija ban vraća Zagrepčanima zemlju Dediće i vinograde pod Medvedgradom.*

Nos Matheus banus tocius Sclauonie memorie commendantes significamus quibus expedit universis, quod cum nos terram Dydichi vocatam, emticiam, et vineas cultas super terram castri Medwed detineri et prohiberi fecissemus et alienare voluissemus a civibus Grecensibus; tandem super facto terre et vinearum per nos inpeditarum, iidem cives exhibuerunt privilegia et municiones suarum litterarum, quibus inspectis, nobis patuit evidenter, quod in ius et proprietatem manus nostras et potenciam extendissemus civium predictorum. Nos itaque cognita iusticia et iure civium prefatorum, eisdem in suis iuribus deesse nolentes, dictam terram et omnes vineas cultas seu sitas quoquomodo titulo dicti cives possederunt super terram castri, eisdem dimisimus et reliquimus pacifice peremniter possidere ista prerogativa libertatis, quod nec per nos, nec per nostros officiales vel castellanos pro tempore constitutos vel per iobagiones castri . . . . ipsos super vineis emticiis vel cultis super terram castri (positis) liceat (perturbari aut) aliqualiter inquietari . . . . Datum Zagrabiae quinta feria post octavas Pasce domini, anno eiusdem MCCLXX tercio.

*Original ponešto oštećen u arkivu jugoslavenske akademije u Zagrebu.*

*Tkalčić Monum. civ. Zagreb. I 49—50, no. 56. — Wenzel Cod. Arpad. XII. 85—86 — Kukuljević Arkiv za jugosl III. 81. — Kukuljević Reg. no. 1097.*

## 28.

**1273, 29. aprila. U Komoru.**

*Matija ban javlja županu križevačkomu, neka po zapovijedi kraljevoj ustanovi granice posjeda Mirku kraljevu službeniku.*

M[atheus] banus tocius Sclavonie, dilecto et fideli suo J . . . . . comiti Crisiensi cum dileccione salutem. Noveritis, quod dominus rex et regina preceperunt nobis per literas eorumdem, ut nos possessionem, quam Zumbot iaculator in Urbana ex donacione M[arie] domne regine felicis recordationis karissime ave sue possidebat, Emyrico filio Wythomeri iuveni suo statueremus, quare fidelitati tue mandantes precipimus firmiter, quatenus ipsam dictam possessionem cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis, ipsi Emyrico debeas assignare et in eadem vice nostri conservare. Datum in villa Kamar sabbato proximo ante octavas beati Georgii martiris.

*Po originalu u arkivu grofova Esterházy u Galanti. Matija je banovao 1272—3. God. 1272. 29. aprila još nije vladao Ladislav. Prema tomu ide listina u godinu 1273.*

*Codex dipl. patrius VIII, 150.*

## 29.

**1273, 30. aprila.**

*Hrvatin s braćom prodaju svoju djedovinu Lipje u županiji vrbaškoj.*

Nos Cristofanus et Vitus magistri comites de Vrbaz et Bartholomeus comes terrestris et ceteri iudices nobilium, videlicet P[ri]dihna et Jacus significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis, quod accedentes ad nostram presenciam Hrovatin, Petrus et Blagoya filii Voyk ab una parte, ex altera uero Georgius filius Chelk. Idem Hrouatin, Petrus et Blagoya filii Voyk confessi sunt viuis uocibus, ipsorum quandam possessionem eorum hereditariam existentem in Vrbaz Lipye uocatam, cum omnibus vtilitatibus suis uendidisse pro quinquaginta marcis Georgio antedicto, mediantibus autem et non contradicentibus vicinis et commetaneis perpetuo possidendam. Cuius possessionis ad uidendam quantitatem misimus nobiles iobagiones castri Radihna[m], Grubech, Hodus, Wlcozlaum, Georgium filium Radeyk et Zuilanum, qui ad nos

redeuntes dixerunt qualitatem et quantitatem possessionis supradicte. Cuius possessionis prima meta incipit a fluuio Potok uocato, ubi cadit in fluuium Ozornicha et contra cursum eiusdem tendit et peruenit ad portum ubi uia transit et per eandem eciam procedendo peruenit et cadit in fluuium Lubna et per eundem tendit et exit ad siuicam (!) Mireni, deinde progreditur et peruenit ad unum lucum Raquitouech vocatum, deinde uersus orientem peruenit ad arborem thul cokoriaui (!) uocatum et peruenit ad fluuium Ozornicha contra Obrou dictum, deinde contra cursum eiusdem vadit et exinde exit et peruenit ad unum lucum Hraztouech uocatum; deinde directe uersus orientem peruenit ad unam mlacam ad partem sinistram, modicum per eandem procedendo peruenit ad portum, deinde versus meridiem tendit supra et cadit in eandem mlacam et per eandem peruenit ad alium portum ad uiam et per eandem uiam tendit uersus occidentem, que via ascendit ad unum verticem, deinde similiter uersus occidentem ad arborem glog uocatum, exinde cadit in fluuium Ozornicha, ibique mete determinantur. Datum dominica proxima ante festum sanctorum Philippi et Jacobi apostolorum, anno ab incarnacione domini M°CC°LXX° tercio.

*Iz originalnog prijepisa kaptola zagrebačkog od g. 1348. 14. novembra u kr. ugar. drž. arkivu u Budimu: M. O. D. L. no. 828. Stara signat. N. R. A. fasc. 1532. no. 19.*

*Wenzel Cod. dipl. arp. IX. 43—44. — Kukuljević Reg. no. 1099.*

## 30.

**1273, 5. maja. U Spljetu.**

*Pred sudom spljetskim potvrdjuje se promjena zemlje u korist samostana koludrica sv. Benedikta u Spljetu.*

In nomine domini nostri Jesu Christi amen Anno a natiuitate eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo tercio, indiccione prima, Spaleti, die ueneris quinta intrante madio, regnante domino nostro Ladislao serenissimo rege Hungarie, temporibus domini Johannis venerabilis archiepiscopi Spalatensis, domini comitis Pauli de Birberio illustris comitis, domini Mauricii bani maritimi Spalatensium egregie potestatis, ac dominorum Duymi Kassary, Petri Leonardi et Geruasii Grubessce iudicum. Cum dominus Petrus Martinusii uice potestatis et predicti iudices cum consciliariis suis propter magnam, necessariam et utilem causam communis Spaleti concessissent atque dedissent monasterio sancti Petri de Gumay

totum territorium camardarum ipsius communis, quod erat apud pistorium extra murum ciuitatis iuxta paratineas, seu territorium monasteri sancti Benedicti et intra ipsum territorium concessum fuisset, in angulo paratinea quedam dicti monasterii sancti Benedicti. Quoniam iustum erat, ut ipsi monasterio de ipsa paratinea satisfieri deberet, ideoque iidem uice potestatis, iudices et consciliarii supradicti nomine communis Spaleti et pro ipso communi concesserunt, tradiderunt atque dederunt iure proprio et in perpetuum domine Stane abbatisse dicti monasterii sancti Benedicti nomine ipsius monasterii et pro ipso monasterio suscipienti in concambium dicte paratinee quandam peciam terre ipsius communis que est apud Berde, illam scilicet, in qua habent uites heredes Liuay, ad habendum, tenendum, possidendum, permutandum, uendendum, donandum et quicquid ex ea dicte abbatisse eiusque successitricibus in dicto monasterio deinceps in perpetuum placuerit faciendum; cum introhitu suo et exitu, suis rationibus, pertinenciis et circumstanciis cunctis omnibusque et singulis supra se, intra se et infra se habitis in integrum, omnique iure et accione, usu seu requisicione iam dicto communi ex dicta terra uel pro ea modo aliquo pertinente siue expectante saluo iure dictarum uituum predictorum heredum Liuay. Promittentes ipsi vice potestatis, iudices et consciliarii antedicti per se suosque successores nomine dicti communis et pro ipso communi prenominate abbatisse pro se et dicto monasterio stipulanti dictam terram ipsi abbatisse et dicto monasterio ab omni homine legittime defendere et excalumpniare cum honorum omnium dicti communis obligatione. Actum in plathea sancti Laurencii presentibus Gausinna Dusciçe, Nicolao Bellipetri, Marino Bonaiunta testibus et aliis. Ego[1] Jacobus Petri precepto iudicum examinaui.

Ego magister Franciscus Anconitanus imperiali auctoritate notarius et nunc autem notarius ciuitatis Spaleti hiis omnibus interfui rogatus et supradictorum uice potestatis, iudicum et consiliariorum mandato scripsi et roboraui fecique dicto communi su[um] instrumentum.

*(Monogram not.)*

*Original u arkivu samostana sv. Marije u Zadru.*

[1] Manu propria.

## 31.

**1273, 6. maja. U Dubrovniku.**

*Knez dubrovački i njegovi suci sude radi medja zemlje.*

✝ Anno incarnationis domini 1273, mensis madii sexto die intrante, coram domino Nycolao Quirino comite Ragusii et iudicibus eius Palma Marini Stefani, Michaele Crusii, Vitanna de Cerne et Rossino Belezii. Cum controverteretur inter Dobraslavum de Rannana et Stancium Ortulanum et per Marinum de Binzola advocatum domini Dobraslavi dicebatur, quod sibi contravertaverat laborerium quod faciebat in quodam suo orto. Et per Marinum de Prodanello advocatum domini Stancii respondebatur, quod non erat suum territorium et quod acciperentur duo homines qui irent et dividerent suum territorium a territorio Dobraslavi. Et per Marinum advocatum dicti Dobraslavi respondebatur, quod paratus erat probare, quod idem Stancius cum dicto Dobraslavo de voluntate ambarum partium posuerant signum inter territorium dictorum Dobraslavi et Stancii et quod potacia(!) que est in confinibus predictis erunt in parte dicti Dobraslavi. Et advocatus domini Stancii respondebat, quod si posuerint aliquod signum, posuerint taliter, ut non preiudicaret alicui partium. Unde predictus dominus comes et iudices visis et auditis rationibus utriusque partis et testium dixerunt per legis sententiam, quod dominus Dabraslavus sit in tenuta in ipso territorio quantum est a foramine muri civitatis recto tramite usque ad vitem, que est penes seriem que est secus viam communis, salva ratione predicti Stantii in totum de eo, quod idem Stantius haberet rationis in dicto territorio, quia sic fuit testificatum per Marinum de Gleda et Damianum de Gondola. De hoc autem iudicio sunt due carte similes, hec et alia. Hec autem carta nullo testimonio rumpi possit. Quod iudicium prenominatorum domini comitis et iudicum ego presbyter Petrus et communis notarius iuratus audiens scripsi.

*Mattei Memorie storiche su Ragusa. — Rukopis u knjižnici »Male Braće« dubrovačke br. 416. (St. br. 266) tom. II.-1, 254.*

## 32.

**1273, 7. maja. Na Rabu.**

*Salbe de Gaucigna prodaje po nalogu rapskih sudaca svomu bratu Gaucigni vinograd u Kaplagu.*

Anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo tercio, indictione prima, die septimo intrante madio, Arbi, temporibus equidem domini nostri Laurencii Teupolo incliti ducis Venecie et venerabilis Gregorii de Costiça Arbensis episcopi, ac Johannis Badoarii eggregii(!) comitis; presentibus Madio filio Acoui de Sergogna et Stancio de Sudia De mandato et licencia domini Johannis Badoarii dei gracia comitis superius nominati et suorum iudicum, scilicet Gerardini Mauroceni, Phylippi de Genanno et Salbe Madii de Gaucigna, predictus Salbe Madii de Gaucigna iudex dedit, uendidit et tradidit Gaucigna fratri suo vineam vnam positam in loco uocato Caplago aput vineam Barbe de Barbabissa et aput vineam Dominici uocati Futrinbutu et aput vineam Marci de Baile pro precio viginti solidorum grossorum, que vinea fuit dompni Luce diaconi et Arbensis notarii, que vinea per curiam data fuit dicto Salbe occasione cuiusdam debiti blaudi(!); pro quo dictus dompnus Lucas tenebatur dicto Gaucigne fratri predicti iudicis Salbi superius nominati, prout apparet in sentencia vna data per arbitros inter eos per curiam constitutos. Quam vineam dictus Gaucigna cum arboribus omnibus, vitis natis et plantatis in eam et cum toto usufructu et cum omnibus suis habenciis et pertinenciis et cum omnibus accessibus et egresibus(!) suis undique pertinentibus, ut superius confinata est, cum suis heredibus et successoribus habeat perpetuo, teneat et possideat temporibus uniuersis absque contradictione alicuius persone cum plena potestate uendendi, donandi, alienandi, permutandi et pro anima indicandi et quidquid ei uel eis deinceps placuerit libere faciendi. In qua vinea Yuannus de Rasorio nomine et vice Leonardi commercarii posuit ipsum iudicem Salbem nomine et vice dicti Gaucigne fratris sui in tenutam et paccamentum secundum consuetudinem ciuitatis Arbensis. Que uendicio clamata fuit in platea secundum statutum et consuetudinem ciuitatis Arbensis. Ego Creste de Fusco examinator de mandato curie supradicte manum misi.

Ego Henricus Lonbardi Tusci Arbensis notarius hiis omnibus interfui [rogatus] . . . . roboraui meoque signo signaui.

*(Signum not.)*

*Original u arkivu samostana sv. Marije u Zadru.*

## 33.

**1273, 12. maja.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski potvrdjuje listinu kralja Bele (od g. 1267.) koja sadržaje u sebi oporuku meštra Moisa župana šomogjkog i varaždinskoga.*

Ladizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex vniuersis presentem paginam inspecturis salutem in salutis largitore. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire: quod magister Mois comes Symigiensis dilectus et fidelis baro noster ad nostram accedens presenciam presentauit nobis priuilegium domini B[ele] quondam illustris regis Hungarie clare recordacionis karissimi aui nostri, petens instanter ut idem, ratum habere et nostro dignaremur priuilegio confirmare. Cuius tenor talis est:

*Slijedi listina kralja Bele od g. 1267. sadržavajući oporuku meštra Moisa. Gl. vol. V. br. 912. ovoga zbornika.)*

Nos itaque iustis eiusdem magistri Moys peticionibus inclinati et quia eciam idem Alexander id ipsum quod circa ordinacionem premissam coram eodem rege auo nostro permiserat, concessit coram nobis, ipsum priuilegium ratificando de uerbo ad uerbum insertum presentibus confirmamus dupplicis sigilli nostri munimine roborando. Datum per manus magistri Benedicti Orodiensis ecclesie prepositi aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno domini M⁰CC⁰LXX. tercio, quarto idus maii, regni autem nostri anno primo. Venerabili viro magistro Nicolao sancte Strigoniensis ecclesie electo, aule nostre cancellario, venerabilibus patribus Stephano Colocensi et Johanne Spalatensi archyepiscopis; Lamperto Agriensi, Job Quinqueecclesiensi, Briccio Chanadiensi, Philippo Waciensi aule domine regine karissime matris nostre cancellario et comite Neugradiensi, Paulo Wesprimiensi, Thymotheo Zagrabiensi, Lodomerio Waradiensi, Dyonisio Jauriensi et Petro Transiluano episcopis ecclesias dei feliciter gubernantibus. Laurencio palatino, comite Supruniensi et de Barana ac iudice Comanorum, Ladizlao iudice curie regie, Henrico bano tocius Sclauonie, Egidio bano de Macho et de Bozna, Johanne woywoda Transiluano et comite de Zonuk, Paulo bano de Zeurino, Stephano magistro tauarnicorum, Reynoldo magistro dapiferorum et comite Zulgageuriensi, Vgrino magistro agasonum et comite Syrmiensi, Laurencio magistro pincernarum nostrorum et comite de Kewe et de Karasu, Emerico comite Symigiensi, Gregorio comite Castri ferrei, Dedalo comite

Zaladiensi, Michaele comite Nitriensi et aliis quam pluribus comitatus regni tenentibus et honores.

*Original s odlomkom visećega pečata na crvenoj svilenoj vrvci u kr. ug. drž. arkivu u Budimu: M. O. D. L. no. 629. (Stara sig. mon. Poson. fasc. 43. no. 1.)*

*Na hrptu savremena bilješka: privilegium Ladislai regis super possessionibus magistri Mois, qualiter de eis ordinauit.*

*Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 79—80.*

## 34.

**1273, 23. maja.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski dariva meštru Petru od plemena Čak posjed Šimke kraj Glogovnice.*

Ladislaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus presens scriptum inspecturis tam presentibus quam futuris salutem in salutis largitore. Regie benignitatis sublimitas recto pensans libramine merita singulorum et maxime illorum, quos sicut generosi sanguinis alta nobilitas et morum innata probitas, sic et approbate fidelitatis constancia, ac strenu[orum actuum] experiencia efficiunt digniores, dum eos digno retribucionis beneficio refocillat, dum eis largitur, quod merentur, multorum mentes ad fidelitatis florem excitat et ad bene merendi studia fideliter obsequentibus prebet exemplum et prestat operosam fiduciam seruiendi. Hoc igitur pensantes ex animo, hoc regali moderamine in cordis nostri reuoluentes armariolo, noticie cunctorum declaramus, quod cum nobilis vir et honestus magister Petrus filius magistri Mathei de genere Chak a primo iuuentutis sue principio auo nostro et patri nostro victoriosissimis Vngarorum regibus, ac nobis demum ex conspicuis actibus meruisset multipliciter complacere, diuersis clarens meritorum virtutibus, que longum esset propter sui multiplicitatem suo modo per singula enarrare, aliqua tamen de gestis eius, quorum quedam vidimus, quedam vero a patre nostro et regni baronibus ueraciter intelleximus, ad memoriam futurorum et informacionem ceterorum presentibus iussimus annotari. Primum siquidem, cum dominus rex pater noster tunc gerens terre Transdanubialis gubernaculum, a facie patris sui, qui eum ex infidelium instigacione relegato paterne pietatis affectu persequebatur, in castrum Feketyvholm cum pauca comitiua declinasset, idem magister Petrus ex missione patris

nostri sub castro Dewa contra Cumanorum exercitum viriliter dimicavit quosdam ex eis captiuando, quosdam autem perimendo, triumphalem reportauit victoriam, negocium patris ibi feliciter inchoando. Preterea cum castrum Borynka per inimicos patris nostri et regni Hungarie exploratores fuisset occupatum, prefatus magister Petrus cum effusione sanguinis sui et morte suorum recuperauit castrum illud et iurisdiccioni restituit fidelium nostrorum eliminatis infidelibus ex eodem. Ad hec, cum predictus auus noster transmissa armatorum multitudine primum nos et dominam reginam matrem et sorores nostras karissimas de castro Patak educi fecerat et extrahi et exinde patrem nostrum inuestigari faciebat, machinans eum priuare iure geniture et regni diademate spoliare; ipse magister Petrus cum Matheo fratre suo primum captiuauit speculatores exercitus aui nostri contra patrem nostrum ad explorandum clanculo destinatos, quibus de captiuitate huiusmodi ad cautelam absolutis, per quorundam baronum patri nostro fidelium, licet tunc ipsi auo nostro coacte famulancium, Saxones et alii homines regionis Transilvane ad patrem nostrum redierunt, eum naturalem terre dominum cognoscentes. In quibus quidem casibus patri nostro et nobis quasi in desperacione positis, idem magister Petrus cum eodem magistro Matheo fratre suo et cum quibusdam aliis sub castro predicto et locis aliis repetitis nempe vicibus pro honore et liberacione negocii patris nostri dubiis bellorum euentibus se commitere non expauit potenter dimicando, militiam exercuit frequenter virtuosam, sudores bellicos et letalia uulnera sustinendo, maxime in eo conflictu, quando Laurencius filius Kemyn et multi alii capti fuerunt et plures iugulati. Sane cum Hernei banus et alii nostri barones prenotate persecucionis tempore contra patrem nostrum armata milicia accessissent, idem magister Petrus cum prefato fratre suo huiusmodi preueniens exercitum, ipsum Ernei banum deuictum in prelio captiuauit, vbi ipse letaliter extitit sauciatus. Item in Ilsuazeg, cum idem pater noster contra ducem Belam, Prewcilinum, Herricum banum et alios ipsius bani nostri adiutores et barones conflictum habuerat, idem magister Petrus, licet antea transfossus lancea et sectus gladio militare non valeret, mori tamen pro patre nostro et nobis elegit pocius, quam ante consumacionem laudabilem relinquere iniciatum negocium patris nostri, ubi coronam regni Hungarie celitus nobis per successionem traditam in persona patris nostri obtinuimus et recuperauimus per eiusdem magistri Petri et aliorum fidelitatem commendabilem et uirtutem. In quo quidem conflictu Bela duce effugato et Prewcilino interfecto, Herricus banus cum filiis et complicibus suis extitit captiuatus. Porro cum Ottokarus Bohemorum rex, tunc patris nostri, nunc autem noster capitalis inimicus, fidei sue desertor, violata pace, fractis treugis et ruptis

iuramenti sui vinculis, ducens in auxilium sibi florem milicie tocius Alamanie, contra patrem nostrum fines regni Vngarie potencialiter adiisset, Posonium et quedam alia castra prodicionaliter occupando, deinque pater noster generalem leuasset exercitum contra eum; sepedictus magister Petrus simul cum eodem fratre suo apud Posonium, post circa Musunium, quo idem rex Bohemorum castra sua defixerat, milicie sue aciem ad bellum preparando, ac demum in fluuio Rebuche, vnde de area certaminis, quam patri nostro felix reliquit victoria, vix euasit fugitiuus, ante alios irruens in aduersum intrepidus exercitum, tales titulos triumphi, talemque laudem obtinuit victorie, quorum memoriam non tollet obliuio in eternum, quia licet hinc inde inpugnaretur et pugnaret, Belam tamen ducem tunc intimum patris nostri defensorem et militem strenuum, eius equo in bello mortuo, ipse magister Petrus de medio cuney per probitatem suam et uirtutem propriam redemit et reduxit. Ceterum post decessum eiusdem patris nostri nobis ad coronam regiam et regni solium per successionem hereditariam seu ordinem geniture annuente domino sublimati, cum a dileccionis retribucione et fidelitatis munere, quibus idem magister Petrus propter tot meritorum suorum prerogatiuam a nobis fouendus fuerat, quidam emuli sui iniqua confederacione falsa suggerentes et instigacione felle plena animum nostrum aduertissent, eum de nostrorum fidelium contubernio et de domo nostra occasionaliter non ex causa effugari studuissent, priuatum honoribus et magistratu dapiferorum, quibus ab eodem patre nostro digne fuerat sublimatus, ipse in huiusmodi aduersitate constitutus, fidelitatis sue meritum et obsequiorum premium frequentemque sanguinis sui effusionem cauens ex innocencia inuolui obliuionis nubilo ac uicio ingratitudinis maculari, semper mansit nobis in feruore fidelitatis et aliis quos exaltaueramus vltra meritum, nobis rebellantibus, solus ipse magister Petrus ea, que sibi sic iniuriose irrogata fuerant, pro beneplacito voluntatis nostre licet non absque cordis amaritudine equanimiter tolerauit Verum igitur peracto alicuius temporis curriculo, ab illorum manibus, qui nos minus bene gubernabant, erepti, eum inter alias sollicitudines nostras cepissemus intra mentis nostre archana reuoluere et pensare in animo, qualiter idem magister Petrus, cuius obsequiorum remuneracio ad tempora nostra celitus fuit reseruata, sine excessu suo priuatus erat honoribus et quibusdam possessionibus suis, ac de domo nostra occasionaliter, sicut premisimus, effugatus et qualiter huiusmodi vindictam iniuria amaritudinis non uacuam sibi ex aliorum mortifera fraude excogitatam pro nobis sustinuit pacienter; reuocauimus eum, quia in nullo contra nostram maiestatem apparuit excessisse, sine nota et inreprehensibiliter demorando. Et ut prenotatis ac multis aliis actibus suis meritoriis per

nos, licet non ad plenum satisfiat, contulimus sibi et per eum suis heredibus heredumque suorum successoribus totam possessionem de Scynche cum tributo eius et utilitatibus suis omnibus ac pertinenciis [vniuersis] a castro de [Golgouch et eius] iurisdiccione exceptam ab antiquo penitus et exemptam, iure perpetuo inreuocabiliter pacifice possidendam, sicut eciam primitus possessionem eandem magister Mauricius tempore Bele incliti aui nostri clare memorie tenuit pariter et possedit. [Vt igitur hec nostra colla]cio robur obtineat perpetue firmitatis, nec per quempiam lapsu temporum valeat aliqualiter retractari, presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti Orodiensis ecclesie prepositi, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno dominice incarnacionis M⁰CC⁰LXX⁰ tercio, decimo kalendas iunii, regni autem nostri anno primo. Venerabilibus patribus Nicolao sancte Strigoniensis ecclesie electo aule nostre cancellario, Stephano Colocensi et Johanne Spalatensi archiepiscopis, Lamperto Agriensi, Job Quinqueecclesiensi, Philippo Vaciensi aule domine regine karissime matris nostre cancellario comite Neugradiensi, Briccio Chenadiensi, Paulo Vesprimiensi, Tymotheo Zagrabiensi, Lodomerio Varadiensi, Dionisio Jauriensi et Petro Transiluano episcopis ecclesias dei feliciter gubernantibus. Laurencio palatino comite Supruniensi et de Barana ac iudice Cumanorum, Herrico bano tocius Sclauonie, Egidio bano de Macho et de Bozna, Johanne woyuada Transiluano comite de Zownuk, Stephano magistro tavarnicorum nostrorum, Ladizlao iudice curie nostre comite de Bana (!), Reynoldo magistro dapiferorum nostrorum comite Zulgageuriensi, Vgrino magistro agasonum nostrorum comite Syrmiensi, Laurencio magistro pincernarum nostrorum comite de Kewe et de Karaso, Paulo bano de Zewrino, Emerico comite Symigiensi, Dedalo comite Zaladiensi, Michaele comite Nitriensi et aliis quam pluribus comitatus regni tenentibus et honores.

*Original, pečat otpao sa zelene svilene vrvce, u kr. ug. drž. arkivu u Budimu: M. O. D. L. no. 829. (Stara sign. N. R. A fasc. 333 no. 1.) Na donjem kraju listine izmedju usica savremeno: Sdenko. — Na hrptu istom rukom: possessionem Scynke. Postoji i potvrda ove listine po kralju Ladislavu od g. 1274. 31 decembra: M. O. D. L. no. 830. (Stara sign. 322. no. 39.) Po ovoj su dopunjci učinjeni.*

*Fejér Cod. dipl. Hung. V 2. 93 — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. IX. 12 – 16. po izvorniku. Ibidem IV. 23—7. iz potvrde kralja Ladislava. od g. 1274. — Kukuljević Reg. no. 1100.*

## 35.

**1273, 29. maja.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski potvrdjuje županu Ruhu posjede u Gariću i Garešnici.*

Ladislaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis salutem in omnium salvatore. Ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod comes Ruh, qui primum domino Bele avo nostro, postmodum patri nostro, serenissimis Hungarie regibus, ex fidelitatis sue commendabilibus obsequiis placidum se reddiderat et acceptum, post obitum eiusdem patris nostri nobis ad coronam regiam et regni solium annuente domino sublimatis cum magna societate et sumptu maximo nobis fideliter servivit, studens nostris desideriis, ut fideliter sic laudabiliter multipliciter conplacere et cum inter nos et Boemorum regem prius patris nostri nunc nostrum et regni Hungarie manifestum hostem gravi gwerra perdurante, contra regem eundem generalem exercitum levassemus, idem comes Ruh, licet tunc nullo esset honoris culmine sublimatus, ad nostrum venit exercitum ducens secum manu potentes milites et in belli examine virtuosos Nos itaque licet minor etate, cor tamen senile gerentes, inter alias sollicitudines que nobis ex officio regiminis nostri incumbunt, inter arcana mentis nostre considerare cepimus, qualiter idem comes Ruh predictis regibus gratanter servierat et qualiter nobis ferventi desiderio seu desideranti fervore placere studebat . . . . . . . . discrimini et bellorum eventibus committere non formidans et quamquam propter tot et tantorum obsequiorum suorum gratiosa merita et meritoria obsequia magna sibi conferre insideat, cordi nostro in aliqualem . . . . . . tot actuum suorum commendabilium nobilitavimus predia sua in Garig et in Guersence existencia, que quidem predia licet a iobagionibus castri sive predialibus empcionis titulo, aut per modum . . [pos]sederit, usque modo ex nunc tamen in antea eadem predia sua, ita pure et simpliciter sine debito prime condicionis, tam ipse quam eius heredes teneant et possideant sicut veri, primi et naturales Sclavonie nobiles suas possessiones possident et usque modo possederunt, predium autem sive possessio eiusdem Ruh comitis in comitatu de Guersenche existens, quam a Dezyno, Gumzyna et Dionisio filiis Wecheren iobagionibus castri precio dinoscitur conparasse, Katynna nominatur. Idem aliud predium ipsius, quod habet

in comitatu de Garyg emptum a Martino filio Brezhaal iobagione dicti castri, Deuche nuncupatur Item tercium predium iamdicti Ruh comitis quod habet in eodem comitatu de Garyg, cuius quidem unam particulam ab filiis Dyene precio conparavit, aliam vero particulam ab eodem serenissimo rege Bela avo nostro karissimo clare memorie pro meritoriis serviciis suis obtinuit sibi dari Polosnicha appellatur. Ut igitur idem comes Ruh et eius successores prenotatas possessiones a priori debito exemptas iuxta libertatem aliorum regni nobilium perpetuo possidere valeant et habere, nec ullo unquam tempore aliquibus serviciis castrorum predictorum racione memoratorum prediorum agravari valeant, presentes eidem concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti Orodiensis ecclesie prepositi aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri. Anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo tercio, quarto kalendas iunii, regni autem nostri anno primo. Venerabili viro magistro Nicolao sancte Strigoniensis ecclesie electo, comite perpetuo loci eiusdem, aule nostre cancellario, Venerabilibus patribus Stephano Colocensi et Johanne Spalatensi archiepiscopis, Lamperto Agriensi, Job Quinqueecclesiensi, Briccio Chenadiensi Philippo Vaciensi aule domine regine karissime matris nostre cancellario, Paulo Vesprimiensi, Tymotheo Zagrabiensi, Lodomerio Varadiensi, Dyonisio Jauriensi et Petro Transilvano episcopis ecclesias dei feliciter gubernantibus. Laurencio palatino, comite Suprumensi et de Barana, ac iudice Cumanorum, Henrico bano tocius Sclavonie, Egidio bano de Machou, Johanne Woyavoda Transilvano comite de Zounuk, Stephano magistro tavarnicorum nostrorum, Ladislao iudice curie nostre comite de Bana(!), Reynoldo magistro dapiferorum nostrorum comite Zulgageuriensi, Vugrino magistro agasonum nostrorum, comite Sirmiensi, Laurencio magistro pincernarum nostrorum comite de Keve et de Krasu, Paulo bano de Zeurino, Emerico comite Simigiensi, Dedalo comite Zaladiensi, Michaele comite Nitriensi et aliis quampluribus comitatus regni nostri tenentibus et honores.

*Cod. dipl. patrius VII 139—41. no. 106 Po originalu u arkivu grofova Erdoda u Glogovcu. Ostanci pečata, koji je visio na svilenoj bijelo crvenoj vrvci.*

*Kukuljević Reg. no. 1101.*

## 36.

**1273, 2. juna.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski nagradjuje Herborda sina Lanceratora »de genere Buzad«.*

Medju ostalim (što se ne tiče Hrvatske) kaže se:

Nos igitur ex officio regalis culminis interne consideracionis affectu plenarie recolentes, qualiter idem (sc. Herbordus filius comitis Lancereth de genere Buzad cum Matheo bano tocius Sclauonie dilecto et fideli nostro in Styria et Karyntia contra hostes regni nostri casibus fortune se submittens, dimicauerit uiriliter sibi pocius mortem quam uitam eligendo, ubi laudabilem coram eodem bano et aliis quam pluribus cernentibus victoriam obtinuit et triumphum . . . . . . . Datum . . . anno domini MCCLXX tercio, quarto nonas iunii, regni autem nostri anno primo. Venerabilibus . Joanne Spalatensi archiepiscopis . . . Tymotheo Zagrabiensi . . episcopis . . Henrico bano tocius Sclauonie . . . Egidio bano de Macho et de Bozna (!) . . .

*Original s kojega visi na žutoj svilenoj vrvci pečat. Čitavu listinu donosi: Ráth és Romer: Györi tort. és rég. füz. Vol. II., 302—4.*

## 37.

**1273, 11. juna. U Budimu.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski obznanjuje o prodaji zemlje Peklen u županiji garešničkoj.*

Nos Ladizlaus dei gracia rex Hungarie memorie commendamus significantes tenore presencium vniuersis, quod Nicolao filio Tyba, condam comite de Guersence ab vna parte, Benedicto filio Martini ex altera coram nobis personaliter constitutis; idem comes Nicolaus terram Peklen vocatam, existentem in comitatu de Guersence, que quondam fuerat terra Nicolai dicti Toldol, quam idem comes Nicolaus ipso (sine) heredum solacio decedente ex collacione regia habuerat et possederat, confessus est se vendidisse, nobis eciam permittentibus et consencientibus predicto Benedicto pro septuaginta marcis, recepta ipsa pecunia plenarie ab eodem, sicut eciam in patentibus litteris capituli Chasmensis sub pendenti sigillo emanatis nobis patuit evidenter, tali obligacioni interiecta,

quod quandocunque, uel per quemcunque idem Benedictus occasione premisse terre vexaretur, tenetur comes Nicolaus eum expedire propriis laboribus et expensis. Datum Bude in quindenis Pentecostes, anno domini M⁰CC⁰LXX⁰ tercio.

*Original u arkivu kneza Batthyányja u Körmendu — Na hrptu pritisnuti pečat otpao. A. V. L. I. no. 42.*

*Wenzel Cod. diplom. arp. cont. IX. 32. — Kukuljević Reg. no. 1102.*

## 38.

**1273, 10. augusta. U Budimu.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski prijeti Spljećanima, što uzimlju strane sudce i uznemiruju Trogirane.*

Ladislaus etc. fidelibus suis comiti civitatis Spalatensis salutem et gratiam. Quia nobis semper fidelitatis opera exhibuistis indefesse vos prosequimur regio cum favore, sed quia propter variarum guerrarum discrimina ad vos accedere nequimus usque modo, intelleximus, quod vos iudices extraneos de aliis regnis recipere consuevistis, quod non est fidelitatis iudicium; cives etiam nostros Tragurii non modicum discrimini perturbare, quosdam etiam nobis fideles de vestra communitate expulistis. Quare fidelitati vestre firmiter precipiendo mandamus, quatenus si nos naturalem dominum regem Hungarie et Croacie cognoscitis, ex tunc iudices extraneos de communitate vestra expellatis et de regno nostro nobis fideles pro potestate vobis assumatis, ac cives nostros Tragurii non presumatis in aliquo perturbare. Si autem aliquam habetis actionem contra ipsos, experiamini coram nobis iustitia mediante, illos etiam nobis fideles, quos de regno nostro exclusistis reducatis et bona ac possessiones restituatis eorumdem. Preterea quatuor ex vobis meliores, si nobis fideles esse vultis, usque festum sancti Michaelis ad nos transmittatis, ut nos una cum ipsis de bono statu regni Croacie ordinemus. Datum Bude in festo sancti Laurentii martiris.

*Lucius Memorie di Traù. 93. — Farlati Illyricum sacrum IV. 356. spominje. Kercselich Not. prael. 214. fragment. Fejér Cod. dipl. Hung. V. 2. 215. (po Kercselichu). — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. IX. 367. (po Luciću). — Kukuljević Jura regni I. 80 (krivo pod god. 1272.). — Kukuljević Reg. no. 1086 i 1134.*

## 39.

**1273, 12. augusta. U Budimu.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski banu Pavlu, neka ne uznemiruje Trogira.*

Ladislaus etc Paulo bano salutem et gratiam. Conquesti sunt nobis communitas civium de civitate nostra Traguru, quod tu ipsos non desistis petendo ab eis obsides, ut tibi teneantur deservire et faciendo descensus super terris eorumdem et alias quam plures iniurias irrogans Verum cum nos hospites nostros nolimus per quempiam molestari, seu etiam gravari tibi mandamus firmiter per presentes, quatenus a molestationibus eorumdem civium Tragurii omnino retineas manus tuas, non permittendo eosdem nec per fratres tuos, seu alios quoslibet aut per cives Spalati et de Sibenigh agravari. Et si obsides ipsos recepisses, reddas et restituas et si aliquos iidem habent, ac commune contra ipsos experiantur coram nobis iura iustitia mediante. Aliud non facies, sicuti gratiam nostram caram habes. Judices existentes in civitatibus de Tragurio, de Sibenigh et de Spalato nisi de nostro regno ullatenus patiaris, populus etiam, qui de Spalato pro fidelitate nobis debita sunt expulsi, ad eamdem civitatem auctoritate nostra introducas restituendo omnia bona et possessiones eorumdem Datum Bude die tercio sancti Laurentii martiris.

*Lucius Memorie di Traù. 92—93. — Fejér VII. 4. 155—6. — Farlati Illyr. sacrum. IV 356. spominje. — Wenzel Cod. dipl. Arp IX 568. — Kukuljević Reg. no. 1136.*

## 40.

**1273, 12. augusta. U Budimu.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski Trogiranima, da je opomenuo njihove protivnike, neka ih puste u miru.*

Ladislaus etc. fidelibus suis iudici, consiliariis et toti communitati Tragurii. Quia nobis semper fidelitatis opera exhibuistis indefesse, vos regio cum favore prosequimur; sed quia propter guerrarum discrimina ad partes illas accedere nequimus usque modo, scire volumus fidelitatem vestram, quod in brevi ad vos talem hominem destinamus, qui vos tam

a Paulo, qui vicem gerit pro bano maritimo, quam a civibus Spalatensibus et Sibenighensibus ac aliis omnibus vos molestantibus defensabit. Misimus etiam eis litteras nostras, ut a molestationibus et gravaminibus vobis inferendis desistant penitus et etiam conquiescant. De damnis siquidem vestris iustitiam fieri faciemus pleniorem, prout exigit ordo iurium. Petimus namque et fidelitati vestre firmiter mandamus precipientes, quatenus a fidelitate consueta non recedentes nobis fidelitatem debitam observetis, ut nos fidelitatem vestram possimus non immerito commendare. Datam Bude tertio die sancti Laurentii martiris.

*Lucius Memorie di Traù. 92. — Fejér VII. 4. 154—5. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. IX. 569—570. — Kukuljević Reg. no. 1135.*

## 41.

**1273. 25. augusta. U Zagrebu.**

*Ilija sin Volpotov prodaje biskupu zagrebačkomu Timoteju svoju zemlju Poljanu kod Varaždina sa svim pristajalištima.*

Capitulum Zagrabiensis ecclesie omnibus presens scriptum inspecturis salutem in domino. Vniuersitati vestre harum serie declaramus, quod Elyas de Worosdino, filius Martini Wolpot, coram nobis personaliter constitutus, quandam terram suam, Polana vocatam, vsui septem aratrorum ut dixit sufficientem, contiguam et conterminam terre domini nostri episcopi, videlicet ville ecclesie sancte Marie iuxta Worosdinum, cum molendinis, fenetis et aliis omnibus utilitatibus suis, confessus est se uendidisse ex uoluntate et permissione Stephani comitis Worosdinensis, exemptam et abstractam omnino a seruicio castri Worosdiensis, prout in litteris patentibus eiusdem comitis uidimus contineri et uendidit eidem domino nostro Thymoteo episcopo perpetuo possidendam pro XXX marcis denariorum minus duabus marcis, quas se dixit ab eodem plenarie recepisse et esse in sui redempcionem Theotonicis persolutas. In cuius rei testimonium presentes ad instanciam parcium contulimus nostro sigillo communitas Datum in crastino beati Bartholomei apostoli, anno domini millesimo CC septuagesimo tercio

*Liber privil. eppatus. zagrab. list 38.*

*Tkalčić Monumenta episc. Zagr. I. 166. Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 87 no. 87 donosi regest. — Kukuljević Reg. no. 1105.*

## 42.

**1273, 29. septembra.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski poklanja županu Ivanki radi vjernih njegovih službi bivše Dionizijeve posjede, naime Gan, Puču, Boldur i Meger.*

Ladizlaus dei gracia Vngarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus presens scriptum inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod cum possessiones Dyonisii calui empticias et acquisitas, que ad manus regias fuerant deuolute, Iwance comiti baccineferorum nostrorum dilecto et fideli nostro contulissemus et factum ipsarum possessionum inquisicioni capituli ecclesie Albensis commisissemus, idem postmodum capitulum nobis rescripsit in hec uerba: Excellentissimo domino suo Ladizlao dei gracia illustri regi Vngarie, Albensis ecclesie capitulum oraciones in domino debitas et deuotas. Receptis litteris uestre celsitudinis, fidelem hominem nostrum misimus, sub cuius testimonio Petrus de Putul, homo uester, possessiones Dyonisii calui empticias et acquisitas statueret et assignaret Iwance comiti baccineferorum uestrorum, citatis contradictoribus si qui fierent ad uestram presenciam ad terminum competentem. Qui quidem uester et noster ad nos postmodum reuersi, dixerunt: quod idem uester totam porcionem dicti Dyonisii, quam idem in terra arabili et uineis empcionis seu acquisicionis titulo in uillis Gan, Poucha, Boldur et Meger uocatis, mixtim cum terris aliorum adiacentem habuisse dicebatur, statuisset dicto Iwance comiti nullo contradictore existente Nos igitur consideratis seruiciis ipsius comitis Iwance, que primum karissimo patri nostro domino Stephano regi inclite recordacionis in feruore solite fidelitatis laudabiliter et postmodum nobis se uariis fortune casibus in diuersis expedicionibus regni nostri submittendo exhibuit et impendit, propter que de regali magnificencia maiora et ampliora debuisset promereri, in recompensacionem quorumdam seruiciorum suorum predictas terras seu possessiones iam dicti Dyonisii empticias scilicet et acquisitas, cum omnibus pertinenciis et utilitatibus suis vniuersis in predictis uillis existentes, contulimus, dedimus et donauimus eidem comiti Iwance et per eum suis heredibus perpetuo valuture[1] donacionis titulo possidendas. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes dedimus literas duplicis sigilli nostri

[1] Mjesto »valiture«.

munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti prepositi Orodiensis, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri. Anno domini MCCLXXIII, tercio kalendas octobris, regni autem nostri anno secundo. Metropolitica sede Strigoniensis ecclesie vacante, venerabilibus patribus Stephano Colocensi et Johanne Spaletensi archiepiscopis, Lamperto Agriensi, Brictio Chanadiensi, Job Quinqueecclesiensi, Paulo Wesprimiensi aule nostre cancellario, Phylippo Waciensi aule domine regine karissime consortis nostre cancellario comite Neugradiensi, Lodomerio Waradiensi, Thimotheo Zagrabiensi, Dyonisio Jauriensi et Petro Transiluano episcopis ecclesias dei feliciter gubernantibus. Rolando palatino, Henrico bano totius Sclauonie, Nicolao voyuoda Transiluano comite de Zonuk, Jovachino magistro tauarnicorum nostrorum, comite de Pylis, Paulo bano de Zeurino, Reynoldo magistro dapiferorum nostrorum comite Zulgageuriensi, Ugrino magistro agazonum nostrorum comite Sirmiensi, Laurencio magistro pincernarum nostrorum comite de Keve et de Crasu, Johanne comite Supruniensi, Gregorio comite Castriferrei, Moys comite Simigiensi, Dedalo comite Zaladiensi, Michaele comite Nitriensi et aliis quam pluribus comitatus regni nostri tenentibus et honores.

*Liber privil. eppatus. zagrab. list 58.*
*Tkalčić Monum. episcop. Zagr. I 166—167.* — *Wenzel Cod. dipl. Arp. XII. 76.* *donosi regest.* — *Kukuljević Reg. no. 1106.*

## 43.

**1273, 5. oktobra.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski potvrdjuje povlastice, kojima je obdario crkvu zagrebačku njegov otac kralj Stjepan i ini prešasnici.*

Ladislaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque rex in perpetuum omnibus presentem paginam inspecturis salutem in eo qui regibus dat salutem. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod venerabilis pater Tymotheus episcopus Zagrabiensis dilectus et fidelis noster ad nostram accedens presenciam, exhibuit nobis privilegium felicis recordacionis domini regis Stephani, karissimi patris nostri, sub bulla aurea super donacionibus, libertatibus et exempcionibus ac aliis bonis condicionibus, quas ecclesia sua Zagrabiensis ex devota collacione et concessione predecessorum nostrorum possidere dinoscitur confectum, petendo cum instancia, ut ipsum privilegium ratificare, approbare et nostro

privilegio confirmare de benignitate regia dignaremur. Cuius tenor talis est *(Gl. povelju od 17 juna 1272. u V. svesku ovoga zbornika).* Nos igitur privilegium ipsius karissimi patris nostri sub bulla aurea continens privilegium predecessorum nostrorum regum Vngarie inclitorum, super huiusmodi salubribus donacionibus, libertatibus et exempcionibus confectum, non abrasum, non cancellatum, nec in aliqua sui parte viciatum ratum habentes et acceptum, de verbo ad verbum presentibus insertum ex certa nostra sciencia de baronum nostrorum consensu duximus confirmandum. Ut igitur hec omnia, que a nobis et karissimo patre nostro ac predecessoribus nostris sunt concessa, nostris nostrorumque successorum temporibus irrefragabiliter salva semper et inconcussa in perpetuum valeant permanere, dupplicis sigilli nostri munimine ex certa nostra sciencia fecimus roborari. Datum per manus magistri Benedicti Orodiensis prepositi, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno dominice incarnacionis MCCLXX tercio, tercio nonas octobris, regni autem nostri anno secundo.

*Original, crveno-žuta svilena vrvca visi bez pečata fasc. 1. br. 3. — U arkivu kaptola zagrebačkoga.*

*Tkalčić Monum. episc. Zagr. I. 168. — Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont. XII. 77. donosi regest. — Kukuljević Reg. no. 1107.*

## 44.

**1273, 23. novembra. U Spljetu.**

*Marislava, udova Mihajla darива svojoj kćeri kuću u Zadru*

In nomine domini nostri Jesu Christi anno a natiuitate eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo tercio, indictione prima, Spaleti, die iouis, octaua exeunte nouembris, regnante domino nostro Ladislao serenissimo rege Hungarie, temporibus domini Johannis venerabilis archiepiscopi Spalatensis, domini Pauli de Birbirio illustris comitis, egregii viri domini Rogerii Suppi de Firmo Spalatensium potestatis, ac dominorum Dragi Ma(gn)i, Dobri Dusciçe et Josephi Petri iudicum. Domina Ma(r)islaua uxor quondam Michaelis Leonardi de gr(ati)a et sua spontanea uoluntate dedit, tradidit et concessit filie sue Dabre uxori Jacobi Andree Petriçi de Jadria, ipso Jacobo eius uiro presente, uolente et consenciente domum suam totam positam in ciuitate Jadrensi; a parte boreali cuius adiacet domus Damiani de Micussce, a corina uia publica et a trauersa domus Uite Gramacce; atque totum suum darrum (!) quod habebat in territorio

Jadrensi apud Cauallaram ex parte trauerse cuius adiacet uia publica et a boreali terra Barti Sloraddi, sub exstimatione ducentarum et sexaginta librarum denariorum venetorum paruorum, que quidem libre ipsi Dabre debeant computari in partem quocumque tempore ipsa Dabra post dicte matris sue obitum perueniret cum fratribus suis et sororibus ad diuisionem bonorum paternorum et maternorum et habendo quilibet suorum fratrum et sororum tantumdem, ex residuo toto bonorum paternorum et maternorum omnium habere debeat ipsa Dabra integram suam partem sicut aliquis alius coheredum suorum; non tamen liceat ipsi Dabre in uita dicte sue matris dictam domum uel dictum darum seu aliquid ex eis alicui uendere uel donare seu permutare uel pignorare uel modo aliquo pro anima uel corpore obligare, set (!) ut si contingeret ipsam Dabram decederet absque herede ante obitum dicte Mari[slaue matris] sue, tunc omni occasione remota dicta domus et dictum dar (!) in prefatam Marislauam deueni ant[ . . . . et reuerti, eo saluo, quod si dictus Jacobus ipsius Dabre vir ab hodierna die in antea . . . . uel expensas fecerit in dicta domo eam reaci[na]ndo, parando, reficiendo uel alios quoquomodo . . . . . in suis stipendia . . . per duos bonos et fideles atque . . . . . . . homines ex una parte . . . . . . . debeat exstimari et eorum exstimatione dicta Marislaua [dicto Jacobo dare ac soluere teneatur et uenditam domum et prefatum dar (!) in se suscipere, ve[rum si . . . . . . s decederet prius quam dicta Dabra, extunc post ma . . . . . . . Dabra habeat di ctam domum et pre[fatum dar in omnimodam suam . . . . . . . . . . . et omnem ex . . . . . . . plautam uolu[ntatem] . . . . . de concordi atque communi omnium uoluntate, . . . . Jacobus autem dictam Marislauam conuenire . . . . . . . . . poss . . . . . . . . . in uita sua de bonis suis uel dicti Michaelis uiri sui Actum in domo dicte Mari[slaue] . . . . . . Kaçocte, Leono eius fratre Buccan[n e Çe[m]pli (!) Michaele Laurencii testibus et aliis . . . . . . Mar[tini examinaui

Ego magister Franciscus Anconitanus imperiali auctoritate notarius et nunc autem notarius ciuitatis [Spaleti, hiis] omnibus interfui et a sepedictis, Marislava, Dabra et Jacobo rogatus eorum omnium uoluntate scripsi [et robo]raui; dicte Marislaue un . . . et dicto Jacobo aliud feci simile instrumentum.

*(Monogram not.)*

*Original na desnoj strani krnj a sudiše i taninom oštećen u kr. ug. drž. arkivu u Budimu DL, 35.833. (bivša zbirka Kukuljevićeva).*

*Kukuljević Reg. no. 1108.*

## 45.

**1273, 15. decembra. U Trogiru.**

*Henrik biskup Kefalonije spominje stvari, koje su mu oduzeli omiški gusari, ali prisiže, da neće od njih ništa tražiti.*

1273 die 15. intrante decembris dominus Henricus natione Paduanus, episcopus Zefalonie et Jacenti, positus in civitate Tragurii libere et absolute, non coactus, sed sua plena et spontanea voluntate per suum sacramentum et officium confessus fuit et dixit, quod omnia que banus Stanoy et Saracenus cursarii de Almisio cum suis sociis sibi abstulerunt, sua bona primo fuerunt absque rebus acceptis ibidem Alberigo notario Veneto nuntio domini Mathei Sanuto Veneti, que eidem Alberto restitute fuere et exceptis tribus . . . . . f grossorum qui fuerunt nauclerio ligni, cetera sua omnia fuerunt et non alterius hominis. Qui dominus Henricus episcopus predictos omnes quitavit et absolvit de omnibus rebus sibi ablatis, promittens per suum sacramentum per se, nec per aliquam personam ulterius de rebus sibi acceptis aliquid nec petere, nec exigere aliquo tempore, iure aliquo et eis ulterius litem nec molestiam non inferre, nec inferri facere et ipsi cursarii aliquo tempore de predictis non teneantur aliter respondere, qui dominus episcopus predicta iuravit observare, ut ipse asserebat. Actum Tragurii in ecclesia monasterii sancti Joannis, presentibus domino Gervasio archidiacono, Martino canonico, dominis Valentino de Casarizza, Nicola Jacobi Vodovari et Lompre eius fratre, Duymo Domiche, Nicola Cosizze, Marino Mathei et domino Jacobo Andree nuntio Zadrae testibus et Stephano Maximi Puge examinatore.

*Lucius De regno et Cr. l. IV. c. 9. 179—180. — Kukuljević Reg. no. 1109.*

## 46.

**1273. U Čazmi.**

*Vojša i Marislav pred kaptolom čazmanskim prodavaju neki dio zemljišta Glodne za četiri dinarske marke Endreju i njegovim potomcima.*

Capitulum Chasmensis ecclesie omnibus ad quos presens scriptum peruenerit salutem in uero salutari. Ad vniuersorum noticiam harum

serie volumus peruenire, quod paruo Endrey de Gresenche ab una parte, Voysa et Marizlou fratre suo ab altera, coram nobis personaliter constitutis, iidem Voysa et Maryzlou de terra eorum Glodna vocata, quandam particulam metis seu terminis infrasriptis distinctam eidem Endrey et per eum suis heredibus heredumque suorum successoribus pro quatuor marcis denariorum banalium plene acceptis ab eodem et habitis, sicut dixerunt, iure perpetuo et inreuocabiliter possidendam se vendidisse sunt confessi. Mete autem terre uendite sicut magister Gregorius concanonicus noster, quem ad reambulandam ipsam terram miseramus, nobis recitauit, taliter distinguntur: prima meta incipit a parte septemtrionali in ualle, que uicinatur terre magistri Damyani iuxta quendam fluuium ab arbore byk cruce signata meta terrea circumfusa, inde tendit in eadem ualle superius ad partem orientalem et uenit ad caput eiusdem uallis vbi est arbor harast cruce signata meta terrea circumfusa, inde ascendendo superius uenit ad uiam vbi est arbor harast cruce signata meta terrea circumfusa, inde per eandem uiam uadit in ualle a a parte septemtrionis ad arborem harast cruce signatam meta terrea circumfusam, inde relinquendo terram dicti magistri Damyani procedit iuxta terram predictorum Voysa et Marizlou ad partem meridionalem, et uenit ad metam terream, inde descendit ad caput cuiusdam vallis vbi est meta terrea, inde uergit directe ad arborem harast que est iuxta uiam cruce signatam meta terrea circumfusam, inde per eandem uiam uadit per arbores harast cruce signatas ad partem meridionalem et uenit ad metam terream, inde eandem uiam transiendo procedit in ualle et uenit ad arborem gertan cruce signatam, meta terrea circumfusam, inde descendit ad uallem aquosam et procedens in eadem uenit ad arborem byk cruce signatam meta terrea circumfusam, inde exit de eadem ualle et tendens ad partem septemtrionalem uenit ad metam terream predicti Endrey, inde procedens in uia uenit ad metam terream que uicinatur terre dictorum Voysa et Marizlou, inde per eandem uiam tendens uenit ad unam metam terream que iuxta magnam uiam est, inde procedens per eandem magnam uiam per aliquantulum et relinquendo ipsam uenit ad metam terream, exinde procedens uersus partem occidentis uenit ad aliam metam terream, deinde transiens quemdam riuulum uadit ad arborem piri cruce signatam meta terrea circumfusam, inde directe uadit ad arborem keureus, inde descendit in fluuium et per eundem procedens inferius exit ad metam terream que est iuxta siluam aquosam, ibique terminatur. Que quidem meta terrea est super terra ipsius Endrey terre predictorum Voysa et Maryzlou commetanea. Nec hoc pretermittimus, quod iidem Voysa et Maryzlou ab accione et impeticione superuenientibus, sicut se obligauerunt, eundem Endrey tenentur

expedire propriis laboribus et expensis. Addicimus eciam, quod idem Endrey debet soluere debitum proueniens de ipsa terra, prout ipsius terre requirunt utilitatem. In cuius uendicionis et empcionis seriem et memoriam pleniorem presentes concessimus sigilli nostri munimine roboratas. Actum anno ab incarnacione domini millesimo ducentesimo septuagesimo tercio.

*Original u arkivu nadb. Donationalia. Pečat otpao.*

*Tkalčić Monum. episcop Zagrab. I. 169. -170. Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont. XII 87. no 86. donosi regest. — Kukuljević Reg. no 1118.*

## 47.

**1273.**

*Elizabeta starija kraljica daruje Dominiku Petrovu od plemena Čak Almaš na Dravi za velike zasluge.*

Elisabet dei gracia regina Hungarie universis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris presens scriptum inspecturis salutem in salutis largitore. Circumspecta reginalis benignitas debet non immerito pensare fidelitates et servicia singulorum et si non plene tamen aliqualiter sibi fideliter servientibus dignis remuneracionum premiis respondere, ut alii exemplo accensi ad fidelitatis opera facilius invitentur. Proinde ad universorum presencium futurorumque noticiam harum serie volumus pervenire, quod nos considerantes fidelitates et servitiorum merita nobilis viri Dominici comitis filii Petri de genere Chak, iudicis curie nostre, que nobis ex fervore mere fidelitatis exhibuit indefesse tum pro concambio possessionum suarum Muhi et Narag in comitatu de Vyuar existencium, item Zeulcus, Stara et Prische vocatarum in comitatu de Zemlen constitutarum, que nos ab eodem auferendo aliis tradidimus pro nostro libito voluntatis, tum pro effusione pro nobis sui cruoris cum quidam infideles incole regni nostri apud Albam ante tempus coronacionis carissimi filii nostri regis Ladislai contra nostram excellentiam manu armata insurgentes, idem gladium cuiusdam armati, qui prius in nostre maiestatis domum ausu temerario irruerat de manu eiusdem arripiens, mortis poterat subdere periculo, nisi aliorum sceleratorum et armatorum manus obstitissent; letale vulnus accepit et ibidem semivivus relictus domino largiente vix corporis recepit sanitatem; possessionem Hagamas vocatam sitam iuxta Danubium, ubi aqua Drawe in ipsum Danubium descendit, in comitatu de Wolko constitutam, cum omnibus appendiciis suis, circum-

stantiis, utilitatibus pertinentiis, sylvis videlicet vineis, pratis, feneto, piscinis, tributo tam in fluvio Drawe, quam Danubii constituto, ac universis ad ipsam villam Hagmas attinentibus, quoquo nomine censeantur, eidem comiti Dominico fideli nostro, de connivencia consensu et voluntate carissimi filii nostri regis et omnium baronum nostrorum, licet modica respectu possessionum suarum que ab ipso abstulimus et effusione pro nobis sui sanguinis, nec non servitiorum et fidelitatum suorum videatur dedimus, contulimus, concessimus, tradidimus et donavimus sibi et suis heredibus, heredumve successoribus iure perpetuo pacifice et irrevocabiliter possidendam. Ut igitur hec nostre donacionis series salva semper et illibata permaneat, nec processu temporum valeat per quempiam in irritum retractari, presentes concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis patris Philippi dei gracia episcopi Vaciensis, aule nostre cancellarii, fidelis nostri, anno ab incarnatione domini MCC. septuagesimo tertio.

*Fejér Cod. dipl. Hung. V. 2. 131—133. po diplomatičkom zborniku Széchenyevom, a veli, da je original u bečkom tajnom arkivu. Mi ga ne nadjosmo. — Kukuljević Reg. no. 1115.*

## 48.

**1273.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski vraća biskupu zagrebačkomu Medvedgrad kod Zagreba, što ga bijaše njekoć Bela IV. preuzeo za pohranu kraljevskoga blaga.*

Ladislaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus presentes litteras inspecturis salutem in uero salutari. Ad vniuersorum notitiam tam presencium quam futurorum harum serie uolumus peruenire, quod cum olym karissimus auus noster dominus Bela rex, felicis recordacionis, castrum quoddam iuxta Zagrabiam quod Medwewar nuncupatur, tempore translacionis domini Philippi tunc episcopi Zagrabiensis in ecclesiam seu archiepiscopatum Strigoniensem pro conseruando thesauro regio ad tempus ab ecclesia Zagrabiensi recepisset et licet postmodum ipsum castrum taliter a iam dicta ecclesia alienatum exstitisset et per banos ducatus Sclauonie, successiuo pro tempore constitutos, eo quod dictum castrum in confinio regni Sclauonie est constructum, guerra inter dominum Stephanum regem karissimum patrem nostrum clare memorie et regem Boemorum perdurante, ad conseruacionem illius prouincie retentum

fuisset et conseruatum. Tamen quia certo cercius constitit nobis per barones et nobiles regni nostri, quod iam dictum castrum ex bonis et sumptibus ecclesie nostre Zagrabiensis per prefatum uenerabilem patrem tunc prelatum ipsius ecclesie constructum fuerat et munitum Nos nolentes iuri cuiuspiam et specialiter iuri ecclesiastico derogare, attendentes maxime, quod uenerabilis pater Thymotheus episcopus prefate ecclesie Zagrabiensis, dilectus et fidelis noster, qui ne dum id quod suum et ecclesie sue ius attingit, de regali magnificencia mereretur, uerum eciam propter sue immense fidelitatis et seruiciorum merita maiora et amplіora sibi et ecclesie sue in perpetuitatibus seu donacionibus perpetuis debuisset promereri, predictum castrum Medwewar cum suis omnibus pertinenciis et utilitatibus vniuersis restituimus et reddidimus prefato uenerabili patri et capitulo ecclesie sue perpetuo possidendum pariter et habendum. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti Orodiensis ecclesie prepositi aule nostre uicecancellarii dilecti et fidelis nostri. Anno domini MCCLXX tercio, regni autem nostri anno secundo. Metropolitica sede Strigoniensis vacante, venerabilibus patribus Stephano Colocensi et Johanne Spalatensi archiepiscopis, Lamperto Agriensi, Briccio Chanadiensi, Job Quinqueecclesiensi, Paulo Wesprimiensi, aule nostre cancellario, Philippo Waciensi, aule domine regine consortis nostre karissime cancellario comite Neugradiensi, Lodomerio Waradiensi, Thimotheo Zagrabiensi, Dyonisio Jauriensi et Petro Transylvano episcopis ecclesias dei feliciter gubernantibus. Rolando palatino, Henrico bano tocius Sclauonie, Nicolao woywoda Transylvano comite de Zonuch, Jowachino magistro thauernicorum nostrorum comite de Pils, Egidio bano de Machow et de Bozna, Paulo bano de Scevrino, Renoldo magistro dapiferorum nostrorum comite Zalgageuriensi, Vgrino magistro agazonum nostrorum .comite Syrmiensi, Laurencio magistro pincernarum nostrorum comite de Kewe et de Krassow, Johanne comite Supruniensi, Gregorio comite Castri Ferrei, Moys comite Symigiensi, Dedalo comite Zaladiensi, Mychaele comite Nitriensi et aliis quam pluribus comitatus et honores regni tenentibus.

*U prijepisu ostrogonskoga kaptola od god. 1325. Pečat manjka. — U arkivu kaptola zagrebačkoga.*

*Tkalčić Monum. episc. Zagrab. I. 168.—169. i Monum. civit. Zagr. I. 50.—51. — Kercselich Hist. eccl. zagrab. 67. — Farlati Ill. sacr. V. 376—7. — Katona Hist. crit. VI. 647. — Fejér Cod. dipl. Hung. V. 2, 125. i VII. 5., 390.—391. Donosi potvrdu ostrogonskog kaptola od 1373. 5. marta. — Kukuljević Arkiv za jugoslav povj. III. 80. — Kukuljević Reg. no. 1112.*

## 49.

*Kraljica Elizabeta daruje Vladimiru sinu Čehovu zemlju Orjavicu u požeškoj županiji.*

[E]lisabeth dei gracia regina vniuersis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam tam presencium quam futurorum harum serie volumus peruenire, quod nos consideratis et inspectis meritoriis obsequiis et obsequiosis meritis magistri Aladarii filii Chechy fidelis nostri et eiusdem obsequia grata in lucem reuocare cupientes, que a primeuis puericie sue annis domino B(ele) socero nostro et postmodum domino Stephano consorti nostro karissimis et pie memorie quondam serenissimis regibus Vngarie et regno fideliter exhibuit et deuote se et sua propter nos diuersis casibus fortune submittendo, pro quibus de reginali magnificencia maiora et ampliora in largicionibus reginalibus debuisset promemeri, licet minima videantur que ad presens agimus. Respectu eorum que facere intendimus eidem in futurum, quandam terram Aryaicha vocatam in comitatu de Pasagua sitam, quam Petrus filius Chelleus de donacione regia tenuit et possedit et per mortem ipsius sine heredis solacio decedentis ad manus nostras de approbata regni nostri consuetudine deuolutam, que ipsi magistro A(ladario) primo per socrum nostram karissimam dominam M(ariam) quondam serenissimam reginam Vngarie que ipsam terram conferendi et donandi ius habebat collata fuerat de permissione et consensu predicti domini B(ele) quondam regis et donata pro eo, quod primicias gaudiorum natiuitatis karissimi filii nostri regis Ladyzlay eidem detulerat magister Aladarius antedictus et per dominum Stephanum consortem nostrum karissimum eo, quod contra ipsum magistrum A(ladarium) motus extiterat reuocata et translata ad dominium diuersarum personarum, de uoluntate et consensu eiusdem karissimi filii nostri regis L(adizlai) et omnium baronum regni nostri reddidimus et restituimus, ymmo damus et conferrimus ipsi magistro A(ladario) et per eum suis heredibus heredumque successoribus iure perpetuo et irreuocabiliter possidendam in eadem consuetudine et libertate, quibus aliorum nobilium de Pasagua de genere quondam Borych bani terre et possessiones possidentur et sub eisdem metis limitibus et circumstanciis, quibus fuerant primitus limitata, hoc expressim annotato, quod omnia instrumenta et priuilegia uel quecunque munimenta que super donacione, collacione et translacione memorate terre Nicolao filio Laurencii uel aliis quibus-

cunque de incolis regni nostri quocunque modo ingenio uel ordine usque datam presencium emanassent, cassa et irrita habeantur et viribus careant et uitentur; solo presencium tenore litterarum circa presentem donacionem et collacionem nostram sepedicto magistro A(dario) factas uigorem, robur et fortitudinem optinente. Ceterum concessimus et concedimus, quod si dictum magistrum A(ladarium), quod absit, heredis solacio destitui contingat, dictam terram legandi, donandi, a se alienandi uel distrahendi cuicunque uoluerit inter viuos uel in morte liberam et absolutam habeat facultatem. In cuius rey memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis patris Philippi episcopi Vachiensis aule nostre cancellarii comitis Neugradiensis fidelis nostri, anno domini M° ducentesimo, septuagesimo tercio.

*Original u kr. ug drž. arkivu u Budimu M. O. D. L. no. 33.850 Stara signatura N. R. A. fasc. 1532. no. 21.*

*Na listini visi zelena i žuta svilena vrvca s ulomcima pečata.*

*Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont. IX. 38. donosi opširni regest iz budim. komor. arkiva. — Kukuljević Reg. no. 1114.*

## 50.

**1273. U Čazmi.**

*Čazmanski kaptol svjedoči, da je Ladislav brat Gavre dao samostanu sv. Marije u Garešnici dva vinograda.*

Capitulum Chazmensis ecclesie vniuersis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam peruenire volumus presencium per tenorem, quod Ladislaus frater Gabrielis coram nobis personaliter constitutus confessus est se donasse seu legasse pro remedio anime sue fratribus sancti Augustini de Gresenche apud ecclesiam beate virginis commorantibus duas vineas in medio terre sue constitutas, quarum vna sicut dixit est sita in quodam monte a parte orientis, alia uero est sita in monte a parte occidentis iuxta quam est magna via, iure perpetuo et irreuocabiliter possidendas, tali caucione interposita, quod si quispiam eosdem fratres racione dictarum vinearum inpetere seu molestare attemptaret, idem Ladislaus predictos fratres tenetur expedire ab omni inpeticione et indempnes conseruare in hac parte proprijs laboribus et expensis. Vt igitur prefate donacionis seu legacionis series robur perpetue obtineat firmitatis, presentes ad peticionem

et instanciam eorundem fratrum contulimus sigilli nostri munimine roboratas. Actum anno domini M⁰ ducentesimo septuagesimo tercio.

*Iz prijepisa istoga kaptola od g 1325. 2. septembra kako ga je potvrdio kralj Ljudevit g 1362 4. aprila. Original potonje listine na pergameni u kr. ug. drž. arkivu u Budimu M. O. D. L. 35.153. Stara signatura Acta monast. Garig. fasc II. no. 2. Prijepis čazm. kaptola od 1325 2 sep. prepisao je isti kaptol još g. 1367. 24. aug. Ibidem M. O. D. L. 35.154 Stara sign. Acta mon. Garig fasc. II no. 17.*

*Kukuljević Reg. no. 1119.*

## 51.

**1273.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski vraća Vidu, Mateju i Petru sinovima župana Andrije posjede Odru i otok Preluku, koje im je nekoć oteo ban Stjepan.*

Ladizlaus dei gracia Vngarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in omnium saluatore. Equitati conuenit et est consentaneum calculis racionis, ut vbicunque noster exposscitur(!) consensus, iustis petencium votis annuamus et in subiectorum nostrorum ordinamentum nostra accedat auctoritas, nostri quoque munimen patrocinii tribuatur. Proinde ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod Lucas, Wid, Matheus et Petrus filii Endre comitis fideles nostri ad nostram presenciam accedentes nobis conquerendo retulerunt, quod Stephanus quondam banus Sclauonie quandam particulam terre eorum hereditarie Odra vocate ad unius aratri vsum et dimidii deputatam et quandam insulam similiter de quadam terra eorum hereditaria falcatam Conschan vocata ad vnum dumtaxat aratrum sufficientem Preloca nuncupatam ab eis alienasset iuris ordine pretermisso et cum instancia pecierunt, quod eis reddere et restituere de benignitate regia dignaremur. Nos igitur qui pretextu suscepti (!) regiminis unumquemque subiectorum nostrorum in suis iuribus manutenere et conseruare intendimus, peticiones prefatorum Luce, Wid, Mathei et Petri fore censuimus legitimas atque iustas et eas de magnificencia et munificencia regia duximus admittendas, predictas particulas terre eorum per iniuriosam translacionem ab eis indebite separatas, eisdem filiis Endree comitis et per eos ipsorum heredibus heredumque suorum successoribus

de voluntate domine regine karissime matris nostre et omnium baronum nostrorum reddentes, restituentes et eciam resignantes, tum ipsorum iustis et legitimis peticionibus inclinati, tum eciam iusticiam et iura, quam et quod imitari intendimus obsequentes et volumus, quod ipsas particulas terre sue illo iure rehabeant, ea plenitudine mere restitucionis teneant et eis hiisdem firmitatis priuilegiis dominentur, secundum quod progenitores eorum primitus et ipsi postmodum eas habuerunt, tenuerunt et possederunt. Cum constiterit nobis certo cercius a terris eorum, ut premisimus esse eas indebite sincopatas In cuius rei certitudinem presentes nostras concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti Orodiensis ecclesie prepositi aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno ab incarnacione domini millesimo ducentesimo septuagesimo tercio, regni autem nostri anno primo. Venerabili viro magistro Nicolao sancte Strigoniensis ecclesie electo et perpetuo comite loci eiusdem et comite de Plis, aule nostre cancellario et venerabilibus patribus Stephano Colocensi et Johanne Spalatensi archiepiscopis, Lamperto Agriensi, Job Quinqueecclesiensi, Philippo Waciensi aule domine regine matris nostre karissime cancellario comite Naugradiensi, Paulo Vesprimiensi, Briccio Chanadiensi, Timotheo Zagrabiensi, Lodomerio Waradiensi, Dionisio Jauriensi, Petro Transiluano et aliis episcopis ecclesias dei feliciter gubernantibus. Laurencio palatino comite Supruniensi et de Barana et iudice Cumanorum, Herrico bano tocius Sclauonie, Egidio bano de Macho, Johanne woiawoda Transiluano comite de Zonuk, Stephano magistro tauarnicorum, Ladizlao iudice curie nostre comite de Bana, Paulo bano de Zeurino, Reinoldo magistro dapiferorum comite Zulugageuriensis, Laurencio magistro pincernarum comite de Kewei et de Crasu, Vgrino magistro agasonum comite Sirimiensi, Emerico comite Simigiensi, Gregorio comite Castri Ferrei, Dedalo comite Zaladiensi, Salomone comite Albensi, Michaele comite Nitriensi et aliis quam pluribus comitatus regni tenentibus et honores.

*Original krasno uščuvan u kr. ug. drž. arkivu u Budimpešti M. O. L. 32988. Stara signatura: N. R. A. fasc. 135. no. 19.*

*Na listini visi žuta i crvena svilena vrvca bez pečata.*

*Laszowski Spom. Turopolja I. 27—28.*

## 52.

**1273. U Križevcima.**

*Henrik ban vraća po nalogu kraljevom zemlje Odru i Preluku sinovima Andrijinim.*

Nos Herricus banus tocius Sclauonie significamus tenore presencium vniuersis, quod Lucach, Wid, Matheus et Petrus filii Endyri (!) ad nostram accedentes presenciam exibuerunt nobis litteras domini nostri L(adizlai) regis Hungarie in quibus nobis precipiebat, quod quandam particulam terre eorum hereditarie Odra vocate ad vnius aratri vsum et dimidii et quandam insulam similiter Preloca uocatam, quam ab eisdem Stephanus quondam banus Sclauonie per potenciam alienarat, eisdem restituere deberemus, prout in eiusdem domini nostri regis priuilegio exinde confecto videremus plenius contineri. Nos itaque preceptis domini nostri regis obtemperantes, ut debemus, presentibus Ladizlao filio Gymzina[1] comite terrestri, Iwan filio Menezlay, Obulgano filio Domomyr, Rados filio Georgii, Paulo filio Wida et Bosenc iobagionibus castri Zagrabiensis ceterisque sociis eorundem, a quibus eciam cum essemus Zagrabie sciscitati fuimus et comperimus prefatam particulam terre et insulam ipsorum filiorum Endyri fuisse hereditarias ab antiquo, inspecto et priulegio domini nostri regis, sicut eiusdem series continebat, cui nec per prefatos iobagiones castri extitit contradictum, restituimus et reliquimus sepedictis filiis Endyri perpetuo et irreuocabiliter, prout eorum fuit antea, possidendas. Quam quidem particulam terre et insulam per eosdem filios Endyri ac eorum heredes heredumque successores eadem plenitudine, sicut in dicto priuilegio domini nostri regis plenius continetur, uolumus pacifice possideri. In cuius rei memoriam presentes concessimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Datum in Crisio anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo tercio.

*Original u kr. ug drž. arkivu u Budimu: M. O. D. L. no. 32.987. (Stara sign. N. R. A. fasc. 135 no. 20.) — Na listini visi svilena vrvca crvene i modre boje, pečata nema. — Na hrptu rukom 15. stoljeća. super Odra et Preluk[i]s.*

*Kukuljević Reg. no 1117. — Laszowski Spomen. Turopolja I. 28—29.*

---

[1] Gymzina nije stalno, jer je na ovom mjestu listina trošna.

## 53.

**1273. U Čazmi.**

*Kaptol čazmanski posvjedočuje prodaju zemlje darovane od kralja Bele u Garešnici.*

Capitulum Chasmensis ecclesie Christi fidelibus ad quos presens scriptum perveuerit universis salutem in omnium salvatore. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod comite Demetrio, Jacobo et Sebastiano filiis Demetrii ab una parte, Olup de Gresenche ab altera in nostra presencia personaliter constitutis, idem Olup porcionem suam ipsum in terra, quam idem et Jhoannes (propinquus) suus ex donacione et collacione Bele incliti regis Ungarie felicis recordacionis tenuerunt et possederunt, contingentem totaliter et omnino cum pertinenciis, adiacenciis et utilitatibus suis universis sub eisdem metis limitibusque et signis, que in privilegio eiusdem Bele regis continentur, confessus est vendidisse eisdem filiis Deme et per eos eorum heredibus heredumque in posterum successoribus inrevocabiliter habendam et perpetuo possidendam pro sedecim marcis, quas dictus Olup dixit se a filiis Deme memoratis plenarie recepisse coram nobis et habere. Ut igitur prescripte vendicionis series robur perpetue stabilitatis obtineat, nec per quempiam decursu prolixi temporis valeat retractari• seu in irritum revocari, presentes ad instanciam et peticionem predictarum parcium coram nobis presencialiter astancium concessimus apposicione sigilli nostri communitas. Datum et actum anno domini millesimo CC° septuagesimo tercio.

*Po originalu u arkivu grofova Erdödya u Glogovcu. Trag pečata, koji je visio na crvenoj svilenoj vrvci.*

*Cod. dipl. patrius VII. 146. no. 110.*

## 54.

**1273.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski podjeljuje zemlju Devču u garičkoj županiji županu Ruhu.*

Ladislaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex universis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in omnium salvatore. Ad universorum

noticiam harum serie volumus pervenire, quod comes Ruh fidelis noster ad nostram accedens presenciam quandam terram castri nostri Symigiensis Decche vocatam in Garig existentem, dicendo ipsam terre sue inmediate adiacere a nobis sibi dari postulavit. Verum quia nobis de ipsius terre qualitate et quantitate ad plenum veritas non constabat, fidelibus nostris capitulo Chasmensi dedimus in mandatis, qui postmodum nobis rescripserunt, quod magister Emericus, tunc comes Symigiensis homo noster ad hoc specialiter deputatus, predictam terram terre ipsius comitis Ruh empticie similiter Decche vocate, mixtim adiacentem presentibus omnibus commetaneis et vicinis sub testimonio eorundem, reambulatam cum tribus vineis in monte Garygiensi et una in monte Gorgou existentibus ad eandem terram spectantibus statuisset et assignasset comiti Ruh predicto, nullo vocem contradiccionis penitus opponente. Nos igitur, qui ex officio suscepti regiminis, pensare tenemur, merita singulorum et eis occurrere muneribus donativis attendentes fidelitates et serviciorum merita, eiusdem comitis Ruh, qui a primevis puericie sue temporibus domino Bele avo nostro et Stephano patri nostro karissimo illustribus regibus Ungarie piarum recordacionum exhibuit indefesse et eciam coram nostre maiestatis oculis cum omni fervore fidelitatis studuit multipliciter conplacere, se et sua variis exponere periculis in diversis nostris expedicionibus non formidans, predictam terram Decche cum omnibus utilitatibus suis et vineis predictis eidem comiti Ruh et per eum suis heredibus heredumque suorum successoribus dedimus, donavimus et contulimus perpetuo et irrevocabiliter possidendam. Cuius quidem terre mete prout in litteris dicti capituli vidimus contineri hoc ordine distinguntur: Prima meta incipit a parte occidentali in monte super arbore harazt cruce signata meta terrea circumfusa sita iuxta viam, per quam procedens venit ad aliam arborem harazt cruce signatam meta terre. Inde descendens intrat in fluvium Zabrudna vocatum, per quem procedens cadit in aquam Garig, inde per eandem aquam Garig procedens venit ad locum ubi quidam rivus Deccha vocatus cadit in predictam aquam Garyg. Inde per ipsum rivum Deccha procedens superius versus partem occidentis exit versus partem septemtrionis ad montem et venit ad arborem cerasi cruce signatam meta terrea circumfusam, ubi conmetatur terre empticie comitis Ruh prenotati et sic terminatur. In cuius rei testimonium et perpetuam firmitatem presentes concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti Orodiensis ecclesie prepositi et aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri. Anno domini M⁰CC⁰ septuagesimo tercio, regni autem nostri anno primo. Venerabilibus patribus Stephano Colocensi et Johanne Spalatensi archiepiscopis, Lamperto Agriensi, Job Quinque-

ecclesiensi, Briccio Chenadiensi, Paulo Vesprimiensi, aule nostre cancellario, Philippo Vaciensi aule domine regine karissime matris nostre cancellario, Thymotheo Zagrabiensi, Dyonisio Jauriensi et Petro Transilvano episcopis ecclesias dei feliciter gubernantibus, Rolando palatino et iudice Cumanorum, Herrico bano tocius Sclavonie, Matheo voyavoda Transilvaniensi comite de Zounuk, Joachino magistro tavarnicorum nostrorum, Alexandro comite curie nostre comite de Vrbaz, Reynoldo magistro dapiferorum nostrorum comite Zulgageuriensi, Emerico comite Symigiensi, Dedalo comite Zaladiensi, Michaele comite Nitriensi et aliis quam pluribus comitatus regni nostri tenentibus et honores

*Cod. dipl patrius. VII. 114 -6 Po originalu u arkivu grofova Erdöda u Glogovcu.*

*Kukuljević Reg. no. 1113.*

## 55.

**1273. U Zagrebu.**

*Henrik ban obznanjuje da su Jarmanići i Rastinarići polovicu svoje zemlje u Broćini prodali Perčinu.*

Nos Herricus banus tocius Sclauonie significamus omnibus presens scriptum inspecturis, quod Gregorius pro se et fratribus suis Dedosa et Desoyn vocatis, Poscyl filius Miruzlai, Gordina filius Raduzlai pro se et pro Draguina, Demensa filius Hernan, Godim[er] filius Durguan, Thomas filius Vid[oz]lai pro se et Vidomero et Vgrinch, Dobrilo frater eius, Ko . . . . . bus, Petk pro se et pro Bratk fratre suo et Volk filius Vol . . . . nobiles de Brochina, qui uocantur Jarmanigi et R[azti]na gi a parte una, Perchinus comes ab altera coram n[obis consti]tuti, idem Jarmanigi et Raztinaigi protestati sunt, dimidiam partem porcionis sue quam habent in magno monte in Brochina, scilicet dimidietatem sexte partis ipsos contingentem se uendidisse Perchino comiti pro quadraginta marcis, quas ab se plene dixerunt recepisse sibi et suis heredibus in perpetuum possidendam; aliam autem medietatem sibi reseruauerunt. In cuius rei firmamentum litteras nostras concessimus ad peticionem parcium. Datum Zagrabie anno domini M°CC°LXX°III°.

*Original u kr. ug. drž. arkivu u Budimu: M. O. D. L. no. 846. (Stara sign. N. R. A. fasc. 1532. no. 18.). Listina je na ovećem mjestu krnja. Na svilenoj vrvci crvene i zelene boje visi odlomak banova pečata.*

*Wenzel Cod. dipl. Arpad cont. IX. 41. — Kukuljević Reg. no 1116.*

## 56.

**1273.**

*Petar Kupša prodaje neke svoje zemlje u Predišincu s mlinom na Orljavi županu Kupši.*

Capitulum ecclesie beati Petri de Posega omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris salutem in domino sempiternam Ad vniuersorum notitiam harum serie volumus peruenire, quod Petrus Cupse pro se et filiis suis, Nemana filius Budak pro se et pro fratribus suis ab vna parte, comes Cupse et Conrardus frater eiusdem filius comitis Petri ab altera coram nobis personaliter sunt constituti et idem Petrus ac Nemana confessi sunt viva voce, quod quandam terram ipsorum hereditariam unanime possessam sitam in Predisinch cum omnibus utilitatibus suis et pertinentiis, molendino sito super fluvio Oriaua ac duas vineas ipsorum sitas super terram Mortunus, Odula, Philipi, Mirozlai, Tucen et Symonis pro debito decem marcarum, quas a comite Cupse et fratre eiusdem se plene recepisse dicebant et eisdem sibi teneri ex volunptate Symonis, Tucen et Mirozlay filiorum Omehyth, Odula, Mortunus prelibati, Philippi filiorum Mortun, Prosa, Bogda filiorum Zvoysa, Bolezley, Bolerad filiorum Nadehna, Marthyn, Petin, Petrus Odolini et Jacobi filiorum Prodasa, Mortun et Mortunus filiorum Bosay et cognationum eorundem Pousc filii Dabichna et cognationis eiusdem Misecha Dragoth et cognationis eiusdem Fabiani comitis cognationisque eiusdem, Brahata et fratris sui filiorum Radyn supradicto comiti Cupse et fratri suo vendidissent et locassent perpetuo possidendam. Mete autem eiusdem terre, sicut iidem nobis retulerunt, hoc ordine distinguntur: Prima meta incipit iuxta quoddam malaka tendens ad meridiem iuxta terram filiorum Omehit et filiorum Mortun ad arborem piri sub qua est meta terrea; inde ad metam terream, inde ad fluvium Oriava et ibi est meta terrea, transitoque ipso fluvio Oryava pervenit ad arborem kuguen et ibi est meta terrea; inde similiter ad metam terream post hec vadit ad quoddam aliud malaka et pervenit ad arborem zyl, inde intrat sylvam et exit ad arborem tyz sub qua est meta terrea, inde transit magnam viam et ibi est meta terrea; inde venit ad arborem munuro et ibi est meta terrea, inde ascendit ad berch et venit ad arborem harazth, inde transit silvam et pervenit ad arborem byk et ibi est meta terrea, inde ad arborem zyl, inde tendit uersus occidentem et intrat in quoddam potok Vinnipotok vocatum ibique cometatur terre filiorum Radyn et in modico reflectitur versus septemtrionem in eodem potok et exit ad arborem ihor, inde

tendit ad arborem piri et ibi est meta terrea, inde transit magnam viam ad arborem tyz et ibi intrat silvam et venit ad arborem harazth, inde ad fluvium Oryava et ibi est meta terrea, inde reflectitur ad orientem et ibi exit ad arborem ihor ad metam terream, inde ad aliam terream ibique intrat silvam et venit ad malaka supradictum ibique terminatur. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes eidem comiti Cupse et fratri suo concessimus literas sigilli nostri munimine roboratas.. Datum anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo tertio.

*Iz potvrde kaptola požeškoga od g. 1305, dotično prijepisa te potvrde učinjenog u Budimpešti 22. januara 1833. po Mihajlu Czigleru, vicearkivaru komorskom. Prijepis taj nalazi se u kr. drž. arkivu u Budimpešti M. O. D. L. no. 848., stara sign. N. R. A. fasc. 1597 no. 8.*
*Kukuljević Reg no. 1121.*

## 57.

**(1273.—1314.) 28. oktobra. U Brnacima.**

*Jelena kraljica srpska obećaje, da će biti prijateljica Dubrovčanima, i da će ih obavijestiti, ako bi im zaprijetio rat od kralja srpskoga.*

**Ѥлѣна милостию божиѡвь кралица все српске земле и поморьске, ѡбѣтую се архиепискупу дубровьчькому и кнезу и всои опкинѣ градьскои у господа бога вседрьжитела и у прѣчисту ѥго матерь и у чьстны и животворещи крьсть господьнь и у света божиꙗ ѥваньгелиꙗ и три ста и ѡсмь (на) десеть ѡтьць никѣискихь и у все свете богу угодивше ѡть вѣка, како хвю любити вьсь градь и како му приꙗю владыке, кое су у градѣ, тако да га и ꙗ люблю, и такоге да му приꙗю. И ако приду купци дубровьчьи бес-крала у мои дворь, що имь исхаби моимь посланиемь или на мое приꙗтельство или нѣкто властелинь или кто годѣ, все да имь ꙗ плакю. И ако име хтѣти краль послати воиску на Дубровникь или гусу или що годѣ пакостити Дубровнику, да е ѡдь мене вѣдѣние у градѣ колико наивеке могу брьзо, и да сьмь у всаку вашу неволю. И овози ꙗ пишу маломy брату Никулѣ и брату ѥгову Франьчиску и господомь дубровьчьскимь Михоилу Беньчулинию и Петру Богданикю, и сие писание пишу на Семиюнь дьнь у Брьнацѣх. И овози ѥ име архиепискупа дубровьчкога Али-**

ѡрда и кнеза дубровьчкога Иванъ Сторлатъ, ꙋ кое се врѣме сиꙗ книга писала. И ꙗ поставлꙗю мою печать на сиѥи книзѣ

Ѥлѣна милостию божиѡмь кралица все срьске земле и поморске.

*Miklosich Mon. Serb. 69—70.*

## 58.

**1274, 12. januara.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski potvrdjuje Perčinu prodaju zemlje kraj grada Rovišća.*

Ladizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus presens scriptum inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod fidelis noster comes Perchinus in nostri comparens presencia exhibuit et hostendit nobis priuilegium karissimi patris nostri domini Stephani regis inclite recordacionis, in quo uidimus contineri; quod serenissimus Bela rex auus noster contulerat et donauerat eidem comiti Perchino quandam terram castri de Ryuche, que uillicatus Machyk nuncupatur, iuxta aquam Velyka existentem cum que priuilegio perpetuo possidendam, quod quidem priuilegium aui nostri insertum erat de uerbo ad uerbum ipsi priuilegio domini patris nostri, et per idem confirmatum; que eciam priuilegia demum et nos super huiusmodi collacione prefato comiti Perchino facta approbantes, cum nostro feceramus priuilegio confirmari. Sed quia placuit eidem comiti Perchino dictam terram exponere uendicioni, peciit a nobis placide et instanter, ut sibi de regali magnificencia concederemus, quod dictam terram suam donaticiam possit et valeat libere exponere uendicioni. Nos igitur iustis eiusdem comitis Perchini precibus fauorabiliter annuentes, concessimus et permisimus sibi uendere cuicumque uellet terram supradictam. Idem itaque comes Perchinus in eodem instanti dedit, tradidit et uendidit coram nobis ipsam terram de Ryuche, que uillicatus Machyk dicitur, Alexandro de Mehus personaliter in nostri presencia constituto pro ducentis et sexaginta marcis communis argenti sibi plenarie, sicut dixit persolutis, sub eisdem metis et terminis in dictis priuilegiis comprehensis, perpetuo et irreuocabiliter possidendam. Ut igitur huius uendicionis series ex nostra permissione facte perpetuo perseueret, nec per quempiam possit in irritum retractari, presentes eidem Alexandro comiti

dedimus litteras, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti prepositi Budensis aule nostre vicecancelarii dilecti et fidelis nostri, anno domini millesimo CC⁰ septuagesimo quarto, pridie idus ianuarii, regni autem nostri anno secundo. Metropolica sede Strigoniensis ecclesie vacante, venerabilibus patribus Stephano Colocensi et Johanne Spalatensi archiepiscopis, Lamperto Agriensi, Briccio Chanadiensi, Job Quinqueecclesiensi, Paulo Wesprimiensi aule nostre cancellario; Phylyppo Waciensi aule domine regine karissime consortis nostre cancellario; Lodomerio Waradiensi, Thymotheo Zagrabiensi, Dyonisio Jauriensi et Petro transsiluano episcopis ecclesias dei feliciter gubernantibus. Dyonisio palatino comite de Oclych iudice Cumanorum, Herrico bano tocius Sclauonie, Nycolao woyuoda Transiluano comite de Zonuk, Joachino magistro tauarnicorum nostrorum comite de Plys, Paulo bano de Zeurino, Reynoldo magistro dapiferorum nostrorum comite Zulgageuriensi, Herbordo magistro agasonum nostrorum comite de Barana, Laurencio magistro pincernaram nostrorum comite de Keue et de Crasu, Johanne comite Supruniensi, Gregorio comite Castri Ferrei, Moys magistro tauarnicorum domine regine karissime consortis nostre, comite Symigiensi, Dedalo comite Zaladiensi, Jacobo comite Nytriensi et aliis quam pluribus comitatus regni tenentibus et honores.

*Original u kr. ug. drž. arkivu u Budimu: M. O. D. L. no. 853 Stara signatura: N. R. A. fasc. 551. no 22. Na listini nalazi se svilena vrvca žućkaste boje, pečata nema. — Na hrptu savremeno »Privilegium super facto de Rinche«.*

*Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont. IX. 49—51. Kukuljević Reg. no 1122.*

## 59.

**1274, 26. januara.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski daruje knezu Andriji za velike zasluge Jelen i Pobor i izuzimlje ih gradu Vukovaru.*

Ladislaus dei gratia Hungarie etc. salutem in omnium salvatore. Ad regimen regie dignitatis pertinet metiri merita singulorum, ut quos fidelitatis inconvulsae stabilitas et indefessus devotionis fervor insignit titulis meritorum, eos attollat favoribus regiis et dignis praemiorum remunerationibus accendat ad fidelitatis opera potiora. Proinde ad universorum notitiam tenore praesentium volumus peruenire: quod cum comes Andreas filius Iwan, fidelis a primo iuventutis suae principio, avo nostro

ac patri nostro, victoriosissimis Ungarorum regibus, piarum recordationum, ac nobis demum ex conspicuis actibus meruisset multipliciter complacere, diversis fulgens meritorum virtutibus, in omnibus regni expeditionibus se ac suos dubiis fortunae casibus et diversis belli eventibus pro regni commodo et coronae nostre defensione submittere non verendo Nos meritorum eiusdem non immemores, in aliqualem recompensationem suorum servitiorum, licet pro modico reputemus, quae ad presens agimus, respectu eorum quae facere intendimus et meretur, quasdam terras castri nostri de Wolko, Jelen et Pobor vocatas, exemptas penitus ab ipso castro, eidem comiti Andreae et per eum suis successoribus, heredibus heredumque suorum successoribus cum omnibus utilitatibus et pertinentiis suis, ac sub iisdem metis ac terminis, quibus antea limitatae fuerant, dedimus, donavimus et contulimus iure perpetuo et irrevocabiliter possidendas. Ut igitur haec nostra donatio liberaliter facta robur perpetue firmitatis obtineat, nec possit per quempiam lapsu temporis in irritum revocari, praesentes concessimus litteras sigilli nostri dupplicis munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti, Budensis ecclesie prepositi, aule nostre vice-cancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno 1274, VII kalendas februarii, regni autem nostri anno secundo. Vacante sede Strigoniensi, venerabilibus patribus Stephano Colocensi et Joanne Spalatensi archiepiscopis, Lamperto Agriensi, Briccio Chanadiensi, Philippo Vaciensi aule domine regine charissime consortis nostre cancellario, Paulo Vesprimensi aule nostre cancellario, Ludovico Varadiensi, Timotheo Zagrabiensi, Dyonisio Jauriensi et Petro Transsilvano episcopis ecclesias dei fideliter gubernantibus. Dyonisio palatino comite de Oklich et iudice Cumanorum, Henrico bano tocius Sclavonie, Nicolao woyvoda Transsylvano comite de Zonuk, (Joachino) magistro tavernicorum nostrorum, Nicolao iudice curie nostre comite de Guechke, Paulo bano de Zeurino, Herbordo magistro agazonum nostrorum comite de Barania, Rainoldo magistro dapiferorum nostrorum comite Zolgagzonensi (!), Nicolao magistro pincernarum nostrorum comite de Bereg, Moys magistro tavernicorum domine regine carissime consortis nostre comite Simigiensi, Daedalo comite Saladiensi et aliis quam pluribus comitatus regni nostri tenentibus et honores.

*Fejér Cod. dipl. Hung V 2. 147 148. po Hevenessievoj zbirci u budimpeštanskom sveučilištu. Mi dopunismo po Hevenessiu nepotpuno od Fejera izdanu listinu. — Kukuljević Reg no. 1123.*

## 60.

**1274, 2. februara. U Spljetu.**

*Ivan nadbiskup spljetski zapovijeda svim svojim sufraganima, neka tjeraju iz svojih biskupija dominikanske otpadnike.*

Johannes divina miseratione Spalatensis archiepiscopus venerabilibus fratribus suffraganeis suis dominis episcopis Traguriensi, Scardonensi, Nonensi, Tiniensi, Pharensi, Corbaviensi nec non et Seniensi ac dilectis in Christo filiis abbatibus, plebanis, caeterisque ecclesiarum prelatis per provinciam Spalatensem constitutis presentes litteras inspecturis salutem eternam in omnium salvatore. Cum ordinem fratrum Predicatorum deo carum et acceptum mundi lumen, ecclesiae columpnam, prelatorum oculum, hominibus cunctis salutiferum utilem et per omnia fructuosum sincero, sicut debemus, amplectamur amore, ac in omnibus, maxime in suis iuribus et gratiis specialiter sibi a sede apostolica concessis prosequamur plurimo favore et intendamus extollere debito cum honore, universitatem vestram rogamus et monemus in domino attentius, quam possumus ac vobis auctoritate, qua fungimur, in virtute obedientiae firmiter precipimus universis, quatenus dei timorem ac nostrum honorem atque amorem habentes pre oculis, omnes apostatas Predicatorum ordinis in finibus vestris gyrovagantes de nostris terminis auctoritate vestra et nostra eiiciatis et expellatis, tamquam luminaria orbis conversa in tenebras infernales et in sidera errantia commutata. Quod specialiter vobis precipimus de fratre Michaele quondam socio nostro, nunc autem apostata obominabili effecto, contempto dei timore et nostro honore, ut eum nullatenus retinere, aut fovere in vestris diocesibus vel terminis audeatis, quin potius ipsum et omnes alios consimili morbo laborantes, cum sint excommunicati, procul expellatis et eosdem fratribus predicti ordinis tradite captivatos, cum vobis fuerit opportunum, ne provinciam nostram corumpant et inficiant pravis conversationibus et exemplis. Datum Spaleti anno domini MCCLXXIV., intrante mense februarii, in dominica Ypopanti.[1]

*Farlati Illyr. sacr. III. 286. — Kukuljević Reg. no. 1124.*

[1] Ima biti: Hypaparte = festum purificationis b. virg. Mariae.

## 61.

**1274, 19. februara. U Spljetu.**

*Radi se o polovici kuće na korist samostana koludrica svetog Benedikta.*

In nomine domini nostri Jesu Christi amen. Anno a natiuitate eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, indictione secunda, Spaleti, die lune, decima exeunte februarii, regnante domino nostro Ladislao serenissimo rege Hungarie, temporibus domini Johannis venerabilis archiepiscopi Spalatensis, domini Pauli de Birberio illustris comitis, egregii viri domini Rogerii Lupi de Firmo potestate Spaleti, ac dominorum Dragi Maioris, Dobri Duscize et Josepho Petri iudicum. Domina Stana abbatissa monasterii sancti Benedicti cum consensu et uoluntate suarum sororum monacharum dicti monasterii ibidem presentium scilicet dominarum Dabrizze, Mari[e], Dunnanne, Ugrazze, Francisce, Dessazze atque Tole pro se suisque sororibus omnibus conventus ipsius monasterii licet absentibus non vi, non dolo, nec aliqua necessitate coacta, sed bona et spontanea uoluntate confirmauit, rectificauit et aprobauit in totum concessionem, dacionem et tradiccionem, quam domina Cazza uxor quondam Gregorii Scirizzi fecerat filie sue Bolliue de medietate sua cuiusdam domus, quam cum eadem Bollislaua sua filia comunem habebat et indivisam positam in civitate Spaleti apud ecclesiam sancti Johannis de fonte iuxta domum Dragoslaue relicte Dragi Ulcine, sicut patet instrumento publico scripto manu mei notarii infrascripti, quibus concessioni, dacioni et traccioni consenciens pro se suisque successoribus dicta abbatissa nomine supradicti monasterii cum consensu et uoluntate suarum antedictarum sororum renunciauit omni iuri et accioni ecclesiasticis et ciuilibus, quod et quam dictum monasterium uel ipsa seu successtrices(!) pro dicto monasterio habebat in dicta medietate domus, uel habere poterat, seu in futurum modo aliquo habere sperabat. Actum in camera dicte abbatisse presentibus Martinusio Dimitri, Jacobo Petri testibus et aliis.

Ego Symon Martini examinaui.

Ego magister Franciscus Anconitanus imperiali auctoritate notarius civitatis Spaleti iis omnibus interfui et a supra dicta domina abbatissa rogatus eius uoluntate suarumque prenominatarum sororum scripsi et roboraui.

*(Signum notarii.)*

*Original u arkivu samostana svete Marije u Zadru.*

## 62.

**1274, 24. aprila. In Och.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski opominje Šibenčane neka ne uznemiruju vjerne njegove Trogirane.*

Ladislaus etc fidelibus suis comiti Georgio, potestati, iuratis et civibus de Sibenigh salutem et gratiam. Intelleximus, quod vos cives nostros de Tragurio incessanter molestaretis, plurima damna eisdem inferendo, super quo vestre fidelitati precipiendo mandamus, quatenus nullam molestiam, nullum damnum predictis civibus de Tragurio ulterius inferre presumatis, quia nos predictos cives de Tragurio et populos ecclesie nostre Traguriensis in nostram recipimus gratiam et protectionem specialem, aliud non facturi. Volumus etiam, quod honeste persone ex vobis ad nos accedant nos visuri: quia nos ad illas partes accedemus in brevi domino concedente. Datum in Och in festo sancti Georgii martiris.

*Lucius Memorie di Traù 92. — Farlati IV. 356. — Fejér VII. 4. 153—4 — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. IX. 569. — Kukuljević Reg. no. 1128.*

## 63.

**1274, 11. maja. U Fermu.**

*Pomirenje i prijateljstvo izmedju Firma i grada Dubrovnika.*

*(Signum notarii).* In nomine eterni dei amen. Die dominico sexto maii, in paruo et generali consilio ciuitatis Firmi, ad sonum tube uocis preconis et campane, in palatio comunis Firmi, solempniter more solito congregato, presentibus domino Johanne, similiter Egidio domini Janini episcopo, domini Giuberti Matheo Fauiani, Petro Barcheri notarii et Pace Rudolfi banditore comunis Firmi testibus et aliis pluribus. C. dominus Johannes de Odonibus uicarius uenerabilis patris domini Phy[lippi] miseratione diuina Firmani episcopi et potestatis ciuitatis Firmane fecerunt legi litteras comunis Ragusii formam huiusmodi continente[s]. Nobilibus et sapientibus uiris domino potestati ciuitatis Firmane et eiusdem . . . . . honorato consilio carissimis amicis suis Nicolaus Quirinus de mandato illustris domini ducis Venetie comunis ciuitatis Ragusii comes, iudices, consilium et comune ciuitatis predicte salutem et felicitatis

augmentum. Cum nobilem uirum Grobexam de Ragnana dilectum ciuem et ambaxatorem nostrum super oneribus daciorum, que [a] ciuibus nostris accepistis et accipitis occasione quorundam represaliarum dudum uestris ciuibus contra nostratos concessarum ad uos presentialiter transmittimus. Super quibus etiam nobiles uiros Marinum de Zeraua et Matheum de Baliscleuia (.) ambaxatores nostros nuper mandauimus, amicitie uestre prudentiam requirimus et rogamus, quatenus quidquid dictus Grobexa ambaxator noster uobis super predictis ex parte nostra dixerit, uelitis indubitanter credere nobis. Quecunque enim per ipsum facta fuerint et ordinata circa predicta, grata et rata nos noueritis habituros. Data uigesimo tertio aprilis. Super quibus dictus uicario(!) petiit sibi consilium exiberi et quid super premissis placeat consilio prouidere. C. In reformatione consilii . . . . per dominum Johannem de Odonibus uicarium domini potestatis placuit omnibus de dicto consilio nemine discordante, quod homines Ragusii usque ad quinque annos proxime complendos accedere possint liberi sine coactione alicuius doane, seu dacii represaliarum occasione ad portum sancti Georgii et ad ciuitatem Firmanam stare et ab inde redire cum mercibus suis omnibus et interea represalie concesse ciuibus Firmi contra Ragusinos et eorum ciues remaneant in suspenso. Actum est hoc in millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, secunde indictionis, tempore sanctissimi patris domini Gregorii X. summi pontificis.

Ego Gandolfinus imperiali auctoritate notarius et tunc ciuitatis Firmi ad consilia et reformaciones consiliorum interfui, roboraui consilio plura instrumenta eiusdem tenoris, scriptum et ipsum in formam redegi ad cautelam et memoriam futurorum.

*Ovjerovljen prijepis u dubrovačkom arkivu. Zbirka saec. XIII.*

## 64.

**1274, 23. maja.**

*Ulomak medjaša neke zemlje, koju je kupio samostan topuski.*

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

ab inde tendit versus partes septemtrionales ad magnam viam Prekopa vocatam, exhinc progreditur et venit iterum ad fluvium Bolhad et vadit ad partes occidentales ad arborem munorou vocatam et ibi distinguntur mete terre supradicte. Astiterunt eciam comes Pouersen pro se et

fratribus suis, qui ipsam vendicionem factam liberaliter admisit. In cuius rei testimonium presentes literas concessimus nostro sigillo communitas Datum quarto die Pentecostes, anno domini MCC septuagesimo quarto.

*Privileg. monaster. B. V. Mariae de Toplica. — Tkalčić Monum. episc. Zagr. I. 171.*

## 65.

**1274, 31. maja.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski oslobadja podložnike i biskupske i kaptola zagrebačkoga od plaćanja toli kunovine, koli poreza jedanaestero i sedmero dinara.*

Ladizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex omnibus tam presentibus quam futuris et specialiter collectoribus marturinarum, undecim et septem denariorum per Sclauoniam, ad presens et pro tempore constitutis, quibus expedit et presentes ostendentur, salutem in omnium saluatore. Cum populi Zagrabiensis ecclesie tam episcopi uidelicet quam capituli loci eiusdem ab omni collecta seu exactione qualibet marturinarum uidelicet et aliarum exactionum quarumcumque iuxta antiquam et consuetam eiusdem ecclesie libertatem uallatam multis predecessorum nostrorum priuilegiis et specialiter priuilegio domini Stephani serenissimi regis, clare recordacionis, patris nostri, liberi sint penitus et exempti, nosque eandem ecclesiam ac populos ipsius in prioribus velimus eorum libertatibus indempniter conseruare, vniuersitati vestre presenti edictione perpetuo duratura specialiter inhibemus, ne quis predictos populos episcopi et capituli Zagrabiensis nomine, racione, seu occasione collecte cuiuslibet et specialiter pretextu collecte vndecim et septem denariorum presumat aliquatenus molestare, aut aliquam collectam exigere ab eisdem, non obstantibus litteris nostris, si que contra tenorem priuilegiorum eorumdem seu contra formam libertatis ecclesie memorate emanassent, uel deinceps quomodolibet contingeret emanare, cum predictam ecclesiam sicut premisimus ob reuerenciam sanctorum predecessorum nostrorum Stephani et Ladizlai regum Ungarie, nec non et propter approbatam fidelitatem uenerabilis patris Thymothei eiusdem ecclesie episcopi dictam ecclesiam et populos et iura eius uelimus et intendamus manutenere et conseruare in eorum consuetis et antiquis libertatibus inconcusse. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes dedi

mus literas duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti sancte Strigoniensis ecclesie electi eiusdemque loci comitis perpetui, aule nostre uicecancellarii et prepositi Budensis dilecti et fidelis nostri, anno domini MCCLXXIV, pridie kalendas iunii, indiccione II., regni autem nostri anno secundo. Uenerabilibus patribus Stephano Colocensi et Johanne Spalatensi archiepiscopis, Lamperto Agriensi, Brictio Chanadiensi, Job Quinqueecclesiensi, Philippo Waciensi aule domine regine consortis nostre karissime cancellario, Paulo Wesprimiensi, aule nostre cancellario, Thymotheo Zagrabiensi, Lodomerio Waradiensi Dyonisio Jauriensi et Petro Transiluano episcopis ecclesias dei feliciter gubernantibus. Dyonisio palatino comite de Oklych et iudice Comanorum, Nycolao iudice curie nostre comite de Guecke, Herico bano tocius Sclauonie, Nycolao woyuoda Transiluano et comite de Zonuk, Paulo bano de Zceurino, Joachino magistro tauarnicorum comite de Plys, Reynoldo magistro dapiferorum comite Zulgageuriensi, Nycolao magistro pincernarum, Herborto magistro agazonum nostrorum comite de Barana, Moys magistro thauarnicorum domine regine consortis nostre karissime comite Sunigiensi, Johanne comite Supruniensi, Gregorio comite Castri Ferrei, Dedalo comite Zaladiensi, Jacobo comite Nytriensi et aliis quam pluribus comitatus regni tenentibus et honores.

*Original u arkivu nadbiskupije zagrebačke. Sa zeleno-crvenih vrvca otpao pečat.*

*Liber privileg. eppatus Zagrab list 7 i 10. — Farlati Ill sacr. V. 377. Kukuljević Jura regni I. 82—3 — Tkalčić Mon. episc. Zagr 171.—172. — Kukuljević Reg. no. 1129.*

## 66.

**1274, 20. juna. U Melfima.**

*Savez Spljećana s kraljem napuljskim, da zajednički vojuju na Omišane.*

Scriptum est Petro comiti Vecle amico et Basilio prothonotario Bari etc. Venientes nuper ad maiestatis nostre presenciam solempnes ambassatores civitatis Spalati ex parte civitatis ipsius ad tractandum nobiscum de guerra facienda civitati Almescio ac adiutoribus suis, tractatum ipsum nobiscum feliciter consumarint, prestando tam prius nunciis nostris pro parte nostra, quam postmodum in manibus nostris per homines eiusdem civitatis Spalati corporali iuramento de observacione tractatus

eiusdem in forma subscripta. Inprimis videlicet potestas pro tempore, quo in officio ipso erit, atque consiliarii et digniores civitatis ipsius de mandato et auctoritate tocius universitatis, tam pro parte sua quam pro parte singulorum de civitate ipsa in manibus nunciorum nostrorum pro parte nostra iurabunt ad sancta dei evangelia, dicendo sic: Ego de mandato et auctoritate tocius universitatis Spalati pro parte mea et singulorum de civitate ipsa iuro ad sancta dei evangelia, quod ab hac hora in antea quam diu princeps magnificus dominus Karolus illustris rex Sicilie inimicabitur civitati Almescie, ego hic et ubique tam per mare, quam per terram similiter inimicabor eidem civitati, offendendo tam cum ipso domino rege, quam sine ipso universos et singulos de predicta civitate Almescie ac adiutores eorum, in personis et rebus, toto posse meo et sine ipsius domini regis beneplacito et assensu non faciam cum predictis Almesianis vel adiutoribus suis, aut aliquibus vel aliquo eorundem pacem aliquam sive treugam et quod ab hac hora in antea similiter hic et ubique tam in mari, quam in terra salvabo et defensabo predictum dominum regem et gentem suam et universos ac singulos fideles suos ac mercatores, intrantes vel exeuntes regnum vel terram eiusdem domini regis, in personis et rebus, toto posse, aut hic vel alicubi opere, verbo, scriptura vel assensu faciam, tractabo vel permittam aliquod inde ipsi domino regi vel genti sue aut fidelibus suis vel mercatoribus intrantibus vel exeuntibus regnum vel terras suas, aut aliquibus vel alicui eorum in personis vel rebus possit da[m]pnum aut inpedimentum vel detrimentum aliquod evenire et si scivero aliquod tale fieri vel tractari, ego id toto posse inpediam et si forsitan inpediri nequivero, tam dominum regem, si expedierit, quam eos vel eum, contra quos vel quem id fieret vel tractaretur, quam citius fidelius potero, exinde cautos redam, salva super hiis omnibus et singulis fide domini mei regis Ungarie, sic tamen quod si contingat me generaliter vel specialiter ab eodem domino meo rege Ungarie super predictis aut aliquibus vel aliquo predictorum contrarium et inpedientem aut diversum habere mandatum, ego id in' continenti predicto domino regi Sicilie vel ei, per quem cicius possit ad eius devenire noticiam, significare curabo. De vostra(!) igitur prudencia et fide confesi(!) vos in nuncios nostros ad requirendum nomine nostro a potestate, consiliariis et dignioribus predicte civitatis Spalati iuramenta predicta duximus statuendos, mandantes et comittentes vobis tenore presencium, quod ad civitatem ipsam vos personaliter conferentes a potestate, consiliariis et dignioribus eiusdem terre, ut dictum supra iuramentum huiusmodi pro parte nostra recipere procuretis et facto vobis de receptione ipsius sacramenti propterea documento, quod per vos nobis postmodum volumus assignari, litteras nostras vobis traditas de

securitate per nos concessa hominibus civitatis ipsius assignetis eisdem, requirentes eos nichilominus, quod solempnes nuncios suos ad presenciam nostram mittent, sufficiente autoritate suffultos, prestituros pro parte universorum et singulorum hominum eiusdem terre in nostris manibus, ut est dictum, simile iuramentum. Preterea cum ambassatores predicti ex parte comunitatis castri Symbinicii(!) de Dalmatia culmini nostro retulerint, quod comune ipsius castri velit nobiscum contra civitatem Almescie similiter tractatum firmare, mandamus et committimus vobis, quod super hoc ipsum comune castri predicti, cui exinde scribimus, ex parte nostri culminis requiratis; et/si similiter tractatum contra predictam civitatem Almescie sub similibus iuramentis prestare voluerint, recipiatis nomine nostro ab eis exinde similia iuramenta in forma superius denotata. Nos enim exinde vobis plenam concedimus potestatem, volentes et mandantes vobis, quod de receptione iuramentorum huiusmodi ab hominibus eiusdem castri vobis faciatis fieri similiter propterea documentum, et requiratis eos, quod et ipsi similiter solempnes nuncios ad nos mittant pro parte ipsorum omnium iuramentum simile in nostris manibus prestituros, quibus pro hominibus eiusdem castri assecurationis litteras, sicut pro predictis Spalatinis facte sunt, fieri faciamus. Date Melfie die 20. iunii, II. indictionis (1274.)

*Reg. Angio. Reg. Caroli I. 1272. B. vol. 14. 287.*
*Makušev Zapiski XIX. 2. prilog. 3. 54 -56. — Rački Rad XVIII 217. sadržaj.*

## 67.

**1274, 21. jula. U Saloni.**

*Biskup trogirski prosvjeduje proti izlučenja Šibenika iz njegove biskupije.*

1274. die sabbati, exeunte iuli XI., actum in Salona coram vobis venerabili patre dominis: Y. dei gratia episcopo Tiniensi et bano marittimo Ego Gervasius archidiaconus Traguriensis procurator et nuntius venerabilis patris domini Columbani divina miseratione episcopi Traguriensis, sicut apparet per publicum instrumentum, notum facio, quod cum Sibenicenses supradicto domino episcopo Traguriensi a tempore cuius non extat memoria sint et fuerunt lege diocesana subiecti et eius legitimis monitis inobedientes existant et sanctum crisma ab ipso, ut tenentur, petere et recipere contra sacrorum canonum instituta hoc

anno renuerint et alia iura episcopalia sibi debita post multiplicem amonitionem persolvere contempserunt, quodque deterius est, cum misisset clericum suum ad predicta iura exigenda, verberaverunt et rebus propriis expoliaverunt eundem; per hec omnia supradicta S[tanimirum] archipresbyterum, Vulconem, Dmiacum, Casarinum, Radovanum sacerdotes, Michaelem diaconum et Ditum subdiaconum Sibenicensem, exigente eorum contumacia in scriptis auctoritate et nomine supradicti domini episcopi Traguriensis excommunico et vobis eosdem excommunicatos denuncio. Verum quia iudices Sibenicenses, videlicet Dobrogna Juanci filio Martini, Stefano Brastovaniz et consiliarii ser Dragovanus Bariz, frater Vulcepta, Elias Radovani, Georgius Dragozay, Fellone Nicolai et alii consiliarii eorundem communitatis predicte supradicto domino episcopo Traguriensi decimas debitas dare denegant, idcirco ego procurator auctoritate et nomine supradicti episcopis Traguriensis in scriptis excommunico et vobis eosdem denuntio excommunicatos. Predicta omnia dicta et facta fuere coram fratre Martino, fratre Ioanne de ordine predicatorum et fratre Zubriano et fratre Joanne de ordine minorum, Luca sacerdote et canonico Spalatensi, Joanne filio C. Jacobi de Bieberio, Schssa filio iupani Maladeni de . . . . . Privoslau Dobrolli de Spalato, Dessa Amblasii, Simone comitis Marini testibus et Duimo Domiche examinatore.

*Lucius Memor. di Traù 87—8. — Farlati Illyricum sac. IV. 354. Ib. IV 288. fragmentarno. — Katona Hist crit. VI. 666. — Fejér Cod. dipl. V. 2. 226. Idem VII. 4. 157 — Nota 2. Lucii Starine XIII 214. — Kukuljević Reg. no. 1132. i 1133.*

## 68.

**1274, 28. jula. U Zadru.**

*Bratoniga udova Dragoja Samijana prodaje Andriji de Ragno četiri solane i kuću u Pagu.*

In Christi nomine amen. Anno nativitatis eius millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, indictione secunda, Jadere. Temporibus domini Laurentii Teupulo incliti ducis Venecie et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Albertini Mauroceni egregii comitis. Ego Bratoniga uxor condam Dragoy Samiani de Pago vendo transacto tibi Andree de Ragno quatuor salinas meas positas in valle Pagi sub morario Padibudi, a borea Dominicus et Staneç atque Tomica, filia Strimei, filii condam Dragoy predicti condam viri mei, ab austro

est potoch, a trauersa possidet Dobriça, uxor condam Moydragi, a quirina Stantius diaconus. Item domum unam meam cum coquina et ficu, positis in Pago, ab austro possidet Michael Vrasia (!), a borrea Moisa Malisin, a trauersa Thomicha, a quirina Milla, filia Preuoticene, cum omnibus longitudinibus et latitudinibus suis et cum omnibus suis certis terminis, habentiis et pertinentiis, tam subter terram, quam supra terram, cum omni plena uirtute et potestate intromittendi, habendi, tenendi et possidendi, dandi, donandi et pro anima indicandi nemine tibi contradicente in perpetuum. Precio cuius venditionis ego predicta Bratoniga recepi a te predicto Andrea libras denariorum venetorum paruorum octuaginta, quas mihi plene et libere persoluisti. Vnde ego predicta Bratoniga uenditrix promitto cum heredibus meis predictas salinas et domum et coquinam et ficcum cum suis omnibus habentiis et pertinentiis defensare et excalumpniare tibi predicto Andree et tuis heredibus ab omni persona te calumpniante super me et omnia bona mea habita et habenda in hoc seculo. Actum est et firmatum coram hiis vocatis et rogatis testibus Nicola de Scombola et Phylippo Maceda, die quarto exeunte iullio.

*(Drugi rukopis).*

† Ego Jacobus Çadulinus examinator manum misi.

Ego Nicolaus Feltrensis et sacri palacii notarius et Jadrensis iuratus hiis interfui et rogatus scripsi et roboraui.

*(Signum notarii).*

*Original u gubern. arkivu u Zadru, odio samostana sv. Nikole br.* 75.

## 69.

**1274, 15. augusta. U Slovenskoj Lupči.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski poklanja svomu lječniku Gerardu zemlju Trnava i zaselak Kraljevac kod Zagreba.*

Nos Ladislaus dei gracia rex Vngarie etc. memorie commendantes significamus tenore presencium vniuersis, quod consideratis eximiis fidelitatibus magistri Gerardi, fidelis et intimi phisici nostri, quas idem circa recuperacionem sanitatis nostri regii corporis, medente altissimo, fideliter exercuit, quandam terram nostram, que terra castri Zagrabiensis Tornawa uocata, prope Zagrabiam, cum uilla Karalicha vocata, existenti in eadem, omni contradiccionis questione remota, prout apud castrum fore dinoscitur, ipsi magistro Gerardo perpetuo duximus conferendam. Pro-

mittentes, vt cum circumstancias eiusdem terre capitulum Zagrabiense nobis rescripserit, nos dictam terram eidem mediante vigore nostri priuilegii ob euidencius argumentum perpetualiter conferemus. Datum in Lypcha, in festo assumpcionis virginis gloriose.

*Liber privileg. eppatus. zagrab. List 55.*
*Tkalčić Monum. episc. Zagr. I 172. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 113.—114. — Kukuljević Reg. no. 1137.*

## 70.

**1274. 25. augusta. U Zadru.**

*Omiš se ugovorom miri sa Venecijom.*

In nomine domini dei eterni amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, indictione secunda, die vigesimo quinto mensis augusti. In palatio uiri(!) nunc comites Jadre morantur, ubi consilia Jadre fuerint, presentibus viris nobilibus Lumprede Nichola, Pasca Varicassi nunc iudicibus Jadre, Cosa Saladini, Micha Becheç et Vulcignato Ginano omnibus civibus Jadre et aliis pluribus, temporibus equidem magnifici uiri domini Laurentii Teupuli illustris Veneciarum ducis et magistri Laurentii archiepiscopi Jadrensis, ac viri nobilis domini Albertini Mauroceno egregii comitis Jadre. Ut in statu pacifico et quieto prefatus dominus Laurentius Teupulo dux, comune et homines predicte Veneciarum civitatis una cum suis fidelibus specialiter cum circumvicinis suorum fidelium maneant in eternum Idcirco noverint universi presentem paginam inspecturi, quod ad presentiam predicti domini Albertini egregii comitis Jadre, nec non dominorum Johannis Cornarii et Nicolai Minio consiliariorum civitatis ipsius, viri nobiles comes Rados et Bogdanus de Almesio suo nomine, comunitatis et hominum Almesii uenientes dixerunt et proposverunt pro parte sua, comunitatis et hominum dicte terre. quod voluntas eorum diu existat et nunc erat se reconciliandi et ad domini ducis et comunis Veneciarum gratiam veniendi, se pronos et humiles offerentes mandatis ipsius domini ducis et comunis Venecciarum supradicti obedire perpetuo, petentes etiam et cum instantia requirentes pacem et desideratum concordium cum ipso domino duce et comuni Veneciarum in futurum. Unde uir nobilis supradictus dominus Albertinus Mauroceno una cum suis consiliariis superius annotatis plenam, sanam et integram habens commissionem a prefato domino duce et comuni Veneciarum supradicto bulla plumbea pendenti consueta munitam tractandi, faciendi

et liberaliter affirmandi pacem et verum concordium cum dictis nobilibus comite Rados et Bogdano, suo, comunitatis et hominum Almesii nomine, ipsius domini ducis et comunis Veneciarum supradicti nomine, prout in dicta commissione de verbo ad verbum inferius transcripta continetur expresse, facta et publicata per Coradum notarium et ducalis aule Venetiarum cancellarie, eorum nobilium benigne petitionibus et supplicationibus condescendens. Eos nomine ipsorum comunitatis et hominum Almesii ad pacem et perpetuale concordium recepit in hunc modum, ut infra legitur obtinendum Imprimis videlicet, quod idem dominus Albertinus comes Jadre una cum consiliariis supradictis vice et nomine domini ducis, comunitatis et hominum Veneciarum omnia dampna facta seu data per nobiles supradictos Almesii comunitatem et homines dicte terre Venetis vel eorum fidelibus aut aliis quibuscumque personis cuiuscumque ritus extiterint ex quacumque causa vel ingenio aut modo eisdem generaliter et specialiter suo, comunitatis et hominum Almesii nomine quietauerunt, remiserunt pactum, finem, remissionem et reffutationem (!) fecerunt, quod per se suosque successores ac uice et nomine predicti domini ducis et comunis Venecciarum numquam eos vel eorum heredes, comunitatem et homines Almesii pro dampnis predictis uel occasione ipsorum habitatorum et receptorum ab eis, ut superius dictum est, molestabunt vel molestiam facient per se uel alios suo vel dicti domini ducis et comunis Veneciarum nomine, nec aliquid de dampnis predicti de cetero petent vel peti facient, nisi secundum quod in istis pactis presentibus plenius continetur. Et e conuerso predicti nobiles comes Rados et Bogdanus Almesii suo, cômunitatis et hominum Almesii nomine generaliter et specialiter per se suosque heredes et successores quietaverunt, remissionem, pacem, finem, refutationem et absolutionem fecerunt dicto domino Albertino comiti consiliariisque suis predictis suo, comunis et hominum Veneciarum suorumque omnium fidelium nomine et pactum de dampnis predictis uel occasione ipsorum restaurationem id non plus petendo. Et una pars alteri parte spontanea voluntate promisit suo et suorum comunium nomine omnia predicta et singula observare et manutenere perpetuo per se suosque heredes successores salvis pactis et conditionibus inferius nominatis Item per restaurationem dampnorum in posterum habitorum et receptorum ab hominibus Almesanis datorum hominibus Veneciarum suisque fidelibus promiserunt iidem comes Rados et Bogdanus Almesii nomine predicto domino Albertino comiti suisque consiliariis supradictis suo, domini ducis, comunitatis et hominum Veneciarum pro bono pacis et concordie dare et soluere ipsi domino Albertino et dictis consiliariis, recipierent (!) pro se vice et nomine dicti domini ducis et comunis Veneciarum vel aliis personis

que super hiis constitute fuerint per comune Veneciarum supradictum libras decem milia denariorum venetorum paruorum pro viginti annis proximis venturis, uidelicet libras quingentas annuatim, incipiendo terminum a natiuitate domini proximi venturi usque ad aliam natiuitatem domini proximi venturi anni futuri, solvendo pro quolibet termino in capite anni. Pro quibus solvendis et attendendis se et omnia sua bona presentia et futura suorumque heredum ubicumque manentia liberaliter obligarunt ac bona comunis et hominum Almesii supradicti sub pena dupli dampni et interesse. Fideiussores autem eorum extiterint et principales debitores viri nobiles domini Andreas de Cotopagno, Johannes de Çevalellis, Jacobus de Zedolino, Gregorius comitis Helxe(!), Laurentius de Zevalellis, Vita de Terne(!), Vulcigna de Matafaro, Dessa de Fafogna Barty de Jurisclao et Thomanus Johannis Zavace(!) qui omnes promixerunt dictas libras decem milia denariorum parvorum ad dictos terminos solvere annuatim prefato domino Albertino comiti ac consiliariis predictis recipientibus pro se, domino duce et comuni Veneciarum vel aliis personis loco eorum existentibus, ut dictum est, scilicet libras quingentas pro anno, ut superius legitur, soluentes predicti fideiussores seu principales debitores pro rata, secundum quod eis contingitur de dictis libris quingentis per terminos supradictos, si dicti comes Rados et Bogdanus ad dictos terminos non solverent constitutos penam et expensam, ut dictum est. Credendo de expensis soli uerbo dicti domini comitis et suorum consiliariorum vel aliorum qui loco eorum fuerint, cum obligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum. Renunciantes expresse sua libera et spontanea voluntate prefati comes Rados et Bogdanus Almesii suo, comunitatis et hominum Almesii nomine, ac omnes fideiussores seu principales debitores eorum omnibus legibus, iuribus, allegationibus et consuetudinibus, quibus se tueri possent vel in aliis contrauenire. Ita tunc quod si dicti comes Rados et Bogdanus Almesii suo, comunitatis et hominum dicte terre nomine deficerent in aliquo terminorum superius predictorum, quod dictas libras quingentas, ut dictum est, singuli fideiussores seu principales debitores eorum suique heredes pro aliis sequentibus terminis de fideiussione predicta ulterius nullatenus teneantur, sed liberaliter ex nunc absoluti permaneant de venturis terminis, ut superius continetur. Nichilominus tam predicta promissio contra predictos comitem Rados et Bogdanum suo suorumque heredum et successorum comunitatis et hominum Almesii nomine eorumque bona rata et inviolata permaneat in eternum usque ad dictarum decem milium librarum integram satisfactionem penarum et expensarum, ut dictum est. Item promiserunt predicti comes Rados et Bogdanus Almesii suo, comunitatis et hominum dicte terre nomine et sacramento stringuntur, quod pro restauratione

dampnorum datorum hominibus Veneciarum vel eorum fidelibus per eos vel homines Almesii a pascate resurrectionis domini nuper preterito usque ad hodiernam diem. Credendo de quantitate dictorum dampnorum verbo tantummodo domini comitis supradicti et suorum consiliariorum, de quibus vero et pro quibus dampnis iam mille librarum denariorum venetorum parvorum soluerunt domino comiti et consiliariis supradictis. Et de residuo seu quantitate residui, quod ultra ascenderent ipsa dampna, dare et solvere promiserunt et tenentur ad illum terminum vel terminos quem vel quos dictus dominus Albertinus comes cum suis consiliariis assignabit eisdem se in hoc ipsorum arbitrio exponentes. Et si residuum seu residui quantitatem non solverent ad terminum vel terminos eis per ipsum comitem et consiliarios datos, quod ex nunc cadant de libris mille predictis, quas occasione dicte restaurationis soluerunt, ut superius continetur. Ita quod de ipsis nullum ius valeant obtinere, quemadmodum ipsas minime persoluissent. Insuper promiserunt prefati comes Rados et Bogdanus suo, comunitatis et hominum Almesii nomine dicto domino Albertino comiti dictisque consiliariis vice et nomine domini ducis comunis et fidelium Veneciarum, quod nullum lignum de cursu de Almesio exire permittent, nisi prius iurare fecerint comites et nauolerios(!) ipsius ligni vel lignorum et alios qui posse vel dominium in ligno vel lignis haberent, ac omnes homines ligna vel lignorum, quod omnia que continentur in pactis presentibus plenius observabunt et non contravenient aliqua ratione vel causa. Item quod ab ipsis comitis et nauoleriis et ab illis personis qui posse seu dominium in ligno vel lignis haberent, bonam accipient cautionem de omnibus satisfaciendis hominibus seu personis vel eorum nunciis contra predicta raubatis, tam de bonis eorum quam de bonis suorum fideiussorum, ut inferius est expressum, si contra predicta venirent seu venire presumpserint. Item si dominus dux Venetiarum vellet accipere de hominibus dicte terre et operari eos ad servitium comunis Veneciarum pro solido, non contradicerent rectores nec comites dicte terre, immo permittent venire illos qui venire voluerint sine ullo impedimento. Item non venient homines Almesii a Polmotora(!) ultra, nec ab Arimino ultra versus Venetias modo aliquo, nisi venirent per fortitudinem temporis. Et si per fortitudinem temporis eos venire contingerit, a dictis confinibus ultra, non facient alicui parte(!) offensionem modo aliquo in personis nec in rebus Item a terre(!) Palme ultra non facient offensionem aliquam alicui parte(!) modo aliquo que abducat blauam vel carnes, tam vivas quam mortuas Veneciarum. Et non venient nec aproximabunt se alicui ligno vel lignis Veneciarum aut suorum fidelium ubicumque existentium, tam extra confines quam etiam inter confines sine verbo illorum de ligno vel lignis et suo consensu. Et si cum uerbo

illorum de ligno vel lignis venient et aproximabunt se, non venient, nisi cum puppe in antea. Nec in ligno vel lignis intrabunt seu descendent, nisi de voluntate illorum de ligno vel lignis. Et si personam forensis aut personas forensium vel eorum bona in ligno vel lignis Veneciarum aut suorum fidelium invenient, non facient eis aliquam iniuriam vel molestiam in parte aliqua ullo modo in personis nec in rebus. Nec accipient vel accipi facient vel permittent aliquid modo aliquo hominibus Veneciarum vel personis aut suorum fidelium ubicumque fuerint contra predicta omnia, ut dictum est Et si acceperint aut accipi fecerint vel permiserint, promiserunt ea omnia reddere et integraliter restituere ipsis hominibus deraubatis vel suis nuntiis. Credendo de quantitate rerum ablatarum hominibus vel personis qui deraubati fuerint, cuiuscumque conditionis existant aut eorum nuntiis, secundum quod per sacramentum firmauerint, ut inferius continetur. Insuper promiserunt dicti comes Rados et Bogdanus Almesii suo, comunitatis et hominum ipsius terre nomine, quod si aliquem vel aliquos Venetos aut personas Veneciarum vel suorum fidelium in ligno vel lignis aliquorum forensium invenerint, quomodocumque in ipsis lignis fuerint, quod ipsos Venetos et personas ac fideles Veneciarum salvos et securos habebunt et tenebunt et facient in personis et rebus et si contrafecerint, solvere teneantur et reddere, ut inferius est expressum, ita tamen quod Venetus vel Veneti, aut fideles Veneciarum qui inuenti fuerint in lignis forensium, ut dictum est, iurabunt et affirmabunt per sacramentum aut per librum vel libros eorum ostendent omnes res quas habent in dictis lignis et tunc omnia restituantur eisdem secundum sacramentum eorum vel ostensionem libri vel librorum suorum, ac ipsum vel ipsos saluos facient de personis eorum Preterea promiserunt predicti comes Rados et Bogdanus suo et comunis Almesii nomine omnes raubationes punire qui contra predicta fecerint et bona deraubata restituere. Et si inventa non fuerint bona deraubata, quod possint restitui in parte vel toto, ea restituent de bonis raubatorum vel fideiussorum eorum. Et si de bonis raubatorum vel fideiussorum eorum inventa non fuerint, ad restaurationem de predictis faciendam, dabunt raubationes et personas raubatorum et fideiussorum eorum in fortia et manibus comunis Veneciarum. Et si persone raubatorum et fideiussorum suorum non reperirentur dabunt et soluent bona deraubata integraliter de bonis comunis Almesii supradicti, Ceterum ut ulterius nulla inter partes sepius nominatas magna vel parua que|stio?| oriatur, promiserunt sepedicti comes Rados et Bogdanus Almesii suo et comunitatis dicte terre nomine eidem dom.no Albertino Mauroceno comiti suisque consiliariis supradictis, nomine dicti domini ducis et comunis Veneciarum recipientibus et se obligaverunt spontanea uoluntate

coram comite supradicto ab eodem etiam cum magna instantia postulantes, quod si de voluntate domini ducis et comunis Veneciarum provenit, licitum sit ipsi domino duci et comuni Veneciarum supradicto hominem unum in ipsa terra Almesii ponere qui illuc debeat permanere, coram quo si aliquis vel aliqui Almesani presummerent contra predicta, ut superius est expressum, aut quodlibet predictorum vel facerent restaurationes dampnorum omnium datorum ulterius per eosdem, sine dilatione qualibet satisfiant per illos homines vel personas qui talia facere presumpserunt, aut per fideiussores eorum vel per comune civitatis Almesii. Et quod per hominem supradictum videantur et cognoscantur dampna illata de cetero hominibus vel personis Veneciarum vel suorum fidelium ubicumque et secundum eius sententias procedatur de quantitate rerum per homines Almesii ablatarum ad hoc, ut numquam inter predictas partes propter hoc aliqua scandala nasci possint. Ad haec autem, ut predicta omnia et singula robur firmitatis obtineant, prefati nobiles comes Rados et Bogdanus Almesii, suo comunitatis et hominum Almesii nomine suorumque heredum et successorum corporaliter iuraverunt ad sancta dei evangelia tactis evangeliis sacrosanctis et super cruce sacratissima Christi, omnia supradicta et singula firma et rata habere, tenere et nullo modo contrauenire aliqua racione uel causa magna vel parua ac in perpetuum inuiolabiliter observare. Et si contra predicta vel aliquod predictorum ire presumpserint aut iverint, quod iamdictus dominus Albertinus, comune una cum consiliariis supradictis vel alius aut aliqui qui loco ipsorum positus vel positi forent, prout de beneplacito et mandato ipsius domini ducis et comunis Veneciarum procedetur et consensu esse debeat vigilis, sollicitus et attentus cum civitatibus et munitionibus fidelium Veneciarum ad dampnificandum eosdem in personis et rebus tamquam eorum perfidos inimicos vice et nomine dicti domini ducis et comunis Veneciarum supradicti. Et si dampna aliqua tam in personis quam in rebus ab aliquibus Venetis vel fidelibus Venetorum in locis aliquibus sustinerent faciendo contra predicta, ut superius dictum est, vel quidlibet predictorum tam in morte hominis vel hominum quam etiam in rebus eis ablatis promiserunt, quod numquam staurationem aliquam petent a comuni Veneciarum suisque fidelibus et ex nunc sua libera et voluntate spontanea super his expresse omnibus suis iuribus et rationibus renunciaverunt. Similiter promiserunt per prestitum iuramentum quod infra . . . . dies postquam dominus comes Jadre predictus ac consiliarii memorati suum ambaxatorem nomine dicti domini ducis et comunis Veneciarum Almesium miserint, quod facient iurare omnes et singulos a quatuordecim annis supra omnia supradicta et singula inviolabiliter observare, manutenere et facere per se suosque

heredes et successores bona fide sine fraude quemadmodum ipsi nobiles iuraverunt et si dicto domino duci placuerit eiusque consilio, quod teneantur hec sacramenta in capite quinque annorum quorumlibet innovare Promiserunt similiter sepedicti comes Rados et Bogdanus, suo comunis et hominum Almesii nomine et corporaliter iuraverunt, si domino duci Veneciarum placuerit omnes homines et personas, quod comune Veneciarum pro inimicis habebit et tenebit, ipsos similiter habebunt et tenebunt, saluo in eo quod tenentur domino regi Ungarie. Equidem vero prenominatus dominus Albertinus Mauroceno comes una cum consiliariis supradictis, scilicet dominis Johanne Cornario et Nicolao Minio vice et nomine domini ducis et comunis Veneciarum supradicti suorumque successorum ac omnium Veneciarum fidelium promiserunt, dictis comiti Rados et Bogdano de Almesio recipientibus pro se vice et nomine comunitatis et hominum terre predicte, ipsos homines Almesii heredes et successores eorum salvos et securos facere, tenere et habere tam in mari, quam in terra ac in qualibet mundi parte in personis et rebus et in omnibus aliis que haberent aut lucrati forent ultra formam presentis pagine ipsosque ut amicos et fideles eorum habere et tenere et tractare ac perpetuo conservare. Tenor vero commissionis superius nominate talis est: Nos Laurentius Teupulo dei gratia Venetiarum Dalmatie atque Croatie dux, dominus quarte partis et dimidium totius imperii Romanie notum facimus tenorem presentis universis, quia per nos et nostrum minus et maius consilium nomine nostro et nostri comunis Veneciarum facimus et constituimus nobiles et sapientes viros Albertinum Mauroceno de nostro mandato comitem Jadrensem, Johannem Cornario et Nicolaum Minio eius consiliarios fideles nostros dilectos nostros et ipsius comunis syndicos, rectores et procuratores, ac plenam virtutem et potestatem eis damus auctoritate presentium: faciendi, tractandi, confirmandi et complendi pactum, compositionem et pacem cum comitibus sive rectoribus et comunitate Almesii promissiones et securitates faciendi et recipiendi propter hoc, secundum quod eis vel maiori parti melius et utilius apparebit, promittentes nomine nostro et comunis Veneciarum firmum et ratum habere et tenere et non contravenire quicquid predictus comes et predicti consiliarii vel maior pars eorum in predictis et circa predicta duxerint faciendum Et ad maiorem huius rei firmitatem et evidentiam pleniorem per presentes litteras fidem fecimus et nostri sigilli munimine iussimus roborari ac per manum Conradi notarii et curie nostre cancellarii roborari Currente anno domini millesimo CC°LXX°IIII°, mense augusti die XVI° extra(?) indictione secunda.

Ego Conradus notarius et ducalis aule Veneciarum cancellarius complevi et roboravi. Sciendum est autem quod de hoc pacto facta

sunt per me Rolandum notarium infrascriptum duo publica instrumenta unicuique partium unum. Et ad maiorem evidentiam huic presenti pagine vir nobilis supradictus dominus Rados comes Almesii pendens sigillum suum cereum apponi consensit et voluit, et comites Jurra et Semen sua similiter pendentia sigilla cerea posuerunt, ac etiam comunis Almesii sigillo pendenti est presens pagina sigillata. Ceterum prefatus dominus Albertinus comes Jadre una cum suis consiliariis supradictis virum nobilem Johannem Contareno pro nuncio comunis Veneciarum ad Almesim misit, qui reddiens dixit et exposuit, quod omnibus terre Almesis dederat sacramenta et ipsi iuraverant, ut per litteras ipsi domino comiti per comitem Radosium missas munitas sigillo comunis Almesis plenius continetur.

Ego Rolandus filius quondam Thomasini mercantis, sacri palatii notarius publicus, ac ipsius egregii comitis Jadre domini Albertini Mauroceno omnibus supradictis interfui et rogatus scripsi et corroboravi.

*Original u mletačkom državnom arkivu. Dospio iz bečkoga tajnoga arkiva ugovorom od 14. jula 1868. u mletački arkiv.*

## 71.

**1274, 26. augusta. U Trogiru.**

*Kolumban biskup trogirski baca izopćenje na svećenike u Šibeniku a interdikt na grad Šibenik, jer hoće da izaberu svoga biskupa.*

In dei nomine amen Anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, indictione secunda, die sexto exeunte augusto, hoc actum fuit Traguriensi in ecclesia sancti Laurentii, temporibus domini Ladislai serenissimi regis Ungarie, venerabilis patris domini Columbani episcopi et nobilium virorum dominorum Joannis de Breberio Traguriensis comitis et Preste de Cotopagna potestatis. Frater Columbanus divina miseratione episcopus Traguriensis universis Christi fidelibus salutem in vero salutari. Novi flagitii noviter accerbitate percussi per evidentiam patrati, sceleris commemoratione lugubri cogimur singulorum auribus conculcare, ut nec per silentium in oblivionem commissum facinus transeat, nec per obmissionem vindicte ceteris transeat in exemplum Nuper siquidem clerus et populus Sibenzanus in audaciam et patris offensam filii prosilire degeneres et in matrem suam ecclesiam Traguriensem inopinatum obprobrium prorumperunt falaces et calumpni continuaverunt dolum ad-

versus ecclesiam Traguriensem subditi pestilentes, ex eo quod, cum a tempore cuius non exstat memoria castrum Sybenicense limitibus diocesis ecclesie Traguriensis semper fuit situm et fundatum, et episcopus Tragurii pro tempore constitutus iurisdictione et diocesana lege tanquam in sua diocesi libere usus fuerit atque potestate. Hiidem ausu temerario ecclesiam Traguriensem matrem suam monstrum facere maluerunt, in uno corpore duo capita erigendo, eligere siquidem sibi volunt nec nominandum episcopum in nostri et ecclesie Traguriensis preiudicium et gravamen. Unde cum nos ipsos paternaliter vice pluries repetita amonuissemus, ut de huiusmodi presuntionibus et insolentiis abstinerent, hiidem peiora peioribus continuantes ad emendam et satisfactionem venire non curarunt. Quare intrusum ipsorum, qui se in episcopum electum appellatum Paolum presbiterum canonicum Strigoniensem, potestatem Jurissam et maiores de castro Sibenicensi, videlicet Dobrinam, Stefanum, Johannem Martini iudices, Dragovanum Baniz, Vulceptam fratrem, Georgium Dragozaiz, Eliam Radovani, Tollenum Nicole, S(tanimirum) archipresbiterum, Tholconem diaconum, Socoritum Radovanum sacerdotes, Michaelem diaconum, Dominicum subdiaconum in scriptis excommunicamus, excommunicatos denunciamus arceius ab omnibus evitandos. Sententiando decernimus et pronuntiamus omnes illos esse excommunicatos, qui consilio, auxilio, vel favore huiusmodi facinoris fuerunt participes, terram Sibenicensem nihilominus ecclesiastico subiicimus interdicto. Lata fuit hec sententia presentibus domino Ludovisio socio, nobili viro domino Preste de Cotopagne potestatis Traguriensis, magistro Roberto medico, dominis Yanicha Casocti, Valentino Casariza, Luce Matthei testibus et domino Dessa Duymi examinatore.

*(Drugi rukopis)*

Ego Dessa Duymi examinator conscius examinaui.

Ego Franciscus Benvenuti de Cingulo et nunc Traguriensis iuratus notarius predictis interfui et a domino C(olumbano) episcopo rogatus scripsi, publicavi et signavi.

*(Signum notarii.)*

*Original u arkivu kaptola u Trogiru no. 22.*

*Lucius Mem. di Traù. 88—89. — Fejér Cod. dipl. Hung. VII. 4. 159—61. — Kukuljević Reg. no. 1138.*

## 72.

**1274, 4. septembra. Kod jezera Pensila.**

*Savez kralja napuljskoga Karla II. sa Splječanima i Šibenčanima za rat na Omišane.*

In nomine domini. Anno ab incarnatione eius MCCLXXIV., regnante illustrissimo domino nostro Carolo rege Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, alme urbis senatore, Andegavie, Prouincie ac Folcoquerii comite, ac romani imperii per sanctam romanam ecclesiam in Tuscia generali vicario, anno regni eius decimo, die martis, quarto mensis septembris, tercie indictionis, apud lacum Pensilos. Nos Bartholomeus de Straffis de Regio et Jacobus de Varduno de Alba magne regie curie iudices et Mattheus Barbolus de Gaieta eiusdem magne curie auctores, notarius et subscripti testes ad hoc specialiter vocati et rogati presentis scripti publici serie declaramus, quod inter dictum dominum regem ex parte vna et iudicem Dobrenum et Heliam syndicos, actores et nuncios speciales terre Sibenici et dominum Vulcinnam Streze et dominum Datche, syndicos, ambasciatores et nuntios speciales ciuitatis Spaleti nomine, ac pro parte vniuersatum ipsarum terrarum, ex altera consentientes in nos expressim tanquam in suos iudices et notarium, quem scirent dicti syndici se non esse iurisdictionis, omnia infrascripta pacta et conuentiones tractata concorditer et formata fuerunt sollemni stipulatione et omni iuris sollemnitate vallata. In primis de facienda vna guerra per ipsum dominum regem et vniuersitates predictas terre Dalmasii (!) et omnibus et singulis eiusdem terre, ac fautoribus et coadiutoribus suis. Item quod aliqua predictarum vniuersitatum non facient pactum, finem et treguam, seu guerram recentem cum Dalmasibus, seu fautoribus suis sine consensu et voluntate dicti/domini regis. Et si contigerit ipsum regem facere pacta vel treguam cum predicta terra Dalmissi(!), vniuersitates predictas in dicta pace et tregua ponere teneatur. Item quod dictus dominus rex habebit pro ipsa guerra facienda vsque ad finem ipsius guerre duas galeas bene armatas hominibus, armis et aliis neccessariis annis singulis, quibus dicta guerra durabit a kalendis aprilis vsque ad festum omnium sanctorum in aliis locis, in quibus predicta guerra facienda, capitaneo et comiti galearum ipsarum melius videbitur expedire. Item quod dictus dominus rex commodabit dicte vniuersitati Spalati duas galeas cum offesis et corredis suis sine hominibus vsque ad finem dicte guerre. Item quod dictus dominus rex commodabit vniuersitati Sibenici vnam galeam munitam offesis et corredis ad nauigandum sine hominibus vsque ad finem dicte guerre. Item quod dicte vniversitates

dictas tres galeas sibi commodatas a dicto domino rege tenebunt et habebunt armatas vsque ad finem ipsius guerre ad faciendum ipsam guerram simul cum predictis galeis ipsius domini regis, quod perstabunt in mari cum aliis galeis et erunt continue armate et munite donec predicte galee domini regis erunt ibidem. Item quod predicte vniuersitates finita dicta guerra restituent dictas galeas cum offesis et corredis et aliis guerrimentis eque bonis, sicut receperint; et accommodati a predicto domino rege ad hoc obligauerunt se dicti syndici nomine dictorum vniuersitatum et res ipsarum, quas galeas restitnere teneantur ibidem, videlicet in portubus predictarum vniuersitatum ad requisitionem ipsius domini regis promiserunt et obligauerunt se predicti syndici nomine ipsarum/vniuersitatum et ipsas vniuersitates guerram ipsam facere bona fide et sine aliqua fraude predicte terre Dalmasii cum aliis lignis suis, prout melius poterunt et etiam per terram. Item quod si contigerit aliquod lucrum facere per dictas galeas de predicta terra Dalmasii et coadiutoribus suis, diuidetur illud lucrum equaliter inter eos, ita quod comiti galearum ipsius domini regis accipiant nomine ipsius domini regis partem ipsam contingentem pro ipsis galeis et de ipso lucro disponant dicti comites secundum voluntatem ipsius domini regis; et quod omnes captiui qui capientur per predictas partes de hominibus Dalmasii vel coadiutoribus ipsorum perueniant (in) fortiam et baliam ipsius domini regis et de ipsis faciet voluntatem suam, vel tenendo ipsos in carcere, vel ultimo trahendo supplicio, et si contigerit aliquem ex predictis captiuis ad redemtionem poni et ipsum redimi, quod illud quod reciperetur pro redemtione ipsa sit totum dictarum vniuersitatum; tenetur tamen dictus dominus rex de captiuis predictis dare ipsis vniuersitatibus, si aliquem uel aliquos capi ex ipsis contigerit a dictis Dalmasibus et cambio competenti. Item quod ordinabitur per dominum regem predictum vnus capitaneus qui presit dictis galeis quinque et omnes qui erunt in dictis galeis obedient ipsi capitaneo qui erit, vel mutabitur et alius suborna bitur ad voluntatem ipsius domini regis. Item quod si aliqui ex Dalmasibus velint venire sponte ad habitandum cum familia sua ad terras universitatum predictarum (Spalatensium et Sibenicensium) homines predictarum universitatum possint ipsos recipere; dummodo non sint contra voluntatem domini regis Ungarie, recepta tamen prius ab eis idonea et sufficienti cautela, quod non offendent dominum regem Sicilie vel gentem suam et quod facient guerram dictis Dalmasibus. Hoc pacto expresso, inter partes quod dicte universitates de dictis pactis non teneantur, si predicto domino regi displicerent; et quam cito per ipsum dominum regem predictis universitatibus constiterit, quod ei predicta displicent, prout ab eodem domino Hungarie presenserint annunciare et extunc dictus dominus rex Sicilie dictis uni-

versitatibus de predictis in nihilo sit adstrictus, sed ipso iure sit ab omnibus predictis obligationibus liberatus et predicte vniuersitates in continenti ad requisitionem dicti domini regis predictas galeas eis accommodatas eidem restituere teneantur. Quae omni et singula predicti syndici nomine ac vice dictarum vniuersitatum promiserunt solemni stipulatione interueniente dicto domino regi Sicilie attendere et obseruare et se facturos et curaturos, quod quelibet dictarum vniuersitatum omnia et singula ratificabunt et approbabunt, iurantes dicti syndici corporaliter prestitis sacramentis nomine vniuersitatum ipsarum et in animabus hominum ipsarum vniuersitatum ex potestate concessa eis a dictis vniuersitatibus omnia et singula supradicta attendere et obseruare et non contrauenire de iure vel de facto sub obligatione bonorum omnium vniuersitatum ipsarum In cuius rei testimonium et predicti domini regis Sicilie ac predictorum syndicorum nomine et pro parte dictarum vniuersitatum cautelam presens scriptum exinde confectum est per manus mei notarii predicti Mathei Barabelli de Gaieta eiusque curie actualis notarii meo signo signatum et manu qui supra iudicum et infrascriptorum testium subscriptionibus roboratum.

*(Slijede potpisi svjedoka.)*

*Lucius De regno l. IV. c. IX. 291. — Katona Hist. crit. VI. 665. Fejér Cod. dipl. Hung. V. 2, 210.*

## 73.

**1274. 6. septembra. Kod jezera Pensile.**

*Karlo kralj napuljski daje Spljećanima ladje za rat na Omišane.*

Karlo I., kralj napuljski: »Justiciario terre Bari«, »Rogerio prothonotario et Ursoni Bovi Ravellensi de Trano«, »ut galeam unam curie nostre, que est in Trano, statim reparari faciatis et affisis deificientibus communiri, assignandi per eos nunciis Spalati, simul cum una alia galea, quam apud Brundusium reparari et apud Tranum duci mandamus, nunciis Spalati ad confusionem et exterminium piratorum Dalmisiensium inimicorum dei et hominum et beneplaciti nostri sit, quod due alie galee curie nostre simul cum galea armata per homines Bari et alia armata per homines Monopoli solidandi per nostram curiam in maiorem oppressionem dictorum piratorum debeant navigare«. Date apud lacum Pensilem, VI. septembris, III. indictione, 1275.

*Registri Angioini.*
*Makušev Zapiski XIX. 2. prilog 3. 57.*

## 74.

**1274, 11. septembra. U Lyonu.**

*Papa Gregorije X. potvrdjuje biskupu trogirskom bulu svoga prešasnika Klementa IV.*

Gregorius episcopus servus servorum dei venerabili fratri episcopo Traguriensi, eiusque successoribus canonice substituendis in perpetuum etc. *(Sliedi bula pape Klementa IV. od god. 1266. 13. juna).*

Datum Lugduni per manum magistri Lanfranchi archidiaconi Pergamensis sacre romane ecclesie venerabilis cancellarii, tertio idus septembris, indictione III., incarnationis dominicae anno 1274, pontificatus vero domini Gregorii papae X. anno tertio.

*Farlati Illyr. sacr. IV. 356. — Lucius Memorie di Traù. 89. spominje je. — Potthast Reg. pont. 20.918.*

## 75.

**1274, 14. novembra. U Trogiru.**

*Marija, kći pok. Zola, ostavlja samostanu sv. Dominika u Zadru svoj imetak.*

C. Anno domini millesimo CCLXXIIII indicione secunda, die mercurii, XIIII intrante nouembri. Actum in ciuitate Tragurii in domo que fuit condam diaconis(!) Petri de Pa squalo coram testibus infrascriptis. Ibi Maria filia condam Xolli non metu neque pro alliqua . . . . ccione fecit donum et inre[vocabi]lem donacionem que dicitur inter vivos pro a[nima] sua et pro anima viri sui Boniç . fratribus Predicatoribus de conventu c[ivitatis] Jadrensis [tali modo, quod ipsa Maria donec [uixerit] debeat gaudere omnia sua bona et p[ost] mortem suam omnia sua bona tam [mobi]llia(!), quam immobilia in . . . . ne predictorum fratrum debeat peruenire . . . . . dicte Marie que est in . . . . . v . . : ap[ud] domum que fuit condam diaconi [Petri de Pasq]ualo et aput domum . . . . . se filie G[ru]bogne et ab alia parte . . . . . . . f . . . . filiorum condam Petri . . . . . . . ni et apud viam publicam. Et fecit do . . . . . conuento de sui pa . . . . . . . quod est apud . . . . . arisium Bone de Millo in hora u . . . . . et aput vineam ve . . . . . de Dassa et aput viam publicam Et dicta M[aria] non possit ordinare

aliud . . . . [post] suam mortem e suis bonis sine uoluntate fratrum dicte (!), conuentu (!). Festes diaconus . . . . te filio magistri Pristi, Cergna filius condam Petri faldarii, Nicola balasterius, Quirinus [filius] . . . . . dicti Cargne.

*(Signum notarii.)*

Ego Martinus Qua[r]to [Tragur]iensis notarius ab imperatore Frederico, rogatus hanc cartam scripsi [et] me subscripsi.

*Original u arkivu gubern. u Zadru. Odio samostana sv. Dominika no. 867. (Pogriješno pod g. 1513.)*
*Listina je veoma trošna i krnja.*

## 76.

**1274, 1. decembra. Pod gradom Szalónakom.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski nalaže banu Dioniziu, da uvede njegova liječnika Gerarda u posjed Trnave, koju mu je darovao.*

Ladislaus dei gracia rex Vngarie etc. dilecto et fideli suo Dyonisio bano tocius Sclauonie salutem et graciam plenam. Cum dominus rex Bela auus noster et dominus rex Stephanus pater noster karissimus inclite memorie quandam terram castri nostri Zagrabiensis Tornawa uocatam prope Zagrabiam existentem magistro Gerardo fideli fisico nostro contulerint et nos contulerimus, prout in nostris literis inde confectis plenius poteris intueri, mandamus fidelitati uestre requirentes, quatenus ipsum magistrum Gerardum in corporalem possessionem dicte terre uelitis auctoritate nostra introducere et introductum in eadem firmiter conseruare, et post hec qualitatem, quantitatem ac cursus metarum dicte terre debeatis nobis in uestris litteris remandare, aliud non facturi pro nostra gracia pleniori. Cum id sic esse uelimus, omnium baronum nostrorum consilio mediante, eo maxime, quia idem magister Gerardus nobis seruiuit fideliter et seruit sicut scitis. Datum sub castro Zolounuk in crastino beati Andree apostoli.

*Liber privileg. eppatus. Zagrab. List. 55.*
*Tkalčić Mon. episc. Zagr. I. 173. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 114. — Kukuljević Reg. no. 1142.*

## 77.

**1274, 20. decembra. U Zadru.**

*Barti de Slorado prodaje Rajneriju Varikaši solanu na Pagu.*

In Christi nomine amen. Anno natiuitatis eius millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, indicione secunda, die vigesimo decembris, Jadre, temporibus domini Laurencii Teupolo incliti ducis Venecie et magistri Laurencii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Albertini Mauroceni egregii comitis. Ego quidem Barthy filius condam Damiani de Slorado ciuis Jadrensis cum meis heredibus pro amore quem habeo cum Raynerio filio condam Damiani Varicasse Jadratino do, dono atque transacto tibi omne ius et rationes meas, quod uel quas habeo uel habere videor in quadam presalia salinarum mearum positarum in valle Pagi: ex austro iuxta salinas Andree de (Cotopagna), ex borea iuxta salinas Radossi filii condam Martini de Pago, ex trauersa iuxta terram F . . . . . e, a quirina est mare comune; de qua presalia habeo duo publica instrumenta manu Nicolai Jadrensis notarii confecta, quorum vnum sic incipit: In nomine Christi amen. Anno a natiuitate eius millesimo ducentesimo] septagesimo quarto indicione secunda die vndecimo decembris, Jadre etc. prout in eo legitur [et alterum si]c incipit: In Christi nomine amen. Anno natiuitatis eius millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, indicione secunda, die . . . . . to decimo decembris, Jadre etc. ut in eo legitur et continetur. In quibus instrumentis continetur, qualiter ego h[abe]o de supradicta presalia partim a Radossio supradicto et partim a Micha filio condam Petri de Madio d[e Mu to. Qua de causa amodo in antea delibero tibi dictam presaliam cum supradictis cartis suis et omnibus aliis ueteribus atque nouis ad hec pertinentibus et cum omni earum vigore et robore et cum plena uirtute et potestate intromittendi, habendi, tenendi, dandi, donandi, vendendi, comitendi [et] pignori locandi et pro anima indicandi, placitandi, respondendi et omnimodam tuam voluntatem faciendi in perpetuum nemine contradicente tibi uel tuis heredibus. Ob quam dationem, donationem et transactationem tu predi[ctus Ra]y[ne]ri talionasti mihi et dedisti libras denarionem uenetorum paruorum quinquaginta, de quibus me bene ui[deo] paccatum et quietum. Vnde amodo in antea de supradictis salinis siue presalia salinarum me tota[liter foris] facio atque in tua et tuorum heredum potestate relinquo. Actum est hoc coram hiis

rogatis [testibus, videlicet] presbitero Mauro sancti Stephani et Johanne nepote supradicti Miche Madii de Muto.

Ego Stane de Varicasa examinator manu mea misi.

Ego Nicolaus Feltrensis sacri palacii notarius et Jaderensis iuratus hiis inte[rfui] rogatus scripsi et roboraui.

*(Signum notarii.)*

*Original u arkivu grofova Begna u Posedarju. P. no. 5. — Listina je na lijevoj strani prilično trošna.*

## 78.

**1274.**

*Car Rudolf piše Elizabeti udovi kralja Stjepana glede ženidbe hercega hrvatskoga Andrije.*

Congratulationis amice placiditas, literis vestris quas nuper valde gratanter accepimus super fortunatis ac prosperis nostre sublimationis auspiciis cum tripudiosa iocunditate regalibus representata conspectibus, animum nostrum tanto uberioris gaudii poculo fecundavit, quanto probabilioris ex hoc evidentie argumento colligimus, quod illius indissolubilis dilectionis identitas, quam cum clare recordationis [Stephano rege Ungarie] viro vestro quasi cor unum et eadem amicitia noscitur exstitisse, dum annueret(!)[1], cum eodem decedente nequaquam extincta deperiit, sed in vobis propagatione laudabili radicata predicabiliter et transfusa tenacius conquievit. Super quo utique et super hoc precipue, quod filiam nostram inclyto A(ndree) filio vestro cupitis matrimonialis vinculi federe couniri, quod auxit in pectore nostro diffusius materiam gaudiorum, dilectioni vestre ad grates uberrimas inclinantes, proinde vos et vestros invariabili animo semper disponimus gratis amplecti favoribus et condignis honoribus ampliare. Unde licet valde cordi nobis sit, licetque letis precordiis affectemus, quod domus nostra cum vestra matrimonialibus uniatur amplexibus nativis floride virgulis fecundanda, quibus progenitores exultant in filios filiorum, quia tamen negotii huiusmodi arduitas principum et fidelium nostrorum consilio indiget fulciri, cum eis super hoc finalem et salutarem disponimus festinanter habere tractatum, ut ad honorem et commodum partis utriusque votiva conclusio in predicto negotio subsequatur.

*Palacky Über Formelbücher. 319. — Wenzel Cod. dipl Arp. cont. IV. 44.*

[1] Jamačno: uiueret.

## 79.

**1274.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski piše caru Rudolfu u istom smislu.*

Noscat universitatis vestra, quod nos T . . . . . providum et discretum virum . . . . . lectorem seu scolasticum Quinqueecclesiensis ecclesie kathedralis, de omnium archiepiscoporum, episcoporum, procerum et banorum regni Ungarie consilio et tractatu, intercedente etiam consensu Andree ducis Slavonie et Croacie, fratris nostri carissimi, ex affidata nostre fraterne caritatis tutela, damus, facimus, constituimus et ordinamus nostrum procuratorem, syndicum vel actorem penes dominum Rudolfum Romanorum regem semper augustum et inclytam aulam eius super inmendis arrhis, sponsaliis seu matrimonio contrahendo nomine eiusdem ducis Andree, fratris nostri carissimi, inter ipsum ducem Andream ac filiam domini R[udolphi] serenissimi regis Romanorum, seu filii sui vel filie aut sororis filiam, quamvis inter absentes, spiritus tamen unione presentes proponendum, tractandum, matrimonium contrahendum per verba de presenti aut quolibet amminiculo iuris etc.

*Palacky Über Formelbücher 319. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont IV. 43.*

## 80.

**1274.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski piše caru Rudolfu zbog ženitbe hercega Andrije.*

Divine pietatis providentia, cuius nutu reguntur omnia et subsistunt presentialiter ubique contuens universa, ne lubrica microcosmi materia per devia laberetur, aut naturalis affectionis invicem igniculus sine dilectionis fasciculo solveretur, in paradiso legem instituit matrimonii, per quam propagaretur in terris caritas animorum et nature proclivum virtus exciperet honestatis. Hinc unitatis et indentitatis affectio colescit, que descendentes ramusculos ad se retrahit ex diversis non adversis unum efficiens coniugii paritate. Cum itaque in sublimitate vestri nominis tamquam in ortu novi sideris gratulemur ex intimis, cupientes, ut affectum nostre mentis proximitatis annexio sequeretur, super matrimonio contrahendo inter filiam vestram principaliter, si exstat, aut filii vestre vel filie seu sororis filiam et fratrem nostrum carissimum Andream,

inclytum ducem Slavonie et Croatie, infra octeanum constitutum de omnium procerum et baronum vestrorum (!) consilio, magnifico [Meinhardo] comiti Tyrolensi et Goritie, cognato nostro caro, vices nostras duximus committendas ad serenitatem vestram nihilominus, nobilem virum magistrum A . . familiarem et fidelem nostrum nuntium specialem super his et aliis qualibet auctoritate suffultum quantocius transmissuri. Excellenciam vestram presentibus affectuosius requirentes, quatenus super huiusmodi matrimonio contrahendo ipsi Meinhardo comiti vel eius misso velitis prompte exauditionis gratiam impertiri, ut vestre felicitatis invicem brachiis solidati glorientur humiles, terreantur tumidi, ac convertantur et ad iuga veniant exercere potestates. Datum etc.

*Palacky Über Formelbücher. 319. — Fejér Codex dipl. Hung. I. 2. 41., gdje se nalazi ovo pismo krivo pod god. 1276. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. IV. 42. — Kukuljević Reg. no. 1198. (Pod g. 1276.)*

## 81.

**1274.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski daruje zemljište Konjsku Jakobu sinu Jakovljevom.*

Ladislaus dei gratia Ungarie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentibus et futuris ad quos presentes littere pervenerint salutem in domino sempiternam. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod nos fidelitates et obsequiosa merita et meritoria obsequia fidelis nostri Jacobi comitis filii Jacobi que nobis et corone regie in fervore approbate fidelitatis studuit exercere, regia circumspectione pensantes, que per singula longum esset enarrare, quedam tamen specialiora ipsius servitia presentibus duximus annotanda. Nam cum per insultum Theotonicorum castrum Jauriense captum esset et ad obsidendum ipsum castrum quosdam particulares exercitus misissemus, idem comes Jacobus una cum Ivachyno magistro thawarnicorum nostrorum, comite Posoniensi et de Pylys contra Theotonicos memoratos laudabiliter dimicando et quosdam ex ipsis lancea deiiciendo, lethalia recepit vulnera, de quibus vulneribus vix per curam expertorum medicorum per spacium longi temporis est resanatus. Postmodum et sub castro Wetreh, quod per exercitum regis Bohemorum obsidebatur, cum quosdam barones nostros ad defendendum ipsum castrum cum exercitu misissemus, idem

comes Jacobus virtutem virtute fidelitatem fidelitate accumulans, audacter irruit in aciem exercitus Theotonicorum, ubi similiter graviter fuerat sauciatus, prout ex veridica baronum nostrorum qui ibi erant intelleximus relatione. Volentes igitur sibi pro tam laudabilibus fidelitatum operibus et servitiis regio occurrere cum favore, ad ipsius supplicationem et petitionem licet maiore remuneratione esset refovendus, quandam terram castri de Ryuche Konuszka vocatam ad sex aratra sufficientem, eidem Jacobo comiti et Stephano fratri suo duximus conferendam. Et ut donatio nostra sibi facta providentia fieret certiori, fidelibus nostris capitulo Chasmensi, quod de qualitate et quantitate ipsius terre nobis veritas non constabat, nostris litteris dedimus in mandatis, ut eandem inspicerent una cum Abraam de genere Kamarcha homine nostro et si contradictum non fieret, statuerent Jacobo comiti et Stephano supradictis. Rescripsit itaque nobis capitulum dictam terram Konuszka vocatam sitam esse iuxta fluvium Konuszka et per Nicolaum comitem de Zana et de Ryuche dilectum et fidelem nostrum sub metis infrascriptis, Jacobo comiti et Stephano fuisse statutam, pariter et assignatam nullo contradictore penitus existente Quam quidem terram ob merita servitiorum suorum, sicut superius est expressum, sibi et per eos suis heredibus auctoritate presentium confirmamus sub eadem libertate, qua alii nobiles de Ryuche terras habent absque iurisdictione comitis de Ryuche pro tempore constituti in eorum et heredem suorum potestatem perpetuo duraturam. Ut igitur hec nostra donatio robur optineat perpetue firmitatis presentes nostras litteras concessimus dupplicis sigilli nostri munimine roboratas Datum per manus magistri Benedicti sancte Strigoniensis ecclesie electi eiusque loci comitis perpetui prepositi Budensis, aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno domini MCCLXXIV., regni autem nostri anno secundo. Venerabilibus in Christo patribus Stephano Colocensi et Ioanne Spalatensi archiepiscopis, Lamperto Agriensi, Brictio Chanadiensi, Job Quinqueecclesiensi, Paullo Wesprimiensi aule regie cancellario, Philippo Vaciensi aule domine regine consortis nostre charissime cancellario, Lodomerio Varadiensi, Thymotheo Zagrabiensi, Dyonisio Jauriensi et Petro Transilvano episcopis, ecclesias dei feliciter gubernantibus Dyonisio palatino comite de Oclych et iudice Cumanorum, Henrico bano tocius Sclavonie, Nicolao waywoda Transilvano comite de Zonuk, Iwachyno magistro tavernicorum nostrorum comite Posoniensi et de Plys, Nicolao iudice curie nostre comite de Gueche, Raynoldo magistro dapiferorum nostrorum comite Zulgageuriensi, Moys magistro thavernicorum domine regine consortis nostre carissime comite Symigiensi, Herbordo magistro agazonum nostrorum comite de Barana, Nicolao magistro pincernarum nostrorum, Johanne comite Suppruniensi,

Gregorio comite Castriferrei, Jacobo comite Nitriensi, Dedalo comite Zaladiensi et aliis quam pluribus comitatus regni nostri tenentibus et honores.

*E coll. Dipl. Kaprinai t. V. sub B. no. XXV. 39. — Listina se nije mogla pronaći, premda je pregledan radi nje katalog ove zbirke, koji se baš sada štampom izdaje.*

*Fejér Cod. dipl. Hung. V. 2. 154—7. — Kukuljević Reg. 1145.*

## 82.

**1274.**

*Bilješka tičuća se prava trogirske crkve na Šibenik.*

(Joannes metropolita Paullum electum Sibenicensem vel invitus approbare debuit eundemque episcopali consecratione impertiri, id quod postea ipsemet Joannes in quadam sua declaratione iuridica testatus est, cum ait) favore et auxilio dominorum temporalium obtento, clerum Sibenicensem ausum esse quendam Ungarum Paullum sibi prefecisse in pastorem, cui nunquam prelatus aliquis prefuit, nisi Traguriensis episcopus verus et merus pastor, quem nobis (inquit, cum dominorum potencia, non cum iurium monumentis, nec electum canonice, cum episcopalem electionem et sedem nunquam habuerint, potentissime presentarunt, ut sibi manus imponeremus et munus consecrationis demum donaremus, quod prorsus per dominum abiurantes publice diximus saluis summi pontificis esse et curie romane novum episcopum et episcopatum formare, facere et creare. Tandem ipsorum insultus ferre non valentes et periculum non rerum tantummodo, sed quod gravius erat persone nostre veraciter formidantes eosdem sumus taliter allocuti Nihil valet quod facimus et propter hoc romane curie nec volumus nec possumus derogare et super hoc publicum instrumentum nobis fieri precipimus et habemus. Sed valeat quantum valere potest. Quod negocium taliter celebratum domini Philippi Firmani episcopi, in partibus Ungarie tunc temporis apostolice sedis legati, aures et auditum aurium taliter propulsavit, quod in nostri presentia et duorum episcoporum suffraganeorum nostrorum dominorum Tiniensis et Nonensis, id quod per nos tali compulsione factum fuerat cassum totaliter et irritum iudicavit et tanquam indebite actum decrevit iuribus et robore firmitatis eidem Paulo sub poena excommunicationis precipiens atque mandans, ut ultra non electus sed Paulus suo puro nomine vocaretur etc.

*Farlati Illyr. sacrum. IV. 355. i III. 287. — Kukuljević Reg. no. 1276. (meće u g. 1279.)*

## 83.

**1274.**

*Dioniz ban objavlja, da je po svom čovjeku, županu Bartolu uveo liječnika Gerarda u posjed Trnave.*

Nos Dyonisius banus tocius Sclauonie significamus tenore presencium vniuersis, quod magister Gerardus, fidelis fisicus domini nostri regis, ad nostram accedens presenciam exhibuit nobis literas eiusdem domini nostri regis hunc tenorem continentes: *(Vidi Ladislavovu listinu od 1. decembra 1274.)* Nos igitur visis ipsis literis dictam terram eidem magistro Gerardo reliquimus et dimisimus iure perpetuo possidendam, in corporalem possessionem terre prefate per comitem Bartholomeum, officialem nostrum de Pyhyna introduci faciendo, qui ipsam terram eidem statuit et assignauit cum omnibus utilitatibus et pertinenciis suis vniuersis in eisdem metis et terminis in quibus per priores possessores limitata exstiterat et possessa, nullo contradictore penitus existente. Datum anno domini MCCLXXIV.

*Liber privileg. eppatus zagrab. List. 55—56.*
*Tkalčić Monum. episc. Zagr. I. 173. — Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont. XII. 118. — Kukuljević Reg. no. 1149.*

## 84.

**1274.**

*Dioniz ban javlja kralju Ladislavu, da je po svom čovjeku županu Bartolu uveo njegova liječnika Gerarda u posjed Trnave.*

Excellentissimo et benefactori suo Ladislao dei gracia illustri regi Vngarie Dynisius banus tocius Sclauonie perpetue fidelitatis obsequium indefessum. Literas uestre excellencie recepi debito cum honore, in quibus continebatur, quod cum dominus Bela auus uester et Stephanus pater uester illustres reges Hungarie inclitarum recordacionum quandam terram castri nostri Zagrabiensis Tornaua vocatam prope Zagrabiam existentem magistro Gerardo fideli fisico uestro contulissent et eciam uos contullissetis. Ego eandem cum omnibus utilitatibus et pertinenciis suis vniuersis ipsi magistro Gerardo statuere et assignare deberem et ipsum introductum in eandem auctoritate uestra firmiter conseruare. Ego igitur uestris mandatis obedire desiderans fideliter et deuote, ipsum

magistrum Gerardum per comitem Bartholomeum officialem meum de Pyhyna in corporalem possessionem ipsius terre feci introduci. Qui demum meam adiens presenciam, asseruit: quod predictum magistrum Gerardum in corporalem possessionem terre memorate introduxisset, presentibus commetaneis et vicinis, nullo contradictore penitus existente, ipsam terram in metis et terminis prioribus eidem assignando.

*Liber privileg. eppatus. zagrab. List. 56.*
*Tkalčić Monum. episc. Zagr. I. 174. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 119. — Kukuljević Reg. no. 1150.*

## 85.

**1274.**

*Henrik ban objavlja, da je Petar Rodolfov prodao svoju zemlju Petin u Bročini županu Perčinu.*

Nos Herricus banus tocius Sclauonie significamus vniuersis quibus expedit presencium per tenorem, quod constitutis in nostra presencia Petro filio Rodolphy ab una parte et Perchyno comite ab altera, idem Petrus confessus est uiua uoce, uendidisse quandam terram suam Petyn uocatam in terra Brochyna cum piscina et omnibus utilitatibus suis pro viginti marcis et una eidem comiti Perchyno et per eum suis heredibus heredumque successoribus iure perpetuo et inreuocabiliter possidendam, sub eisdem metis et terminis, sicut in litteris capituli Zagrabiensis continentur, quas quidem viginti marcas et unam prefatus Petrus dixit se ab eodem Perchyno comite plenarie recepisse. In cuius rey memoriam et perpetuam firmitatem presentes ad peticionem parcium concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum M°CC°LXX°IIII°.

*Original u kr. ug. drž. arkivu u Budimu M. O. D. L. no. 876. (St. signatura N. R. A. fasc. 1532. no. 24.) Na listini visi na svilenoj vrvci zelene i crvene boje lošni pečat. — Na hrptu istom rukom: »Privilegium Herrici bani super possessione Petyn.*
*Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont. IX. 88. — Kukuljević Reg. no. 1148.*

## 86.

**1274.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski daruje Ivanu Jaroslavovu grad Samobor.*

Ladislaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus presens scriptum inspecturis salutem in domino. Regum liberalitas pensare debet merita singulorum et illos presertim amplexari favore gracie pociores quos devota fidelitatis constancia culmini fecit regio complacere. Proinde ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod nos attendentes et considerantes, qualiter comes Iwan filius Irizlay fidelis noster, ne dum tempore gentis Tartarice, cum regnum Hungarie invasissent, prout per barones, nobiles et proceres regni nostri nobis clarius constitit luce clara, verum et ab omnibus infancie sue temporibus in plerisque casibus, diversis accionibus et multiplicibus expedicionibus et maxime contra regis Boemorum nostri inimici capitalis versucias indesinenter dimicando, nobis servivit fideliter, laudabiliter et devote; ipsum voluimus insignire regalibus dona[cionibus], quamquam modicum sit, quod ad presens agimus, suorum respectu meritorum . . . . . sentes, concedentes, donantes et ex certa sciencia statuentes, eidem comiti Iwan et per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus, quandam villam in Sclauonia existentem Zamabur nuncupatam cum suis iuribus universis et cum tributo porte prope ipsam villam in regni nostri confinio existentis, sitae in terra Iwan comitis antedicti iure perpetuo possidendam, maxime cum castrum quod in predicta terra Zamabur predicti Boemie regis homines construxerant, idem comes Iwan multo sudore, multis laboribus et expensis et non sine suorum sanguine et cruore ab ipsis inimicis nostris rehabuit et recepit. In cuius rei certitudinem presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti, sancte Strigoniensis ecclesie electi et comitis perpetui loci eiusdem, Budensis prepositi et aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno ab incarnacione domini MCCLXX quarto, regni autem nostri anno tercio. Venerabilibus patribus Stephano Colocensi et Joanne Spalatensi archiepiscopis, Lamperto Agriensi, Briccio Chanadiensi, Job Quinqueecclesiensi, Paulo Wesprimiensi aule nostre cancellario, Philippo Waciensi aule domine consortis nostre regine charissime cancellario, Timotheo Zagrabiensi, Dionisio Jauriensi et Petro Transilvano episcopis, ecclesias dei feliciter gubernantibus. Rolando pala-

tino et iudice Cumanorum, Dyonisio bano tocius Sclauonie, Egidio magistro tavernicorum nostrorum, Matheo wayvoda transylvano comite de Zonuch, Petro comite Supruniensi et Simegiensi, Moys magistro tavarnicorum domine regine consortis nostre karissime comite de Sapus (!) Petro magistro agazonum nostrorum, comite Zulgageuriensi, Salamone comite Albensi, Erney iudice curie nostre comite de Zatmar, Nicolao magistro dapiferorum nostrorum comite Musuniensi, Philippo comite Castri Ferrei, Dedalo comite Zaladiensi, Michaele comite Nitriensi et aliis quam plurimis comitatus regni tenentibus et honores.

*Iz zapisnika kaptola zagreb. no. XXIX. 35—6.*

*Fejér Cod dipl. VII. 2. 106 –108 po kolekciji Csehovoj meće u god. 1284., a u VII. 5, 589. pravo u god. 1274. Kukuljević Reg. no. 1144. u god 1274, a u br. 1382. zaveden očevidno od Fejéra meće u g. 1284.*

## 87.

**1274.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski potvrdjuje privilegija Petrinje.*

Ladislaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentibus et futuris ad quos presentes littere peruenerint salutem in eo qui regibus dat salutem. Justis petencium desideriis principis animum inclinari ordo iuris et uigor exigit equitatis; dummodo quod petitur equitati minime contradicat et iuri non preiudicet alieno. Ad uniuersorum igitur noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod hospites nostri de Petrina ad nostram accedentes presenciam exhibuerunt nobis priuilegium domini Stephani illustris regis Hungarie clare memorie karissimi patris nostri super libertate ipsorum confectum, postulantes cum instancia, ut idem ratificare et nostro dignaremur priuilegio confirmare Cuius quidem priuilegii tenor talis est.

*(Slijedi listina kralja Stjepana od god. 1271. 27. septembra.)*

Nos igitur precibus prefatorum hospitum fauorabiliter annuentes ipsum priuilegium de uerbo ad uerbum presentibus insertum duplicis sigilli nostri munimine innouantes duximus roborandum. Datum per manus magistri Benedicti sancte Strigoniensis ecclesie electi prepositi Budensis aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri anno domini MCCLXX° quarto, regni autem nostri anno secundo. Venerabilibus patribus Stephano Colochensi et Johanne Spalatensi archiepiscopis, Lamperto

Agriensi, Benedicto [Ch]anadiensi, Job Quinqueecclesiensi, Paulo Vesprimiensi aule nostre cancellario, Philippo Vaciensi aule domine regine consortis nostre karissime cancellario, Lodomerio Varadiensi, Thymotheo Zagrabiensi, Dionisio Jauriensi et Petro Transsiluano episcopis ecclesias dei fideliter gubernantibus, Dionisio palatino comite de Oclych et iudice Cumanorum, Nicolao vaywoda Transsiluano comite de Zonuk, Herico bano tocius Sclauonie, Iwanchyno magistro thauarnicorum nostrorum comite de Plys et Nicolao iudice curie nostre comite de Guetke, Paulo bano de Zeurino Moys magistro tauarnicorum domine regine karissime nostre consortis comite Symigiensi, Herbordo magistro agasonum nostrorum comite de Barana, Reynoldo dapiferorum nostrorum comite Zulgaiauriensi, Nicolao magistro pincernarum nostrorum, Johanne comite Supruniensi, Gregorio comite Castri Ferrei, Jacobo comite Nitriensi, Dedalo comite Zaladiensi et aliis quam pluribus comitatus regni nostri tenentibus et honores.

*Iz izvornog prijepisa kaptola zagrebačkog od g. 1341. 1. julija — Original potonje listine (od g. 1341.) nalazi se u kr. ug drž. arkivu u Budimpešti: M. O. D. L. no. 33.914. N. R. A. fasc. 1531. no. 3.*

*Wenzel Cod. dipl Arp. XII. 697—8. po istom izvoru. — Fejér Cod. dipl. V. vol 2. 230. donosi regest iz analek. Fejervari t. III. no. 153 — Kukuljević Reg. no. 1146.*

## 88.

**1274.**

*Saracen biskup krbavski primio je tužbu biskupa trogirskoga proti nadbiskupu spljetskomu glede Šibenika.*

In nomine domini amen. Saracenus dei gratia episcopus Corbaviensis et exactor episcopatus Sibenicensis universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem et pacem in domino sempiternam. Lamentabilem venerabilis patris Columbani episcopi Traguriensis querellam et protestationem recipimus, quod venerabilis pater Joannes archiepiscopus Spalatensis cibaret cum pane angustie atque tribulationis, immo potum daret sibi aquam fellis, destruere volens ecclesie sue statum et dividere intendens episcopatum suum in duas partes, contra omnia iura inrequisito domini pape assensu, contra statutum concilii generalis. Et cum propter hec et multa alia gravamina misisset virum probum et discretum nuncium suum et procuratorem Gervasium archidiaconum ecclesie sue ad appel-

landum, idem archiepiscopus sibi aditum sue presentie denegasset. Et cum voluisset in ecclesia cathedrali appellare, inde fecisset eum, non ut decuit, vel debuit, set ut voluit et valuit, expelli indecenter. Qui archidiaconus ad nostram presentiam accedens coram nobis et multis aliis nobilibus, qui nobiscum fuerant appellationem suam viva voce, sicut faciendam canonice sanctiones edocent, in scriptis renovavit et predictum episcopum dominum suum et ecclesiam suam protectioni sedis apostolice commendavit. Ad hoc archipresbyterum Tolconem, Duymum Martini iudices et Dragovanum Vatiz, Volchetam fratrem, Georgium Dragzal, Eliam Raduani, Tolenum Nicole consiliarios et cives de Sybenico pro et quod archipresbyter et clerici supradicti sanctum chrisma hoc anno ab eodem episcopo suo diocesano recipere renuissent et neglexissent, ac alia episcopalia sibi debita denegassent exhibere, dictos etiam iudices et consiliarios, qui requisiti pluries decimas sibi solvere contumaciter denegassent et quod deterius esset, nuncium suum et capellanum, cum ad decimas et sua iura destinasset exigendas, in ipsum manus violentas iniecissent et rebus suis spoliassent; propter que superius dicta sunt, exigente iustitia dictus archidiaconus in scriptis auctoritate dicti domini episcopi nobis et testibus quampluribus ad hoc specialiter vocatis, excommunicatos denunciavit. Huius rei testis sumus et ad hec presentes litteras nostras concessimus, sigillis nostris pendentibus munimine roboratas.

*Lucius Memorie de Trau 88. — Fejér Cod. dipl. VII. 4. 158—9. — Farlati Illyr. sac. IV. 354—5. — Kukuljević Reg. no. 1147.*

## 89.

**1275, 13. januara. U Zadru.**

*Draga udova Diminka Purnosa poklanja samostanu sv. Nikole u Zadru vinograd i tri komada zemlje u Cerodolu.*

In nomine domini amen. Anno incarnationis eius millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, mensis ianuarii, die tertiodecimo intrante, indictione tertia, Jadere. Temporibus equidem domini Laurentii Theupuli incliti ducis Venecie et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Albertini Mauroceni egregii comitis. Ego namque Dragha, vxor quondam Dyminçi dicti Purnos, habitans Jadere fateor, quomodo do, dono, trado atque transacto pro anima dicti viri mei et anima mea, secundum quod ipse vir meus michi ad obitum suum comisit et ordinauit, monasterio sancti Nycolai de Jadera, ordinis sancte

Clare sito in ciuitate Jadere, totam vnam vineam et tres petias terrarum quas ipse vir meus prenominatus simul mecum lucratus fuit, tenuit atque habuit, positas ad Çerodolum. Et est ipsa vinea uersus quirinam iuxta vineam scole fratrum sancte Trinitatis et iuxta vineam Tolle. Terrarum uero predictarum vna petia est iuxta vineam Radouani uersus boream et alia petia est iuxta terram Georgii Colouos uersus trauersam et tertia petia, que habet sasaddam est iuxta vineam Bitke et iuxta vineam Mestigne. Taliter quod a die obitus mei in antea dicta vinea cum suprascriptis terris libere et precise cum omni iure suo in prefato monasterio sancti Nycolai debeat perpetualiter remanere, habendo exinde abbatissa prefati monasterii vna cum sororibus suis plenissimam virtutem et potestatem in predictis vinea et terris suam omnimodam voluntatem faciendi ad vtilitatem monasterii pretaxati nemine sibi exinde in perpetuum contradicente. Et ita ego predicta Dragha volo, quod hec presens carta robur perpetue obtineat firmitatis. Actum est hoc et firmatum presentibus his vocatis et rogatis testibus, videlicet Georgio filio quondam Primiçi et magistro Petro Murario de Cumis.

*(Drugi rukopis.)*

Ego Micha Boorç examinator manum meam misi.

Ego Vincentius ecclesie sancte Marie maioris clericus et Jadrensis notarius predictis interfui rogatus vt audiui hanc cartam scripsi, roboraui et signo solito signaui.

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru, odio samostana sv. Nikole br. 56. Prema indikciji ima biti god. 1275.*

## 90.

**1275, 21. februara. U Spljetu.**

*Marica Teramuci prodaje i zamjenjuje zemlju svoju u Mrnjanu za zemlju Dobrače u Badima.*

In nomine domini nostri Jesu Christi amen. Anno a natiuitate eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, indictione tercia, Spaleti, die iouis octaua exeunte februario, regnante domino nostro Ladislao serenissimo rege Hungarie, temporibus domini Johannis venerabilis archiepiscopi Spalatensis, domini Pauli de Birberio illustris comitis, ac dominorum Dragi Magni, Dobri Dusciçe et Duymi Michaeli iudicum. Marichena Radini Teramuci uendidit et tradidit iure proprio et in perpetuum Dobraçce relicte Toli terram suam que est in Mergnano bannitam per riuarium comunis publice in plathea, positam sub terra sancti

Georgii et prope terram que fuit Dessislaue Pisscirelli ad habendum, tenendum, possidendum, uendendum, donandum et quicquid ex ea ipsi dicte Dabraçce eiusque heredibus deinceps in perpetuum placuerit faciendum cum introhitu (!) suo et exitu, suis rationibus, pertinenciis et circumstanciis cunctis, omnibusque et singulis supra se, infra se et infra se habitis in integrum, omnique iure et accione, usu seu requisitione sibi ex dicta terra uel pro ea modo aliquo pertinente siue expectante, pro precio decem et octo librarum denariorum Venecie paruorum, quod precium totum dicta Marichena fuit confessa se a dicta Dobracça accepisse et sibi ab ea integre datum atque solitum esse et in signum pure uendictionis(!) ab eadem habuisse tres barcos per longum et latum de terra in Bade pro cambio secundum consuetudinem ciuitatis Spaleti, promittens per se suosque heredes ipsi predicte Dobracçe pro se suisque heredibus stipulanti dictam terram ei eiusque heredibus ab omni homine legittime defendere et excalumpniare cum bonorum suorum omnium mobilium et inmobilium habitorum et habendorum obligacione. Actum ante domum quondam Rambaldi presentibus Peruono Carbine, Matheo Dese Ricçi, Stanicha Teramuçi testibus et aliis.

Ego Johannes Dabralis conscius examinaui.

Ego magister Francisus(!) Anconitanus imperiali auctoritate notarius et nunc autem notarius ciuitatis [Spa]leti hiis omnibus interfui et a supradicta Marichena rogatus eius uoluntate scripsi et roboraui.

*(Monogr. not.)*

*Original u arkivu samostana sv. Marije u Zadru.*

## 91.

**1275, 22. februara. U Dubrovniku.**

*Traži se povratak miraza.*

Die veneris XXII. februari coram domino comite et iuratis iudicibus Grubessia de Ragnana, Lucaro Fusci, Mathia de Menze et Marino de Pesegna. C. Damianus de Bocignolo petiit Marino de Caboga, quod ipse recepit certam quantitatem pecunie in perchiuio cum vxore sua sorore dicti Damiani, que pertinet ad dictum Damianum et debet uenire ad Damianum post obitum dicti Marini. Et quia dictus Marinus posset facere aliquam obligationem uel ordinamentum in preiudicium dicti Damiani et ideo petiit, quod aut det ei dictam monetam, aut faciat talem securitatem, quod ipse Damianus suo loco et tempore possit habere

dictam pecuniam. Ad que respondit Marinus Vrsasii de Gleda procurator dicti Marini de Caboga per suum aduocatum Balium Martoli, quod petebat inducium VIII. dierum, cui datum fuit dictum inducium per graciam.

*Diversa cancellarie 1275. U Dubrovačkom arkivu.*

## 92.

**1275, 24. marta.**

*Ladislav kralj ugar. i hrvatski javlja, da je ljećniku Gerardu poklonio posjed Trnovu, u koju ga je uveo bivši ban Dioniz, te želi, da ga nitko u tom posjedu ne smeta.*

Ladislaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentes litteras intuentibus salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod gratam fidelitatem et commendabilia merita circumspecte prouidencie uiri magistri Gerardi, artis medicine professoris, fidelis phisici nostri, quibus coram nostris et predecessorum nostrorum Bele uidelicet aui nostri et Stephani genitoris nostri dominorum olim illustrium regum Hungarie occulis meruit multipliciter conplacere, nostrum et eorumdem corpora in adoptate sanitatis statu conseruando per tempora longiora. Attendentes reuocantesque in animum, qualiter idem magister Gerardus per exercitate sollicitudinis sue fidam operacionem nos auxiliante domino de graui egritudinis articulo, ubi de uita nostra poterat merito dubitari, pristine restituit sanitati. Nos in aliqualem remuneracionem tot et tantorum meritorum suorum ex certa sciencia et mera liberalitate de baronum nostrorum nichilominus consilio et consensu, contulimus eidem magistro Gerardo quandam terram castri Zagrabiensis Tornowa uocatam, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis vniuersis, terris uidelicet cultis et incultis, uineis, siluis, nemoribus, aquis, pratis, fenilibus ab ipso Zagrabiensi castro exceptam penitus et exemptam, per eum et per suos heredes heredumque suorum in posterum successores inreuocabiliter perpetuo pacifice possidendam, eam sibi per Dyonisium comitem, tunc banum tocius Sclauonie, nullo contradictore apparente, sicut id eiusdem bani littere declarabant, assignari faciendo. Volentes et presenti ediccione perpetuo duratura statuentes, ut tam ipse magister Gerardus, quam eius posteri, terram eandem in metis prioribus et antiquis terminorum distin-

cionibus sine inquietacione quorumlibet perpetuo possidere ualeant et habere. Ut igitur huius nostre collacionis series robur obtineat perpetue firmitatis, nec processu temporum ualeat per quempiam retractari, aut in irritum quomodolibet reuocari, presentes eidem magistro Gerardo concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti sancte Strigoniensis ecclesie electi eiusdemque loci comitis perpetui prepositi Budensis et aule regie vicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno domini MCCLXX quinto, IX kalendas aprilis, regni autem nostri anno tercio. Venerabilibus patribus Stephano Colocensi et Johanne Spalatensi archiepiscopis, Philippo Waciensi aule domine regine consortis nostre carissime cancellario, Job Quinqueecclesiensi, Wesprimiensi sede vacante, Thimotheo Zagrabiensi, Dionisio Jauriensi et Petro Transiluano episcopis, ecclesias dei feliciter gubernantibus. Rolando palatino, iudice Cumanorum, Vgrino bano de Zeurino, Thoma filio Chelley iudice curie nostre comite Posoniensi, Egidio magistro tawarnicorum, Nicolao magistro dapiferorum comite Musuniensi, Chepano magistro pincernarum, Petro magistro agazonum nostrorum, Moys magistro tavarnicorum domine regine consortis nostre carissime, Herrando(!) magistro dapiferorum eiusdem domine regine comite Zaladiensi, Mateo woywoda Transiluano comite de Zonuk, Petro comite Supruniensi et Symigiensi, magistro Stephano comite Wesprimiensi et aliis quam pluribus comitatus regni nostri tenentibus et honores.

*Original na koži, na crveno-bijeloj vrvci visi pečat, u arkivu kapt. fasc. 23. br. 83.*

*Tkalčić Monum. episc. Zagr. I. 174—175. — Wenzel Cod. dipl. Arp. XII. 115—116. (pod g. 1274.)*

## 93.

**1275, 10. aprila.**

*Gabrijan prodaje svoju zemlju Dobra zvanu u vukovskoj županiji.*

Conuentus domus hospitalis Jerosolimitani de Alba omnibus presentes litteras inspecturis salutem in domino sempiternam. Ad vniversorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod Gabrianus filius Jacou de Pochunta et comes Herricus filius Nicolai di Vrumychaz cum fratre suo Nicolao comitibus ad nostram presenciam accedentes detulerunt, quod idem Gabrianus terram Dobra uocatam in comitatu de Wolko existentem sex aratrorum quantitatis certis et antiquis metis ac terminis ab omni parte sui olim distinctam et a Dominico filio Egue de Dobra comparatam titulo empcionis nullo alio participante, sicut dixit, pro quin-

decim marcis argenti plene habitis et receptis predicto comiti Herrico et sue posteritati se confessus est uendidisse et assignasse perpetuo possidendam, cui quidem comiti Herrico racione commetaneitatis vicinitatis sue dinoscebatur competere ad emendum, assumpmens eciam idem Gabrianus ipsum comitem Herricum et suos heredes ac successores ab omni lite racione eiusdem terre emergente expedire suis laboribus et(!) perpetuam firmitatem presentes litteras nostro sigillo dedimus communitas. Anno domini M°.C° C.LXX-mo quinto, quarto idus aprilis, fratre Guillermo priore eodemque custode ecclesie nostre et fratre Ugone preceptore domus nostre existentibus.

*Original u kr. ugar. drž. arkivu u Budimpešti. M. O. D. L. 33.723. N. R. A. fasc. 1503 no. 13. — Na listini visi na crveno-svilenoj vrvci slomljen pečat.*

*Fejér Cod. dipl. V. 2, 297—298. — Wenzel Cod. dipl. Arpad. IX. 141 (regest) XII. 164—165 cijelu. — Kukuljević Reg. br. 1151.*

## 94.

**1275. 21. aprila. U Zagrebu.**

*Timotej biskup zagrebački posvećuje u stolnoj crkvi zagrebačkoj žrtvenik uz čast sv. Petra i Pavla.*

Anno domini MCCLXXV, XI. kalendas maii, consecratum est altare in sacristia Zagrabiensi a venerabili patre domino Thymotheo episcopo Zagrabiensi, ad honorem sanctorum apostolorum Petri et Pauli, in quo continentur iste reliquie, videlicet eorumdem apostolorum Petri et Pauli, gloriose virginis Marie, sancti Johannis baptiste, sancti Johannis ewangeliste, sancti Bartholomei apostoli, sancti Jacobi maioris et minoris, sanctorum Symonis et Jude, sancti Luce ewangeliste, sancti Siluestri pape sancti Sixti pape et martiris, sancti Nicolai episcopi et confessoris, sancti Francisci confessoris, sancti Jeronimi confessoris, sancti Dominici confessoris, sancti Stephani regis et confessoris, sancti Ladizlai regis et confessoris, sancti Emirici regis(!) et confessoris, sancte Marie Magdalene, sancte Elyzabeth.

*Bilješka na listu staroga breviara crkve zagrebačke, u arkivu kapt. zagreb.*

*Tkalčić Monum. episc zagr. I. 175—176. — Wenzel Cod. dipl. Arp. XII. 154. donosi regest.*

## 95.

**1275, mjeseca maja. U Trogiru.**

*Pomoć Trogirana pogorelim Rabljanima.*

1275, die . . . mensis madii, capta fuit pars inter 40, quod hominibus de Arbis, qui combusti fuerunt, debeat fieri gratia de amphoris 80 vini, quae gratia debeat vendi per duos de 40 et pecunia debeat mitti communi Arbi ad dandum et distribuendum inter illas personas, quae habuerunt dampnum et hoc completo termino de illis gratiis, quae ordinatae sunt per consilium.

*Lucius Memorie di Traù 168. — Fejér VII. 4. 166. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 165.*

## 96.

**1275, 9. lipnja. U Zagrebu.**

*Ivan ban predaje u vlastničtvo biskupa zagrebačkoga posjed Faiz (Kraljevec), što mu ga je bio poklonio kralj Ladislav.*

Nos Johannes banus tocius Sclauonie memorie commendantes significamus quibus expedit vniuersis presentium per tenorem, quod venerabilis pater dominus Thymotheus dei gracia episcopus Zagrabiensis exhibuit nobis literas domini nostri Ladizlai illustris regis Vngarie, continentes, quod ob merita seruiciorum eiusdem domini episcopi quandam terram castri Zagrabiensis Fayz vocatam, sitam sub castro eiusdem domini episcopi, ad ipsius peticionem sibi et ecclesie sue cum omnibus utilitatibus et pertinenciis suis possidendam iure perpetuo contullisset, ab omni iurisdictione castri Zagrabiensis penitus eximendo. Cuius quidem terre collacionem ipse dominus noster rex etiam suo priuilegio confirmasset et precipiebat nobis in eisdem literis suis, quod prefatam terram Fayz eidem domino episcopo et ecclesie sue iuxta sui priuilegii continenciam relinquere deberemus. Nos itaque mandatis domini regis obtemperantes, ut debemus, considerantes eciam ipsius domini episcopi meritoria obsequia et obsequiosa merita, que domino regi in diuersis regni sui negociis et expedicionibus impenderat et impendere poterat in futurum, prefatam terram Fayz inspecto tenore priuilegii domini regis super collacione eiusdem confecto, reliquimus domino episcopo et ecclesie sue et per eum suis successoribus

ab eodem castro Zagrabiensi exceptam penitus et exemptam iure perpetuo et irreuocabiliter possidendam, sub eisdem antiquis metis et terminis, quibus castrum Zagrabiense dinoscitur ab antiquo possedisse, presentibus tamen et assencientibus iobagionibus castri Zagrabiensis vniuersis. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus literas munimine nostri sigilli roboratas Datum Zagrabie, in octaua Penthecostes, anno domini MCCLXXV.

*Liber privileg. eppatus zagrab. list. 64 Tkalčić Monum. episc. Zagr. 176 i Monum civit. Zagr. I. 52 — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 151—152. — Kukuljević Reg. no 1153*

## 97.

**1275, 16. juna pred Ninom.**

*Nikola ban hrvatski vraća Trogiranima Klobučac, koji im je bio oduzeo njegov otac ban Stjepan.*

Nos Nicolaus banus totius Croacie, Dalmacie et comes de Guecka universis quibus presentes ostendantur salutem in salutis largitore. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod cum olim bone memorie pater noster Stefanus banus totius Sclavonie, sicut sibi placuit, subtraxisset communi et hominibus de Tragurio quasdam terras et possessiones in confiniis Tragurii positas, in loco vocato ad sanctum Petrum de Clobucichy, sub Ostrog, que terre subiecte et subposite fuerant castro Clissie, per dictum patrem nostrum et homines de Tragurio coram nobis proposuerunt et allegaverunt easdem terras ac possessiones ad se pertinere de iure, super hoc ostendentes privilegia a felicis memorie domino rege Bela olim edita et a serenissimo rege Stefano confirmata. Visis eisdem privilegiis et auditis allegationibus eorumdem hominum de Tragurio, cum iustitie consonum est, ut unusquisque possideat quod suum est, predictas terras et possessiones damus, concedimus et relaxamus supradictis hominibus de Tragurio absque omni contradictione libere, ac perpetualiter possidendas, similiter et confirmamus eisdem hominibus de Tragurio omnes terras possessiones quas habent, tenent et possident, que extenduntur usque ad terras de Blisoy, ut eas habeant et teneant absque contradictione alicuius persone, dantes et constituentes in prestaldum nobilem virum Radozlaum filium quondam comitis Jacov de Breberio ad hec omnia fideliter exequenda. Et ut igitur huiusmodi donatio, vel iusta collatio robur perpetuae firmitatis obtineat et firma perseveret

nec lapsu (temporum) in irritum revocetur, presentes contulimus litteras nostro pendenti sigillo communitas. Datum ante Nonam in quindenis pentecostes anno domini 1275.

*Lucius Memorie di Traù 93—94. — Fejér Cod dipl. Hung V. vol 2 291—2. priopćio fragmentarno Ibid. 314 no 7. donaša regest. Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 152—3. — Kukuljević Reg. no. 1152*

## 98.

**1275, 2. jula. U Dubrovniku.**

*Sud radi jednoga konja.*

Die secundo iulii coram nobili viro domino Michaele Mauroceno comite Ragusii et iuratis iudicibus Dimitrio de Menze, Andrea de Benissa, Michaele de Cluno et Vrsacio de Viliarice. C. Nobilis vir dominus Johannes Georgio duci fecit unum equum suum et presentari coram dicto domino comite et iudicibus suis dicens: uos domine comes et uos judices uidetis, quod non possum plus morari Ragusii et uado Venecias, istum equum quem Marinus de Gaymo uendidit bano de Bosna, ego tenui usque nunc et pro precio ipsius equi sum inductus in possessionem bonorum dicti Marini, videlicet vinearum ipsius (iuxta) formam sentencie late et possideo dictas vineas et dictus equus non est meus, immo est supradicti Marini. Ego presento ipsum equum, ut ille cuius est accipiat ipsum uel alius et de ipso faciat, sicut ei placet, quia de cetero me non intromitto de ipso equo. Vnde dominus comes et iudices suprascripti misimus Lampridium de Baysclaua vicarium et Miroslauum nepotem Grubesse ad domum dicti Marini absentis de Ragusio, ut dicerent ei, quod ipse aut recipiat dictum equum aut mittat respondendo super ipso Et dicti vicarius et Miroslauus redeuntes a domo dicti vicarii dixerunt. nos inuenimus vxorem dicti Marini iacentem in lecto et diximus ei uerba nobis commissa per dominum comitem et iudices suos. Et ipsa respondit nobis: dicatis domino comiti et judicibus, quod ego sum mulier et nescio quid debeam respondere, sed frater meus Dobrosclauus respondebit pro me. Qui Dobrosclauus predictus pro dicta sorore sua respondit et dixit soror mea est mulier et non intromittit se nisi de rocha siue colo et de mercationibus nichil se intromittit, quoniam dictus Marinus vir eius ueniret Ragusium, ipse respondebit cuicunque petere uoluerit in aliquid secundum consuetudinem Ragusii et de dicto equo ipsa se non intromittit. Et dominus comes et iudices suprascripti dixerunt predicto domino

Johanni Georgio: non bene uidemus, quod presentatis equum et audiuimus si dicitis: non pertinet ad nos dictum equum recipere, faciatis de ipso sicut uobis placet. Dictus autem Johannes dixit: nec ego de cetero habeo aliquid facere de ipso equo, accipiat eum ille cuius est uel alius pro eo, sicut ei placet. Et fecit ipsum ligari cum freno in publica platea communis ante logiam comunis. Et aduenıente sero predictus dominus Johannes intrauit in galeam dirrigens Venetias iter suum.

*Diversa cancellariae 1275. u dubrovačkom arkivu.*

## 99.

**1275, 7. jula. U Zadru.**

*Sud radi prolivene krvi.*

In Christi nomine amen Anno incarnationis eius millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, indictione tercia, die septimo iulii(!), Jadere, temporibus domini Laurentii Teupolo incliti ducis Veneciе et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis ar(chie)p(iscopi et domini) Albertini Mauroceni egregii comitis. Nos Thomas Çauata et Grisogonus de P.ciga Jadratini et Tolsa Lesnicich iudices deputati una cum nobili viro Pribigna filio quondam comitis Danielis de Birbirio, de predicto domino comite Jadrensi et de comite Paulo de Birbirio bano maritimo, de quadam questione seu questionibus et inimiciciis ortis inter Radouanum filium Domincii Draginich et Dachoy eius nepotem filium quondam Juan. Draginich ex una parte et ex altera Jurgum filium Tollisclaui Cacich super eo, quod dictus Jurgus accusabatur interfecisse supradictum Juanum Draginich et Jurgum filium predicti Radouani et super aliis questionibus ortis inter eos, iniuriis illatis et dampnis datis hinc inde occasione interfectionis predicte. Conuocatis partibus coram nobis et coram supradicto Pribigna coniudice nostro cepimus unanimiter et concorditer dictas questiones audire et querelas utriusque partis intelligere diligenter. Cumque querela de sanguine predictorum defunctorum deposita fuisset et per utrasque partes querele plurime deponentur de iniuriis, rapinis, incendiis et aliis dampnis sibi ad inuicem hinc inde illatis occasione supradicte interfectionis Tandem deo propicio auditis iuribus et allegationibus, petitionibus et defensionibus partium et habito consilio et deliberatione plenaria cum predicto Pribigna collega nostro, talem inter predictas partes sententiam promulgamus cum voluntate predicti Pribigne college nostri, vice ipsius et nostra pronuntiantes, arbitrantes, laudantes ac sententialiter iudicantes (auctoritate) nobis a predictis comite et bano in hac parte comissa, etiam de partium approbatione, quod de sanguine fuso propter interfec-

tionem predictorum Juani et Jurgi interfectorum et de morte ipsorum sit inter partes pax, finis (et) remissio sit deinceps et de omnibus iniuriis illatis hinc inde rapinis, incendiis et dampnis datis adinvicem usque presentem diem, sit finis inter eos et remissio et perpetua quietatio. Et quod predictus Radouanus una cum Juano de Nosdrogna Jadratino affident, quod ipse Radovanus non prestabit auxilium vel consilium tribus seruis predicti Jurgi filii Tollischlaui, qui ab eo effugierunt; sed idem Jurgus ipsos seruos suos persequatur, si uult, et eos recuperet ubicunque eos invenerit Preterea dicimus et promittamus(!), quod si dictus Jurgus filius Tollisclaui requireretur unquam ab aliquo vel aliquibus coram aliqua curia de sanguine predictorum interfectorum, quod dictus Radouanus et predictus Dachoy eius nepos teneatur ire coram curia illa et dicere, quod concordauerunt de (d)icto sanguine cum Jurgo predicto et quod predictus Jurgus [sa]tisfactionem iniurie illate predictis Radouano et Dacoy de morte et sanguine effusso(!) per ipsum Jurgum et predictorum interfectorum et pro bono pacis (solueret) quadraginta romanatos, quorum medietatem ad sanctum Michaelem (proxime) venturum et aliam medietatem ad festum natiuitatis domini proxime venturum. Precipientes hec omnia et singula a partibus obseruari sub pena centum biçantinorum nobis predictis iudicibus soluendorum et aliorum centum biçantinorum soluendorum parti predicta obseruanti et quod totiens pena comittatur, quociens contra predicta factum fuerit per aliquam partium predictarum. Et sic super huius nostre sentencie diffinitionem ego supradictus Thomas Çauata iudex nomine meo et supradicti coniudicis mei Pribigne et supradictos Gr(isogo)num Piciga, Tolsam Lesnicich coniudices meos dedi in pristaldos (et) hec omnia fideliter percomplenda, de voluntate etiam supradicti Pribigne in supradictis omnibus concordatis, quam quidem sententiam ambe partes acceptauerunt pro(mitten)tes cum heredibus suis supradicta omnia et singula obseruare et non contrauenire su(b) pena predicta super se et omnia bona sua habita et habenda. Actum est hoc coram his rogatis testibus Petro Johannis et Widone comite.

Ego Jacobus Çadulinus examinator manum misi.

Ego Nicolaus Feltrensis sacri palacii notarius et Jadrensis iuratus hiis interfui et rogatus scripsi et roboraui.

*(Signum notarii.)*

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru odio sv. Dominika.*

## 100.

**1275, 21. jula.**

*Kralj Ladislav potvrdjuje po Nikoli palatinu županima Kemen i Bathaler darovanu zemlju na posjedu Konjska.*

Ladizlaus dei gratia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam tam presencium, quam futurorum harum serie uolumus peruenire, quod Nicolaus palatinus comes Supproniensis et iudex Cumanorum nostram adiens presenciam a nobis cum instancia postulauit, quod cum in terra sua Koniska uocata quandam particulam terre Kemen et Bathaler comitibus fidelibus militibus suis pro multiplicibus seruiciis eorumdem contulisset, nos huic collacioni assensum et consensum regium prebere et collacionem eandem ratificare dignaremur, verum quia super facto terre eiusdem ad plenum uolumus edoceri et sic ipsam collacionem approbare, Saulo de Ryache homini nostro sub testimonio fidelium nostrorum capituli Cazmensis factum dicte terre duximus committendum. Quod quidem capitulum nobis postmodum rescripserunt in hunc modum: Saulus predictus homo noster cum eorum testimonio conuocatis commetaneis et vicinis reambulasset ipsam terram et statuisset predictis Kemen et Bathaler comitibus nullo contradictore penitus existente, nouas metas iuxta ueteres erigendo. Cum itaque predicti Kemen et Bathaler comites multimodas fidelitates pro genitoribus nostris et regno Hungarie sepius impendissent, nos et quedam seruicia ipsorum specialia in memoriam duximus reuocandum, quia cum Boemorum rex prius patris nostri et noster postmodum inimicus capitalis, etate nostra tenera considerata, valido exercitu suo congregato regnum nostrum introisset et ante castrum nostrum Jauriense castrametatus extitisset et nos magistrum Johannem tunc comitem Zaladiensem nunc banum tocius Sclauonie cum aliis fidelibus baronibus et iuuenibus nostris contra dictum regem misissemus, predicti Kemen et Bathaler comites eundem magistrum Johannem associantes cum hominibus ipsius regis Boemie pugnam inierunt, vbi laudabiliter dimicantes tres expertos milites dicti regis Boemie captiuarunt et nobis adduxerunt captiuatos, unde idem rex Boemie auxiliante deo recessit fugitiue. Preterea cum idem Boemorum rex iterato collectis uiribus suis contra nos et terram nostram procederet et nos ad tuicionem scilicet defensionem terre nostre predictum magistrum Johannem et comitem Nicolaum fratrem eius ac alios multos barones nostros misissemus, idem

Boemorum rex molem nostri exercitus non valens sustinere ad castrum suum Loa vocatum se recepit, sub quo castro idem comes Kemen per homines dicti regis extitit vvlneratus(¹). Ceterum cum idem rex multitudinem hominum armatorum in castrum suum Marhegh uocatum destinasset ad hoc, ut de eodem regnicolis nostris dampna plurima inferrantur, nos iamdictos magistrum Johannem et ipsum Nicolaum comitem ad obsidendum dictum castrum duximus transmittendum, ubi homines de eodem castro exeuntes cum eisdem pugnam habuerunt, ibique idem Bathaler comes in pede dextro lancea est transfossus et in aliis membris suis crudeliter vvlneratus, ubi et Martinus cognatus eius, ut feruencius fidelitatem suam exerceret, extitit interemptus. Item cum Johachinum magistrum tauarnicorum nostrorum, Matheum tunc banum tocius Sclauonie nunc woywodam Transiluanum et Dyonisium tunc comitem de Okluch nunc magistrum tarnicorum(¹) domine regine consortis nostre karissime et comitem Zaladiensem ac predictos magistrum Johannem et Nicolaum comitem simul cum aliis multis baronibus nostris ad vastus spolia et incendia committenda in regno dicti regis Boemie misissemus, prefati Kemen et Bathaler comites in regno et sub diuersis castris eiusdem regis multa vulnera letalia exceperunt Item cum Stephanych de Holun infidelitate ductus deuastaciones plurimas in terra nostra commisisset et iamdictum Nicolaum comitem ad effugandum eundem misissemus et iniisset cum ipso Stephanich et eius exercitu, sepedicti Kemen et Bathaler comites honestos homines ipsius Stephanych captiuarunt, letalia tamen in se vulnera sustinendo, prout premissas fidelitates et seruicia eorumdem sepedicti magister Johannes et Nicolaus comes ac alii socii ipsorum nobis recitarunt Igitur nos consideratis tot et tantis fidelitatibus et meritoriis seruiciis ipsorum, terram prenotatam cum omnibus vtilitatibus et pertinenciis suis vniuersis eisdem Kemen et Bathaler comitibus reliquimus et dimissimus ac etiam contulimus iure perpetuo possidendam, collacionem dominii ipsorum ratam habendo et acceptam Cuius quidem terre mete, prout in litteris dicti capituli contineri uidimus, hoc ordine distinguntur. prima meta incipit iuxta terram Dedomir a parte orientis in meta terrea sita iuxta aquam Koniska uocatam, inde tendens versus occidentem uenit ad aliam metam terream ibique cadit in parvam aquam Konschicha, per quam procedens uersus septemtrionem uenit ad metam terream vbi conmetatur terre Sauli, que quidem meta terrea est iuxta pontem, inde asscendit uersus partem orientis ad montem et uenit ad metam terream sitam iuxta uiam, inde descendit ad quandam siccam vallem, quam transiens uenit ad arborem nyar cruce signatam meta terrea circumfusam, inde directe transiens dictam aquam Koniska ascendit ad montem, de quo descendit in riuulum Terstena in

meta terrea ubi contiguatur terre castrensium, inde per eundem riuulum procedens in breui spacio inferius exit ad metam terream ibique con metatur terre Zlobyuch, [un]de tendens uersus occidentem uenit ad uiam, quam transiens procedendo in modico spacio uenit ad arborem cruce signatam meta terrea circumfusam, inde procedens cadit in dictam aquam Konscha per quam procedens[,] uenit ad priorem metam ibique terminatur. [Ut] autem huius rei series robur optineat perpetue firmitatis et ne processu temporum per quempiam possit uel debeat in irritum reuocari aut aliquatenus retractari, presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus wenerabilis uiri magistri Benedicti sancte Strigoniensis ecclesie electi eiusdem loci comitis perpetui aule nostre vicecancellarii prepositi Budensis dilecti et fidelis nostri, anno domini M CC L XX. quinto, indiccione tercia, duodecimo kalendas augusty regni autem nostri anno tercio. Venerabilibus patribus Stephano Colochensi et Johanne Spalatensi archiepiscopis, Job Quinqueecclesiensi, Philippo Wacyensi aule domine regine consortis nostre karissime cancellario, Thymotheo Zagrabiensi, Lodomerio Waradiensi, Petro Transiluano episcopis ecclesias dei feliciter gubernantibus, Nicolao palatino iudice Cumanorum comite Supruniensi, Johanne bano tocius Sclauonie, Nicolao bano maritimo, Matheo woywoda Transiluano comite de Zonnuk, N[icolao] iudice curie nostre, Johachino magistro tarnicorum(!) nostrorum, Renaldo magistro dapiferorum nostrorum et aliis quam pluribus comitatus regni nostri tenentibus et honores.

*Original u arkivu jugoslavenske akademije u Zagrebu Diplomata a. 1275. Originalna potvrda u istom arkivu Ljudevita I. od 13 okt. [illegible]. Sigmundova od god. 1407. Listina je dosta oštećena, pečata nema, ali ga je bilo, kako to pokazuju prorezi na dolnjem kraju listine.*

## 101.

**1275, 26. jula. U Spljetu.**

*Nadbiskup spljetski Ivan čini s Petrom Slovinom zamjenu zemalja.*

In nomine domini nostri Jesu Christi amen. Anno natiuitatis eiusdem MCCLXXV. indictione III., Spaleti, die VI. exeunte iulio, regnante domino nostro domino Ladislauo serenissimo rege Hungarie, temporibus domini Ioannis venerabilis archiepiscopi Spalatensis, domini Pauli de Barberio(!) illustrissimi comitis, domini Vite Cerni Mergne de Jadera egregii Spalatensium potestatis, ac dominorum Camurcii Petri, Leonis Cazeti et Peruoslaui Dobralis iudicum. Venerabilis pater dominus Ioannes archi-

*

episcopus Spalatensis fecit permutationem seu concambium cum Petro Slouine de quadam terra dicti Petri positam in Pansano in contrata sancti Domnii et iuxta terram sancte Marię de Pansano. Quam terram dictus Petrus sua spontanea et bona uoluntate tradidit supradicto domino archiepiscopo recipienti pro se et suos successores, promittens dictus Petrus per se et suos heredes et successores, dictam terram deffendere et scalumpniare ab omni persona supradicto domino archiepiscopo et suis successoribus cum refectione damnorum et expensarum et obligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum. Pro qua terra supradictus dominus archiepiscopus dedit et tradidit de uoluntate et consensu totius capituli pro gambio dicto Petro terram sancti Domnii positam in Pilato iuxta uiam publicam et iuxta terram heredum Jacobi Scin et iuxta terram sancti Theodoti et terram Dabre relicte Velcine; promittens supradictus dominus archiepiscopus per se et suos successores dicto Petro et suis heredibus et successoribus dictam terram defendere et scalumniare ab omni persona cum refectione damnorum et expensarum et obligatione bonororum archiepiscopatus. Actum in palatio magno archiepiscopali presentibus hiis testibus ad hęc uocatis et rogatis, Madio Michę et Joanne Dabrali.

Ego Joannes Dragę conscius examinaui.

Ego magister Franciscus Anconitanus imperiali auctoritate et nunc iuratus notarius ciuitatis Spalati rogatus a partibus scripsi et roboraui

*(Signum notarii.)*

*Iz »Descrizione della mensa« (XVII. vijeka) fol. 164—5. u arkivu biskupskom u Spljetu*

## 102

**1275, 27. jula i 23. augusta.**

*Svjedočanstva bana slavonskog Ivana, Martina župana križevačkog i kaptola čazmanskog o prodaji zemlje izmedju potoka Mosyne i Zelnika*

. . . . . quasdam tres litteras priuilegiales vnam capituli ecclesie Chasmensis, rotundo et antiquo sigillo eiusdem consignatam et secundam domini Johannis olym tocius regni Sclauonie bani, ac terciam Martini condam comitis dicti comitatus nobis presentarat, quarum vna scilicet eiusdem Martini comitis sabbato proximo post festum beati Jacobi apostoli et secunda, videlicet predicti domini Johannis bani, Zagrabie feria sexta proxima post festum beati regis Stephani, nec non tercia dicti capituli sine termino emanacionis, omnes vniformiter loquentes sub

vno anno domini MCC. septuagesimo quinto confecte declarabant, quod Bank filio Boyzlay a parte vna, Voynech et Thoma filiis Martini pro se et pro Alexandro fratre ipsorum absente parte ex altera, coram ipso capitulo, domino Johanne bano et Martino comite constitutis iidem Voynech et Thomas quandam particulam terre eorum inter fluuios Mosyna et Zelnyk vocatos existentem sub distinccionibus metarum in eisdem litteris expressarum se confessi fuissent eidem Bank et suis heredibus pro quatuordecim marcis denariorum iure perpetuo vendidisse . . . . . . . .

*Iz izvorne listine podbana i župana križevačkog Tome, kojom dosudjuje Pavlu sinu Jakovljevu imanje Chakouch od g. 1393. novembra 29. u kr. ug. drž. arkivu u Budimu: Dl. 35.899 (bivša zbirka Kukuljevićeva).*

*Kukuljević Reg. 1159.*

## 103.

**1275. 27. jula.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski potvrdjuje listinu kralja Bele (od g. 1265. 25. maja), kojom ovaj poklanja zemlju Boliska u Koruškoj kod Križevaca svomu notaru Tomi i njegovom bratu Ivanu.*

Ladizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum tam presencium quam futurorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod discretus vir magister Thomas prepositus Hontensis fidelis noster ad nostram accedendo presenciam exhibuit nobis priuilegium domini Bele serenissimi principis felicis recordacionis, olim illustris regis Hungarie, karissimi aui nostri, super collacione terre Bolysk confectum petens cum instancia, ut idem ratificare et nostro dignaremur priuilegio confirmare, cuius tenor talis est.

*(Gledaj listinu od 1265. 25. maja.)*

Nos igitur iustis eiusdem Thome prepositi peticionibus inclinati, predictum priuilegium aui nostri ratum habentes et acceptum et de uerbo ad uerbum insertum presentibus confirmamus duplicis sigilli nostri munimine roborando. Datum per manus venerabilis viri magistri Benedicti sancte Strigoniensis ecclesie electi eiusdem loci comitis prepositi Budensis et aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno domini MCCLXXV., sexto kalendas augusti, indictione tertia, regni autem nostri anno tercio. Venerabilibus patribus Stephano Colocensi et Johanne

Spalatensi archiepiscopis, Job Quinqueecclesiensi, Philippo Waciensi aule domine regine consortis nostre karissime cancellario, Thimoteo Zagrabiensi, Lodomerio Waradiensi, Dyonisio Jauriensi, Petro Transsiluano et Andrea Agriensi episcopis, magistro Petro Wesprimiensi et magistro Gregorio Chanadiensi electis ecclesias dei feliciter gubernantibus Nicolao palatino iudice Comanorum comite Supromiensi, Nicolao woywoda iudice curie nostre, Johanne bano tocius Sclauonie, Joachino magistro tawarnicorum nostrorum, Dionisio magistro tawarnicorum domine regine comite Zaladiensi, magistro Rolando comite Castri Ferrey, Reynoldo magistro dapiferorum nostrorum comite Zulgageuriensi, Gregorio bano comite Simigiensi et aliis quam pluribus comitatus regni nostri tenentibus et honores.

*Original u arkivu jugoslavenske akademije u Zagrebu. Diplomata a. 1265. — Na listini visi svilena vrvca narančaste boje, pečat je otpao.*

## 104.

**1275, prije mjeseca augusta.***

*Nikola ban izvješćuje kralja Ladislava o raspri izmedju Trogirana s jedne te Šibenčana i Spljećana s druge strane.*

Illustri et excellenti domino suo domino Ladislavo dei gratia Hungarie regi suus devotus intimus et fidelis Nicolaus totius Croatie et Dalmatie gratia regia banus subiectionem tam debitam quam devotam, nec non cum omni recomendatione se ipsum . . . . . . . et fideles a domino ab debere et foveri, dignum quidem est et consonans rationi, quod civitas Tragurina que nunquam corone Ungarie suisque fidelibus nuntiis et mandatis resilire presumpsit, sed quod plus est, antiquitus et novissimo devota et fidelis extitit, et existit personarum pericula et rerum damna gravia minime evitando pro honore et fidelitate regis observanda, per regiam maiestatem suosque fideles et subiectos non solum in suis rebus et iuribus defendat, sed ad gratiarum merita de sancta fidelitate et constantia pre aliis civitatibus de Dalmatia adiuvari debere et favorabiliter exaudiri, ut fideles et virtuosi ad fidelitatem servandam et ad virtutum cumulos ferventiores animentur. Quum igitur relatione plurium ad meos auditus pervenerit in partibus maritimis vestre excel-

* Lucius stavlja ovu listinu nešto prije izbora zastupnika trogirskih (od god. 1276. 7. maja. Ib. p. 97) da sklope mir sa Splećanima i Šibenčanima. Nu budući se u samoj listini spominju privilegija Bele kralja i potvrda Stjepanova, dočim nema spomena o najnovijoj potvrdi kralja Ladislava (od g. 1275. poslije augusta) mora se ova listina staviti u istu godinu prije mjeseca augusta.

lentie subiectis, specialiter inter predictam civitatem Tragurii et personas et cives Spalatensis et comunitatem Sibenicensem ex altera guerram et dissensionem maximam fore ortam, prout honor vestre maiestatis et mee fidelitatis pertinet, illico ad ipsas partes maritimas accessi pro predicta guerra et dissensione sedanda et ad ipsas civitates ad pacem et concordiam reducendas. Verum quia predicti Spalatenses et Sybenzani nobilibus omnibus et potentioribus Sclavonie sociati contra predictam civitatem Tragurii hostiliter processerunt et non solum bona, sed etiam civitatem destruere conabantur, nisi ipsius civitatis Tragurii episcopus capitulum et cives universi permitterent et penitus consentirent, quod predicta comunitas Sybenicensis, que a tempore cuius non extat memoria fuit de diocesi predicte civitatis Tragurii, episcopum haberet proprium et pastorem in Sibenico residentiam facientem, nisi ipsi Spalatenses integre restituerent quasdam terras et possessiones per privilegia felicis recordacionis domini Bele serenissimi Hungarie regis eidem communitati Tragurii pro sua fidelitate de ipsorum Spalatensium voluntate concessis et per privilegium bone memorie domini Stephani illustrissimi regis postmodum confirmatas, prout per ipsa privilegia a me visa evidenter apparet, prohibitionibus et mandatis per me eis ex regia parte factis, ne contra predictam accederent civitatem privilegiis vilipensis. Cumque videretur ipsam civitatem ad destructionem personarum et rerum esse totaliter precipitatam superbia et potentia predictorum et eis propter meam modicam societatem resistere non audebam ad predictam destructionem evitandam, licet adrogantia (¹) maxima videatur, si subditi mandata et privilegia domini (regis) presumpserint in aliquo violare, eisdem Traguriinis precepi et mandavi, quod petitiones predictorum deberent penitus percomplere, ipsis vero respondentibus, quod ante patientur eorum civitatem destrui, quam consentiant petitionibus supradictis et dominorum regum privilegia frangerentur absque maiestatis regie conscientia et voluntate. Demum cum aliud non potuerim eis de iure, sed predictorum potentia ipsos Traguriinos coegi ad predictas petitiones in omnibus admittendas, qui licet inviti et pro destructione predicta evitanda meis preceptis et predictorum petitionibus totaliter paruere, que omnia maiestati vestre, ut in posterum reprehendi non possim, cum non voluntarie, sed coactus fieri fecerim, per presentes testifico totaliter facta esse, ut vestra excellentia videre possit, quod facere debeat in predictis.

*Lucius Memorie di Traù 96. — Farlati Ill. sacr. IV. 357. donosi drugu polovicu listine. — Fejér Cod. dipl. Hung. V. vol. 2. 361—2. donosi nepotpuno iz coll. Wagneriano-Jankovichiana lit. I. no 27. 299. sq. Krivo pod g. 1276. — Fejér VII. 4. 171—3. potpuno po Luciću. — Kukuljević Reg. no. 1173*

## 105.

**1275, 4. augusta. U Potoku.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski opominje svoju mater Jelisavetu, da vrati crkvi zagrebačkoj posjed Vašku, koju je sebi prisvojila.*

Ladizlaus dei gracia rex Vngarie etc karissime matri sue domine E(lisabeth) regine salutem quam sibi intimo cordis cum affectu. Cum nos regnum nostrum et coronam ac regiminis nostri processum suffragantibus meritis sanctorum progenitorum nostrorum et presertim sanctissimi Stephani regis patrocinio suffulti indubitanter credamus propensius gubernari, admiracione uehementi, mater karissima, cor nostrum concuti non immerito compellitur, quod cum in quibuslibet nostris agendis et presertim in spiritualibus uestre discrecionis consilio et regimine eciam nostri iuueniles actus esset expediens emendari. Vnde hoc prouenit, ut in persona uestre dileccionis, iam uergente deorsum uirtute corporea, accendatur et inualescat possessionum ecclesiasticarum inuasio et desolacio ac occupacio indebita contra deum et iusticiam attemptata. Cum etenim per nostros frequentes nuncios et literas nostri sinceri amoris desideratam vnionem sepius requisissemus, ut possessionem ecclesie sanctissimi regis Stephani de Zagrabia, Wasca uocata, occupatam contra deum et iusticiam reli(n)queretis et restitueretis, nullum effectum tam timor diuinus quam nostra sunt precamina consecuta, sed pocius, ut refertur et nobis constat per nuncios nostros, ipsa possessio ad exinanicionem extremam seuerius et miserabilius est deducta. Quapropter adhuc petimus affeccione qua possumus, quatenus relinquatis et remittatis possessionem prefatam ecclesie memorate et de iniuriis et dampnis illatis satisfieri faciatis ad plenum. Alioquin si prefatus venerabilis pater tam euidenti necessitate conpulsus, contra personam uestram et uestros ecclesiasticam processerit per censuram, nec nobis quoniam sepius vos requisierimus nec eidem poteritis imputare. Nos etenim ex regalis debito officii eidem domino episcopo deesse non possumus, nec post tot amoniciones iteratas licenciam in prosecucione iuris sui aliquatenus denegare. Datum in Potok in festo sancti Dominici confessoris.

*Liber privileg. eppatus zagrab. litt. 48.*

*Tkalčić Monum. episc. Zagr. I. 177. — Wenzel Cod. dipl. Arp. XII. 136. donosi regest. — Kukuljević Reg. no. 1155.*

## 106.

**1275, 11 augusta.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski daje Zagrebu mjesto Kobilu*

Ladizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in domino Jhesu Cristo. Ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod nos consideratis fidelitatibus et serviciis meritoriis fidelium nostrorum civium de monte Grecensi, que nobis in conservacione dicti castri nostri fideliter contra homines regis Boemie exhibuerunt et pro defectis eorum diversis nobis impensis, locis et temporibus oportunis, quandam villam castri Zagrabiensis Kobila vocatam cum terris arabilibus, silvis et fenetis ac aliis omnibus eiusdem utilitatibus, quam ad usum dictorum civium nostrorum admodum utilem esse intelleximus, eisdem civibus dedimus, donavimus et contulimus sub metis et terminis, quibus dictum castrum eandem possedit, iure perpetuo possidendam, eximendo eandem penitus et per omnia a iurisdiccione, debito et servicio castri supradicti. Ut autem hec nostra collacio robur optineat perpetue firmitatis, nec per quempiam valeat in irritum revocari, presentes eisdem concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis viri magistri Benedicti sancte Strigoniensis ecclesie electi eiusdemque loci comitis perpetui Budensis prepositi aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno domini MCC septuagesimo quinto, tercio idus augusti, regni autem nostri anno tercio. Venerabilibus patribus Stephano Colocensi et Johanne Spalatensi archiepiscopis, Job Quinqueecclesiensi, Philippo Waciensi aule domine regine cancellario, Tymotheo Zagrabiensi, Dyonisio Iauriensi, Petro Transilvano, Andrea Agriensi et Gregorio Chanadiensi episcopis, ac Petro in episcopum Wesprimiensem electo et confirmato, ecclesias dei feliciter gubernantibus. Nicola palatino comite Supruniensi iudice Comanorum, Johanne bano tocius Sclauonie, Nicolao bano tocius Croacie, Paulo bano de Zeurino, Nicolao iudice curie nostre, Iwachino magistro tawarnicorum nostrorum comite de Plys, Dyonisio magistro tawarnicorum nostrorum domine regine comite Zaladiensi et aliis quampluribus comitatus regni tenentibus et honores.

*Original u arkivu jugoslavenske akademije. Odlomak pečata visi na uzici crvenoj i zelenoj. Na leđima: »Super Kobila litera Ladislai regis«.*

*Kukuljević Arkiv za povj. jugosl. III. 81—82. — Wenzel Cod. dipl. Arpad. XII. 137—138. — Tkalčić Mon. civ. Zagrab. I. 52—53. br. 60. — Kukuljević Reg. br. 1156.*

## 107.

**1275, 11. augusta.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski potvrdjuje knezu Perčinu zemlju Glavnicu, darovanu mu po kralju Stjepanu, nakon što ju je Perčinu vratio Dioniz meštar dvorjanika kraljičinih.*

[L]adizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad uniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod cum pater noster karissimus inclite recordacionis dominus Stephanus illustris rex Hungarie quandam terram Glaunicha uocatam in comitatu de Moroucha existentem Percino comiti cum suo priuilegio contulisset et postmodum Dyonisius magister tawarnicorum domine regine consortis nostre karissime dicto comitatu de Moroucha ex nostra collacione ad ipsum perpetuo deuoluto, eandem terram Glaunicha abstulisset a comite Percino supradicto, tandem magister Dyonisius memoratus coram nobis personaliter constitutus predictam terram Glaunicha exemit, excepit et extraxit a priuilegio suo super ipso comitatu de Moroucha sibi concesso et exceptam ac extractam reliquit de bona uoluntate sua ipsi comiti Percino iuxta collacionem patris nostri predictam et sub metis in eiusdem priuilegiis contentis cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis perpetuo possidendam. Nos autem multiplices fidelitates et seruicia dicti comitis Percini que nobis cum persone sue captiuacione et suorum et rerum suarum expensione non modica in diuersis regni nostri negociis exhibuit, attendentes volentesque eidem, ut nostris tenemur fidelibus regio occurrere cum fauore, collacionem dicte terre per eundem patrem nostrum sibi factam iuxta continenciam priuilegii super eiusdem terre collacione confecti, auctoritate presencium confirmamus et eximimus eandem ab omni debito et seruiciis castri de Moroucha ita pure et simpliciter, ut nullus comitum de Moroucha uel officialium eorundem in dicta terra racione dict castri proprietatem uel iurisdiccionem aliquam possit uel debeat uendicare. Et relinquimus eandem ipsi comiti Percino, prout ceteri nobiles in partibus ultradrawanis constituti terras seu possessiones eorum detinent libere possidendam, cum et ipsum comitem Percinum inter primos et pociores regni nostri nobiles reputemus, nec aliquod debitum uel seruicium ipse et eius heredes dicto castro de eadem inpendere teneantur. In cuius rei memoriam et nostre concessionis firmitatem perpetuam presentes eidem

concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis viri magistri Benedicti sacre Strigoniensis ecclesie electi eiusdemque loci comitis perpetui Budensis prepositi aule nostre uicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno domini MCC septuagesimo quinto, tercio idus augusti, regni autem nostri anno tercio. Venerabilibus patribus Stephano Colocensi et Johanne Spalatensi archiepiscopis, Job Quinqueecclesiensi, Philippo Waciensi aule domine regine cancellario, Tymotheo Zagrabiensi, Dyonisio Jauriensi, Petro Transiluano, Andrea Agriensi et Gregorio Chanadiensi episcopis, ac Petro in episcopum Vesprimiensem electo et confirmato ecclesias dei feliciter gubernantibus, Nicolao palatino comite Supruniensi iudice Comanorum, Johanne bano tocius Sclauonie, Nicolao bano tocius Croacie, Paulo bano de Zeurino Matheo woyawoda Transiluano, Iwachino magistro tawarnicorum nostrorum comite de Plys et aliis quam pluribus comitatus nostri tenentibus et honores.

*Original u kr. ug. drž. arkivu u Budimpešti: M. O. D. L. 33.851. Stara sign. N. R. A. fasc. 1532. no. 31. — Na listini visi crvena i zelena svilena vrvca bez pečata.*

*Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 138—140. — Kukuljević Reg. no. 1157.*

## 108.

**1275, 12. augusta. U Budimu.**

*Joakim kraljevski blagajnik na zapovjed kralja Ladislava odustaje od pobiranja sedmero dinara od podložnika crkve zagrebačke.*

Nos Joachinus bi magister tavarnicorum domini regis, comes de Barana et de Plys, tenore presencium quibus expedit significamus vniuersis, quod Andreas magister tauarnicorum venerabilis patris domini Thymothei episcopi Zagrabiensis, vice et nomine domini sui, ac capituli eiusdem procurator, exhibuit nobis litteras domini nostri Ladislai incliti regis Vngarie super facto collecte septem denariorum banalium ex parte ipsius domini episcopi et sui capituli prouenencium, quod formam seu tenorem priuilegiorum dominorum regum Bele videlicet aui sui, Stephani patris sui karissimi, felicium recordacionum et litterarum suarum inspiceremus et inspectam continenciam eorumdem seruaremus et illese per exactores ipsius collecte faceremus obseruari. Quorum quidem priuilegiorum et litterarum inspectis tenoribus, comperimus populos predicti

episcopi et capituli eiusdem ab exaccione collecte septem denariorum de plenitudine graciarum regum esse misericorditer absolutos et penitus expeditos. Nos igitur, qui instituta et ordinacionem regiam fideliter obseruare cupimus, ab exaccione dicte collecte septem denariorum omnino cessauimus et penitus duximus desistendum, prout premissa singulorum et singula premissorum in priuilegiis et litteris regalibus expressius continentur. Anno domini MCCLXXV. datum in castro Budensi, secundo die post festum beati Laurencii martiris.

*Liber privil. eppatus. Zagrab. list 14.*
*Tkalčić Monum. episcop. Zagr. I. 177—178. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 150—1. — Kukuljević Reg. no. 1158.*

## 109.

**1275, 21. augusta. U Zagrebu.**

*Timotej biskup zagrebački posvećuje u stolnoj crkvi oltar na čast sv. Ladislava kralja.*

Anno domini MCCLXX. quinto, XII. kalendas septembris, consecratum est altare ante sacristiam per venerabilem patrem dominum Thymotheum episcopum Zagrabiensem ad honorem sancti regis Ladizlai. In quo altari continentur iste reliquie, videlicet eiusdem sancti regis Ladizlai confessoris, sancti Stephani regis confessoris, de pannis domini nostri Jhesu Christi, sancti Stephani protomartiris, sancti Laurencii martiris, sancti Gregorii pape, sancti Martini episcopi et confessoris, sancti Andree apostoli, sancti Dyonisii episcopi et martiris, sancte Katherine virginis et martiris, sancte Agnetis virginis et martiris, sancte Margarete virginis et martiris.

*Bilješka na listu pergamene staroga njekoč breviara.*
*Tkalčić Monum. episc. Zagr. I. 178. i Monum. civit. Zagr. I. 53—54*

## 110.

**1275, 31. augusta. U Spljetu.**

*Radi se o otstupu zemlje.*

In nomine dei eterni amen. Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, indictione tercia, vltimo augusti, reg-

nante domino nostro Ladislao serenissimo rege Ungarie, temporibus domini Johannis venerabilis Spalatensis archiepiscopi, domini Pauli Stepconis incliti comitis, domini Vice Zerni de Jadra egregi potestatis, Cammurcii Petri, Leoni Cazete, Pruoslai Dabralis iudicum Stanicha Nadini Cammurcii presentem fecit securitatem Dobrazze relicte Thali de terra, quam ipsa emit pro decem et octo libris denariorum paruorum a Marihna sua sorore que terra est in Mernano sub terra sancti Georgii et prope terram que fuit Dezislaue Posteli, confirmans eidem predictam uendicionem per suam predictam sororem factam de predicta terra ita, quod nec ipse neque eius heredes neque aliquis pro eo ipsam Dabranizzam(!) de predicta terra molestare et inquietare possit vel suos heredes et si . . . . . aliquid ex parte ipsius Staniche de ipsa terra uel pro ipsa terra tempore aliquo aparuerit, irritum permaneat et nullam vigoris optineat firmitatem. Actum in plocato in presencia domini Jacobi et Sergii canonicorum et aliis.

Ego Junius Dragi Vulzine examinaui conscius.

Ego vero domnus Lucas canonicus et iuratus notarius Spalatensis his interfui et utriusque partis voluntate rogatus, ut audiui scripsi et roboraui. *(Signum notarii).*

*Original u arkivu samostana sv. Marije u Zadru.*

## 111.

**1275. 14. septembra.**

*Iz ovoga se spomenika, koji govori o trgovini s Dalmacijom, kamo se slali brodovi žita u zamjenu za drvo, vidi, da su pod Slavonijom Napuljci razumijevali Dalmaciju* [ad subscriptas partes Sclavonie, videlicet: Jadram, Ragusium, Spalatum, Dragur'um(!) et Scienicum(!)].

*Reg. Ang.*

*Makušev Zapiski XIX. 2. prilož. 3 48.*

## 112.

**1275, 16. septembra. U Zadru.**

*Vučila sin kneza bribirskog Budislava daruje neku svoju zemlju u Račici Mihi Pečaru Zadraninu.*

In Christi nomine amen. Anno incarnationis eius millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, indictione tercia, die sexto decimo septem-

bris, Jadere, vacante ducatu Venecie per mortem domini Laurentii Teupolo incliti ducis Venecie, temporibus magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Albertini Mauroceni] egregii comitis Ego Volceta filius condam comitis Budisclaui de Birbirio pro amore et pura dilectione quam habeo in te quidem Micha Pechario Jadratino et pro multis gratuitis seruiciis que a te recepi per tempora retroacta iure pure et mere donationis, inter viuos que amplius reuocari non possit, do, dono atque transacto tibi predicto Miche quandam terram meam positam in Raçiça Ab austro possidet Pribigna de Birbirio, ab oriente Draga relicta Cerne de Merga Jadratina et a quirina seculari et a t[ra]u[er]sa est mea terra cum omni longitudine et latitudine sua et cum omnibus suis certis terminis, habentiis et pertinentiis tam subtus terra quam supra terram. Et sciendum est quod ego predictus Volceta pignoraueram predictam terram Bogde Lourechne Jadratino, propter quam pignorationem idem Bogde debet percipere fructus dicte terre per aliquantum temporis, secundum quod in publico instrumento continetur, completo autem termino ipsius Bogde plenam virtutem et potestatem habeas intromittendi, habendi, tenendi, possidendi, dandi, donandi et pro anima iudicandi terram predictam atque vendendi et totam tuam et heredum tuorum voluntatem exinde faciendi nemine contradicente in perpetuum. Et promitto cum heredibus meis terram predictam defensare et excalumpniare tibi predicto Miche et tuis heredibus ab omni persona super me et omnia mea bona habita et habenda Actum est hoc coram his rogatis testibus Thoma Çauate et Vite filio Madii Bucutitamb.

*(Drugi rukopis)*

Ego Jacobus Çadulinus examinator manum misi.

Ego Nicolaus Feltrensis sacri palacii notarius Jadrensis iuratus his interfui et rogatus scripsi et roboraui.

*(Signum not.)*

*Original u arkivu jugoslavenske akademije u Zagrebu: Diplomata a. 1275*

## 113.

**1275, 18. septembra. U Foggii.**

*Karlo kralj napuljski naredjuje, da se svuda na kopnu i moru progone Omišani.*

„Scriptum est iusticiario capitanatus Volentes non indigne procedere contra homines civitatis Dalmisie, emulos nostros, ac eis fertilitatem

regni nostri totaliter denegare et ipsos modis omnibus cohercere, fidelitati tue mandamus, quatenus per singulas terras famosas et specialiter per omnes terras et loca maritime iurisdictionis tue banniri facias et propterea inhiberi, quod nullus audeat et presumat sub pena persone et bonorum suorum homines predictos terre Dalmisii, cuiuscunque conditionis existant, in eorum domiciliis receptare aut recipere et occultare mercimonia aut aliqua bona ipsorum, nec alimenta ministrare eisdem, nec aliqua victualia, legumina et aliquam grassam, aut alia victui hominum opportuna, nec equos, nec arma destinare ad terram predictam. Et si quis contra presentem inhibitionem nostram contrarium forte fecerit, contra personas et bona eorum alte et basse, pro nostro arbitrio voluntatis contra omnes illos, quos culpabiles inveniri contigerit procedemus. Si vero aliquos homines predicte terre Dalmisii inveniri contigerit per terras et loca iurisdictionis tue, ipsos de personis eorum cum omnibus mercimoniis et bonis eorum quibuslibet facias arrestari, significaturus curie nostre et magistris racionalibus etc nomina et cognomina eorundem et in quibus terris et locis fuerint arrestati et que mercimonia et bona eorum arrestata sint et ubi et quando, nec non et valorem vel pretium eorundem particulariter et distincte. Date Fogie, 18. septembris IV. indictione (1275)«.

Similes facte sunt »iusticiariis terre Bari, Apructi et terre Idronti«

*Reg. Aug. Reg. Caroli 1275. A. vol. 22. f. 70. — Makušev Zapiski XIX. 2. pril. 3 59.—60 — Rački Rad XVIII. 218. ima sadržaj.*

## 114.

**1275, 27. septembra. U Zagrebu.**

*Inus župan zagrebački ustanovljuje zemljište mjestu Kobili.*

Nos Jnus comes Zagrabiensis significamus tenore presencium quibus expedit universis, quod nos, prout ex parte domini nostri Ladizlai incliti regis Hungarie et domini J(ohannis) bani tocius Sclauonie habuimus in mandatis, terram Kebela(!) vocatam cum omnibus appendiciis suis et utilitatibus universis sub metis antiquis et circumstanciis assignavimus et statuimus civibus de monte Grech, sine contradiccione, iure perpetuo possidendam coram testimonio capituli Zagrebiensis Paulo filio Vida pristaldo terrestri existente. In cuius rei certitudinem presentes contu-

limus sigilli nostri munimine roboratas. Datum Zagrabie in festo Cosme et Damiani martirum, anno domini MCC septuagesimo quinto.

*Original u arkivu jugoslavenske akademije, žice ostale, pečat otpao. Tkalčić Mon. civ Zagrab. 54. br. 62. — Kukuljević Reg. br. 1160.*

## 115.

**1275, 6. oktobra. U Zadru.**

*Izmirenje radi prolite krvi.*

In Christi nomine amen. Anno incarnationis eius millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, indiccione tercia die sexto octubris, Jadere. Temporibus domini Jacobi Contareno incliti ducis Venecie et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi ac domini Albertini Mauroceni egregii comitis plenam et irrevocabilem securitatem facimus nos Radouanus Draginich et Dacoy filius quondam Juani Draginich de viginti romanatis tibi quidem Jurgo filio Tollisclai Cacich, quos romanatos nobis dare tenebaris pro parte solutionis quadraginta romanatorum, quos nobis dare tenebaris pro satisfactione sanguinis supradicti Yuani patris mei predicti Dacoy et pro satisfactione sanguinis Jurgi filii olim mei supradicti Radouani, prout in carta siue sententia lata per Thomam Çaliatam Pribigni de Birbir et Grisononum de Piciga atque Tolsam Lassicich continetur. Et quod de predictis viginti romanatis nos bene soluisti, facimus tibi finem et remissionem et quietationem de predictis viginti romanatis, quos soluere debuisti usque ad festum sancti Michaelis proxime preterito, quam securitatem promittimus cum heredibus nostris ratam habere et tenere tibi et tuis heredibus sub pena auri librarum quinque, hac securitate rata manente in perpetuum. Actum est hoc coram hiis rogatis testibus Crissi de Piciga et Dominico Dobre de Begna.

*(Drugi rukopis.)*

† Ego Laurentius de Ciaudellis examinator manum meam misi.

Ego Nicolaus Feltrensis sacri palacii notarius nunc, et Jadrensis iuratus hiis interfui rogatus, scripsi et roboraui.

*(Signum notarii)*

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru. Odio samostana sv. Dominika br. 686.*

## 116.

**1275, 15. oktobra. U Spljetu.**

*Vučeta iz Trogira ostavlja oporukom sve svoje imanje ženi svojoj Dragi.*

In nomine domini nostri Jesu Christi amen. Anno a natiuitate eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, indictione tercia, Spaleti, die martis, quinta decima intrante octobri, regnante domino nostro Ladi[zlao] serenissimo rege Hungarie, temporibus domini Johannis venerabilis archiepiscopi Spalatensis, domini Pauli de Birberio illustris comitis, domini Vite Cerni Mergne de Jadera egregii Spalatensis potestatis, dominorum Camurcii Petri, Leonis Kaçette et Peruoslai Dabralis iudicum. Vul[ce]ta Stanoli de Tragurio sanus mente et corpore in senectute tamen positus, [dei] timens iu[dicium] et nolens intestatus decedere, hoc ultimum de suis bonis fecit et condidit testamentum. In quo quidem ipsa sua bona omnia mobilia et inmobilia ab hodierna die in antea in perpetuum iure proprio reliquit, dedit et contulit Drage uxori sue, filiet quondam Peruce ad habendum, tenendum, possidendum, uendendum, donandum et quicquid ex eis dicte Drage uxori sue deinceps placueri faciendum, sine aliqua ipsius eiusdem Uulcette uel alicuius alterius persone molestia uel contradiccione, ad . . . . s et dicens dictus Uulcetta per deum unum et super animam suam, quod . . . . . . cerat et diu habitauerant, cum qua etiam filias habuerat et habebat fu . . . sua amasia et non uxor et quod eam nunquam desponsauerat. Vnde filie, quas cum ea habebat, nichil de bonis ipsius Uulcette habere debebant de iure, nec etiam ipse Uulcetta uolebat, quod aliquid ipse sue filie ex eis habere deberent, set haberet omnia dicta [Dra]ga uxor sua legittima. Et in hiis fuit ultima dicti Uulcette uoluntas, quam . . . . . esse uoluit et manere ita, quod per ipsum Uulcettam uel aliquem alium non pos[sit] . . . . reuocari totaliter nec in parte. Actum Spalati apud ecclesiam sancti Michaelis, presentibus . . . . . . Stephani Justi, Drago Dusciçe testibus et aliis.

[Ego] Junius Dragi Vulcine conscius examinaui.

[Ego] magister Franciscus Anconitanus imperiali auctoritate notarius et nunc autem notarius ciuitatis Jadre hiis omnibus interfui et a sepedicto Uulcetto rogatus eius uoluntatem scripsi et roboraui.

*(Monogram not.)*

*Original u arkivu samostana sv. Marije u Zadru. — Listina je na desnoj strani oštećena.*

## 117.

**1275, 27. oktobra.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski potvrdjuje biskupiji zagrebačkoj posjed sv. Martina kod Vaške.*

Ladizlaus dei gracia Vngarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex vniuersis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris presens scriptum inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod venerabilis pater Thymotheus dei gracia episcopus Zagrabiensis dilectus et fidelis noster ad nostram accedens presenciam exhibuit nobis literas patentes Bele illustris regis Vngarie karissimi aui nostri felicis recordacionis, super terra sancti Martini confectas, petens a nobis cum instancia, ut nos ipsas literas habere et nostro dignaremur priuilegio confirmare. Quarum quidem literarum tenor talis est.

*(Slijedi Belina listina od g. 1259.).*

Nos itaque ipsius venerabilis patris iustis peticionibus inclinati, quia inspeximus ipsas literas non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte uiciatas, ymmo rite et legitime impetratas, tenorem eiusdem(!) de uerbo ad uerbum presentibus inseri facientes presencium auctoritate confirmamus, duplicis sigilli nostri munimine roborando. Datum per manus venerabilis viri magistri Benedicti sancte Strigoniensis ecclesie electi eiusdemque loci comitis perpetui prepositi Budensis aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri anno domini MCCLXX. quinto, VI. kalendas nouembris regni autem nostri anno quarto. Venerabilibus patribus Stephano Colocensi et Johanne Spalatensi archiepiscopis, Job Quinqueecclesiensi, Philippo Wachiensi, aule domine regine cancellario, Lodomerio Waradiensi, Dyonisio Jauriensi, Petro Transilvano, Andrea Agriensi, Gregorio Chenadiensi episcopis, Petro Wesprimiensi electo et confirmato ecclesias dei feliciter gubernantibus.

*Liber privil. eppatus. zagrab. list 48.*

*Katona Hist. crit. VII. 683. — Fejér Cod. dipl. Hung. V. vol. 2. 271—2. — Tkalčić Monum. episcop Zagr. I. 178–179. — Wenzel Cod. dipl. Arp. XII. 137. donosi regest. — Kukuljević Reg. no. 1161. i 1163.*

## 118.

**1275, 31. oktobra. U Stolnom Biogradu.**

*Nikola sin Dursanov zalaže biskupu zagrebačkomu zemlju Toplicu radi dužnih mu na desetini šesdeset maraka dinarskih.*

Nos Ladizlaus dei gracia rex Vngarie memorie commendamus significantes vniuersis, quod constitutis coram nobis ab vna parte Nicolao, filio Dursan et comite Demetrio iudice curie venerabilis patris Thymotei episcopi Zagrabiensis, pro eodem domino suo ex altera, idem Nicolaus quandam terram suam Toplicha vocatam, existentem iuxta terram generacionis Tybolch, eidem venerabili patri pro LX. marcis denariorum, a festo omnium sanctorum usque ad anni reuolucionem pignori obligauit, in quibus quidem LX marcis ipsi domino episcopo, racione decimarum suarum, dicebat se teneri, tali obligacione interposita: quod si in festo predicto in anno subsequenti celebrando, idem Nicolaus dictam terram suam non redemerit, extunc eandem perpetuare tenebitur domino episcopo memorato. Et si eadem terra maioris precii estimata fuerit, dominus episcopus iuxta estimacionem proborum virorum superaddet. Datum Albe, in vigilia omnium sanctorum, anno domini MCCLXXV.

*Liber privileg. eppatus zagrab. list. 46.*

*Ikalčić Monumenta episc Zagr. I 179. — Wenzel Cod. dipl. Arp XII. 142. donosi regešt. — Kukuljević Reg. no. 1162.*

## 119.

**1275 od 28. septembra — 12. novembra. Apud Castrum Merinum.**

*Kardinal Ivan upravlja na kneza i općinu zadarsku molbu, da zapriječe uznemirivanje samostana sv. Nikole.*

Johannes miseratione diuina sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardinalis nobilibus viris dilectis in Christo (Alberto Mauroceno) comiti, consilio et communi Jadrensi in salutis auctore salutem. Quanto ciuitatem Veneciarum dominus deus altissimus, a quo omnis potestas esse dignoscitur, insignioribus extulit titulis, honoribus potioribus ampliauit, tanto duces ciuitatis ipsius nec non et rectores et presides, qui diuersis in partibus eiusdem vrbis nomine siue uice diuersas iurisdictiones exercent, propter diuinam reuerentiam infra iuris metas suam artare debent et augustare potentiam, ut potestatis a deo sibi tradite quiescentes in finibus iuris-

*

dictionem ecclesiasticam non usurpent. Sed et vos Jadrensis incole ciuitatis comitem seu rectorem uobis a Veneciarum ciuitate concessum seu quoscumque alios, si qui essent iurisdictionem aliquam exercentes in Jadra, incitare, inducere seu requirere non debetis, ut in messem alienam inducant aliquatenus falcem suam. Sic enim uestra debetis uelle iura seruari, quod aliorum iustitia non ledatur et in uestre salutis dispendium quantum in uobis . . . . . . non fiat occupatio aliene. Sane dilecte in Christo filie abbatissa et conuentus monasterii sancti Nicolai de Jadra, ordinis sancte Clare, nobis ab apostolica sede in spiritualibus et temporalibus plene commissi, ad nostram nuper audienciam deduxerunt, quod cum ob diuinum intuitum quedam fuerint hactenus possessiones monasterio predicto legate, pro quibus, ut asserunt, iuxta testatoris testamenti tenorem soluerunt quantitatem pecunie satis magnam, quas possessiones aliquamdiu quiete et pacifice possederunt, quidam tamen layci Jadrenses, sue salutis immemores, monasterium ipsum super bonis ipsis molestant indebite et impetunt minus iuste. Vosque abbatissam et conuentum predictos ad dictorum laycorum petitionem coram uobis in uestra curia cogitis respondere, propter quod ad nos habuere recursum, ut super his adhibere oportuna remedia curaremus. Cum itaque iuris explorati existat, quod actor sequitur forum rei, actumque monasterium et persone in eo degentes non sub seculari, sed sub ecclesiastico iudice tamquam persone ecclesiastice debeant conueniri, nobilitatem uestram attente requirimus et affectuose rogamus, quatinus diuinum timorem nullatenus postponentes, sed ipsum sicut viri catholici et ecclesie romane deuoti habentes pre oculis in hoc casu prefatum monasterium et Christi ancillas sibi deuote, ut credimus, inibi famulantes nolitis sicut nec de iure potestis cogere uel artare, ut in uestra curia respondeant de premissis, cum iurisditio (!) non sit uestra, sed notorium sit et certum ad ecclesiasticum iudicem cognitionem et decisionem cause huiusmodi uel negotii pertinere, coram quo abbatissa et conuentus predicti, sicut nobis per suas intimauerunt litteras, sunt respondere parati et per omnia facere, quod iustitia exigit et requirit, predictos nichilominus ciues uestros ab indebita molestatione monasterii sepefati, sicut homines zelantes iustitiam et regularis obseruantie dilectores, potestate nobis tradita, prout nobis competit, conpescendo. Sic igitur a premissis tam iniusta inquietatione monasterii desistatis, quod nobis non prebeatur occasio per dominum nostrum summum pontificem et romanam ecclesiam aliqua super hoc contra vos exquirendi remedia, que forsitan nos grauarent, vobis quoque subtrahatur materia diuinam contra nos in uestrarum animarum periculum maiestatem perpera prouocandi. Nobisque merito ualeat esse gratum nostra precamina in tam salubris et rationabilis persuasionis oraculo

apud uos non esse inualida, sed potius fructuosa, ut proinde fortius animemur ad uestra in quibus possemus comoda promouenda. Datum apud castrum Marinum IIII. kalendas octobris, pontificatus domini Gregorii pape decimi anno quarto.

*Ovjerovljeni prijepis od 12. novembra 1275. na pergameni imade na početku ovo.*

Hoc est exemplum quarundam litterarum patentium venerabilis patris domini Johannis, dei gratia sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconi cardinalis, sigillatarum ipsius domini cardinalis bulla cerea integra et illesa, quarum talis est tenor:

*(Slijedi listina od 28. septembra 1275.)*

Et ut presenti transscripto fides plenior et certior futuris adhibeatur temporibus et de ipso non possit ab aliquibus dubitari, nos L[aurentius], dei gratia Jadrensis archiepiscopus sigillum nostrum nostrique capituli presentibus duximus appo[nendum].

Ego Vitus, Jadrensis archidiaconus et notarius, de mandato venerabilis patris domini Laurentii dei gratia Jadrensis archiepiscopi hoc exemplum sumptum ex autentico supradicti domini Johannis in carcere Tulliano diaconi cardinalis, eiusdem sigillo cereo sigillato. Anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, mense nouembri, die duodecimo intrante, indictione quarta, Jadre presentibus Designa archipresbitero Jadrensi, Simeone primicerio, Marco plebano sancte Marie maioris, Michaele plebano sancti Petri veteris et aliis pluribus, de uerbo ad uerbum fideliter exemplaui, nichil addens uel minuens, quod sententiam uariet seu mutet, scripsi, roboraui et signo consueto signaui.

*(Monogram not.)*

*U gubernijalnom arkivu u Zadru odio samostana sv. Nikole br. 60.*

## 120.

**1275, 4. decembra.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski oslobadja podanike Stjepana Mihajla od banskih daća.*

Ladizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in omnium saluatore. Prouida regum

dictionem ecclesiasticam non usurpent. Sed et vos Jadrensis incole ciuitatis comitem seu rectorem uobis a Veneciarum ciuitate concessum seu quoscumque alios, si qui essent iurisdictionem aliquam exercentes in Jadra, incitare, inducere seu requirere non debetis, ut in messem alienam inducant aliquatenus falcem suam. Sic enim uestra debetis uelle iura seruari, quod aliorum iustitia non ledatur et in uestre salutis dispendium quantum in uobis . . . . . non fiat occupatio aliene. Sane dilecte in Christo filie . . abbatissa et conuentus monasterii sancti Nicolai de Jadra, ordinis sancte Clare, nobis ab apostolica sede in spiritualibus et temporalibus plene commissi, ad nostram nuper audienciam deduxerunt, quod cum ob diuinum intuitum quedam fuerint hactenus possessiones monasterio predicto legate, pro quibus, ut asserunt, iuxta testatoris testamenti tenorem soluerunt quantitatem pecunie satis magnam, quas possessiones aliquamdiu quiete et pacifice possederunt, quidam tamen layci Jadrenses, sue salutis immemores, monasterium ipsum super bonis ipsis molestant indebite et impetunt minus iuste. Vosque abbatissam et conuentum predictos ad dictorum laycorum petitionem coram uobis in uestra curia cogitis respondere, propter quod ad nos habuere recursum, ut super hiis adhibere oportuna remedia curaremus. Cum itaque iuris explorati existat, quod actor sequitur forum rei, actumque monasterium et persone in eo degentes non sub seculari, sed sub ecclesiastico iudice tamquam persone ecclesiastice debeant conueniri, nobilitatem uestram attente requirimus et affectuose rogamus, quatinus diuinum timorem nullatenus postponentes, sed ipsum sicut viri catholici et ecclesie romane deuoti habentes pre oculis in hoc casu prefatum monasterium et Christi ancillas sibi deuote, ut credimus, inibi famulantes nolitis sicut nec de iure potestis cogere uel artare, ut in uestra curia respondeant de premissis, cum iurisditio (1) non sit uestra, sed notorium sit et certum ad ecclesiasticum iudicem cognitionem et decisionem cause huiusmodi uel negotii pertinere, coram quo abbatissa et conuentus predicti, sicut nobis per suas intimauerunt litteras, sunt respondere parati et per omnia facere, quod iustitia exigit et requirit, predictos nichilominus ciues uestros ab indebita molestatione monasterii sepefati, sicut homines zelantes iustitiam et regularis obseruantie dilectores, potestate nobis tradita, prout nobis competit, conpescendo. Sic igitur a premissis tam iniusta inquietatione monasterii desistatis, quod nobis non prebeatur occasio per dominum nostrum summum pontificem et romanam ecclesiam aliqua super hoc contra vos exquirendi remedia, que forsitan nos grauarent, vobis quoque subtrahatur materia diuinam contra nos in uestrarum animarum periculum maiestatem perpera prouocandi. Nobisque merito ualeat esse gratum nostra precamina in tam salubris et rationabilis persuasionis oraculo

apud uos non esse inualida, sed potius fructuosa, ut proinde fortius animemur ad uestra in quibus possemus comoda promouenda. Datum apud castrum Marinum IIII kalendas octobris, pontificatus domini Gregorii pape decimi anno quarto.

*Ovjerovljeni prijepis od 13. novembra 1275. na pergameni imade na početku ovo:*

Hoc est exemplum quarundam litterarum patentium venerabilis patris domini Johannis, dei gratia sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconi cardinalis, sigillatarum ipsius domini cardinalis bulla cerea integra et illesa, quarum talis est tenor:

*(Slijedi listina od 28. septembra 1275.)*

Et ut presenti transscripto fides plenior et certior futuris adhibeatur temporibus et de ipso non possit ab aliquibus dubitari, nos L[aurentius], dei gratia Jadrensis archiepiscopus sigillum nostrum nostrique capituli presentibus duximus appo[nendum].

Ego Vitus, Jadrensis archidiaconus et notarius, de mandato venerabilis patris domini Laurentii dei gratia Jadrensis archiepiscopi hoc exemplum sumptum ex autentico supradicti domini Johannis in carcere Tulliano diaconi cardinalis, eiusdem sigillo cereo sigillato Anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, mense nouembri, die duodecimo intrante, indictione quarta, Jadre presentibus Designa archipresbitero Jadrensi, Simeone primicerio, Marco plebano sancte Marie maioris, Michaele plebano sancti Petri veteris et aliis pluribus, de uerbo ad uerbum fideliter exemplaui, nichil addens uel minuens, quod sententiam uariet seu mutet, scripsi, roboraui et signo consueto signaui.

*(Monogram not.)*

*U gubernijalnom arkivu u Zadru odio samostana sv. Nikole br. 60.*

## 120.

**1275, 4. decembra.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski oslobadja podanike Stjepana Mihajla od banskih daća.*

Ladizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in omnium saluatore. Prouida regum

circumspeccio suorum subditorum sibi fideliter famulancium obsequia debet perspicere oculis pietatis et occurrere eisdem largifluis manibus atque donaticiis, vt eo exemplo alii suis naturalibus dominis addiscant diligenter famulari [Proinde ad vni|uersorum tam presencium, quam futurorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod attendentes fidelitates et meritoria obsequia et obsequiosa merita Stephani filii Michaelis |iuuenis| nostri, que idem domino Stephano patri nostro karissimo clare recordacionis et nobis ac regno Hungarie in diuersis expedicionibus cum omni feruore fidelitatis exhibuit et impendit, volentes eidem aliquali remuneracionis |gracia| in recompensacionem suorum seruiciorum respondere, licet maiora debuisset promereri, tamen ex munificencia regia statuimus et concessimus, vt populi eiusdem Stephani in banatu Sclauonie constituti collectam marturinarum et victualium, que zulusma (!) nuncupatur bano Sclauonie pro tempore constituto nullatenus soluere teneantur, sed ab huiusmodi collecta excepti penitus et exempti habeantur; sed iidem populi eidem Stephano domino suo, prout eidem uidebitur expedire in eadem collecta debeant respondere. Vt autem huiusmodi gracia per nos eidem facta et concessa robur optineat perpetue firmitatis et ne processu temporum per quempiam possit vel debeat in irritum reuocari, aut aliquatenus retractari, presentes concessimus litteras, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis viri magistri Benedicti sancte Strigoniensis ecclesie electi, eiusdem loci comitis perpetui, prepositi Budensis, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri anno domini MCC. septuagesimo quinto, II. nonas decembris, indiccione tercia, regni autem nostri anno quarto Venerabilibus patribus Stephano Colocensi et Johanne Spalatensi archyepiscopis, Philippo Waciensi aule domine regine consortis nostre karissime cancellario, Job Quinqueecclesiensi, Lodomerio Waradiensi, Thymotheo Zagrabiensi, Dyonysio Jauriensi, Petro Transsiluano, Gregorio Chanadiensi episcopis et Petro electo et confirmato Wesprimiensi ecclesias dei feliciter gubernantibus. Petro palatino comite Soproniensi et iudice Cumanorum, Thoma bano tocius Sclauonie, Vgrino woyuoda Transsiluano comite de Zonuk, Matheo magistro tawarnicorum nostrorum, Stephano magistro dapiferorum nostrorum comite Borsyensi, Petro magistro agasonum nostrorum, Rolando magistro tawarnicorum domine regine karissime consortis nostre comite de Zana, Moys comite Symigiensi, Michaele comite Nitriensi, Bagun comite Zaladiensi, Jvanka comite Albensi et aliis quam pluribus comitatus regni tenentibus et honores.

*Original u kr. ug. drž. arkivu u Budimu: M. O. D. L. no. 33.724. 629. (Stara sig. fasc. 1503. no. 15.) Na listini visi o svilenoj vrvci crvene*

*boje maleni odlomak pečata. — Na hrptu bilješka prve pole XV. vijeka: super relaxacione marturinarum.*

*Original ovaj je na desnoj strani vlagom oštećen i na mnogo mjesta teško čitljiv. Na ovim mjestima služila je dobro izvorna potvrda kralja Karla od g. 1324. 20. januara u istom arkivu: M. O. D. L. 912. (Stara sign. N. R. A. fasc. 643. no. 35.)*

*Fejér Cod. dipl. Hung. V. 2. 277—8. s više pogriješaka, naročito u datumu (IV. nonas., — Kukuljević Jura regni I. 85 -6. (po Fejéru.) — Wenzel Cod. dipl. Arp. IX. 116—7 po potvrdi Karlovoj. — Kukuljević Reg. no. 1143. (po Wenzelu) 1164. (po Fejéru.)*

## 121.

**1275. U Zagrebu.**

*Ivan ban ustanovljujući Zagrepčanima zemljište mjesta Kobile, izuzimlje ih ispod jurisdikcije banske i županije zagrebačke.*

Nos Johannes banus tocius Sclauonie significamus quibus expedit uniuersis memorie commendantes, quod cives de monte Grecensi ad nostram accedentes presenciam exhibuerunt nobis litteras domini nostri Ladizlai illustris regis Hungarie, in quibus nobis firmiter precipiebat, quod villam castri Zagrabiensis Kobyla vocatam cum omnibus terris, utilitatibus, circumstanciis et pertinenciis universis eis assignare et statuere deberemus, cum eandem villam propter commodum ville Grecensis, ob merita serviciorum eorumdem civium perpetuo eisdem contulisset, suo regali privilegio confirmando. Nos itaque preceptis domini regis obtemperantes, ut debemus, misimus Inus comitem nostrum Zagrabiensem ad faciem dicte terre, ut eandem villam Kobyla, simul cum terra sua rehambulando per veteres metas et antiquas, statueret et assignaret prefatis civibus perpetuo possidendam. Qui demum nostro mandato obtemperans, ut tenetur, prefatam villam Kobyla cum omnibus pertinenciis et circumstanciis reambulando per antiquas distincciones, presentibus omnibus iobagionibus castri Zagrabiensis, convocatis vicinis et commetaneis, prout idem comes Inus personaliter nobis recitavit, statuit et assignavit eisdem civibus perpetuo possidendam. Nec eo nos contenti, fecimus nobis exhiberi privilegium domini nostri regis super collacione prefate terre Kobila confectum, quo perlecto coram universis iobagionibus castri Zagrabiensis et plenius intellecto, quia comperimus in eodem, quod ipsam villam Kobyla dominus rex de consensu omnium baronum suorum prefatis civibus perpetuo contulerit possidendam. Nos collacioni domini

nostri regis consencientes et assencientes ad plenum, prefatam villam Kobyla, quia nemo de iobagionibus castri contradictor extitit, ab omni iurisdiccione castri Zagrabiensis exceptam penitus et exemptam, cum omnibus utilitatibus suis et pertinenciis supradictis civibus assignari fecimus et assignando reliquimus iure perpetuo possidendam. Retrahendo manus nostras seu comitis nostri, ab omni iurisdiccione atque iure, quo exinde, racione banatus nostri, nobis dinoscebatur provenire, volentes, quod de cetero iidem cives ac successores eorum prefatam villam pacifice et sine inquietacione qualibet valeant perpetuo possidere. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum Zagrabie anno domini MCC. septuagesimo quinto.

*Original oštećen, vrvca i pečat manjka, u arkivu jugoslavenske akademije.*

*Tkalčić Mon. civ. Zagrab. I. 54—55, br. 63. — Kukuljević Reg. br. 1175.*

## 122.

**1275. U Čazmi.**

*Pred kaptolom čazmanskim vraća se zemlja Hruševec uz povratak kupovnine.*

Nos capitulum Chasmensis ecclesie omnibus presentes litteras inspecturis salutem in domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod constitutis coram nobis personaliter ab vna parte Stephano filius Spoch, ex altera uero Sampson filius Boleta; ydem Stephanus terram Hruscuech uocatam, quam Bolchna frater Boleta patris predicti Sampsonis empcionis titulo predicto Stephano tradiderat pro sumpma pecunie duodecim marcarum eidem Sampsoni et suis per eum heredibus heredumque successoribus pro eisdem duodecim marcis plene acceptis, sicut retulit numeratis et habitis, reddidisse seu uendidisse est confessus. Mete autem ipsius terre, sicut nobis homo noster Varou sacerdos ecclesie beate Marie Virginis de superiori Izdench, quem ad faciem ipsius terre miseramus, nullo contradictore existente taliter distinguntur. Prima meta incipit de aqua Hruscuch, deinde ad arborem gertian, deinde uersus meridiem per antiquas metas ad arborem has, deinde similiter ad arborem pomi, deinde ad orientem ad arborem harast, deinde iuxta feneta superius siluam per unam mlakam ad magnam siluam, deinde iuxta siluam versus meridiem cadit ad predictam

nlakam et uadit per eandem ad occidentem ad tres arbores tul et deinde exit ad latus silue ad occidentem et peruenit ad quendam puteum, deinde per uallem nemorosam et exit iuxta siluam bik ad aquilonem, deinde ad unum znos (!) ad quendam fluuium qui currit ad occidentem et cadit ad predictam aquam Hruseuch. Vt igitur huius series temporum processu in irritum non possit reuocari, uel aliquatenus retractari, presentes concessimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno domini M°CC. septuagesimo quinto.

*Original u arkivu knezova Baćana u Körmendu. A. IV. L. VII. no. 207. — Na žuto-zeleno-ljubičasto-crvenoj svilenoj vrvci visi kesica sa već sasvim smrvljenim pečatom.*

*Wenzel Cod. dipl. arpad. XII. 158—159. — Kukuljević Reg. no. 1181.*

## 123.

**1275. U Čorgu.**

*Vitezi svetoga Ivana jerusalimskoga daju Perčinu načelniku zagrebačkomu Peščenicu i Lekenik za usluge učinjene njihovu redu.*

Nos frater Poncius de Fayn magister domorum hospitalis sancti Johannis Jherosolimitani per Vngariam et Sclauoniam significamus vniuersis quibus expedit, quod nos cum vniuersis fratribus nostris in capitulo nostro in die ascensionis domini in Chorgo celebrato nobiscum consedentibus, videlicet fratre Vgone Boraldy preceptore de Chorgo et de Vduorheel ac vices nostras gerente, fratre Gvyllermo de sancto Paulo preceptore de Chychan, fratre Vgone de Monte Claro preceptore de Alba, fratre Margarita preceptore de Bela, fratre Petro Ymberto preceptore de Zyrak et aliis quam plurimis, consideratis multiplicibus seruiciis et fidelibus comitis Perchyni potestatis de Monte Grecensi et Anthonii fratris sui, que domui nostre in diuersis neccessitatibus fideliter impenderunt et intendunt impendere in futurum, in quibus idem pro honore et libertate domus nostre laborem suum continuum expenderunt, que si precio debuissent comparari, cum quingentis marcis domus nostra potuisset minime comparasse(!); quasdam terras domus nostre, vacuas et quasi desertas, mynor Peschenycha et Lykenik vocatas, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis earundem. Quorum vnam, videlicet mynor Peschenycha, Borch et Zloyna cum fratribus eorum ex parte domus nostre quondam tenuerant, de quibus domus nostra uix annuatim vnius marce reditum percipiebat, dedimus, contulimus et tradidimus ipsi comiti

Perchino et fratri suo antedicto et per eos eorum heredibus heredumque successoribus iure feudi perpetualiter possidendas, pacto huiusmodi interiecto quod nulla possimus ab eisdem et heredibus eorum in futurum auferre racione, nisi in manifesta infidelitate contra domum nostram perpetrata notarentur, nec eciam per successorem nostrum aliquatenus possit retractari Preterea in siluis ad domum nostram de Chychan spectantibus, excepta silua Owas vocata, tam porci dicti comitis Perchini et fratris sui, quam eciam populorum suorum super dictis terris commorancium sine aliqua exaccione tributi pascantur et ligna tam pro hedificiis domorum quam pro vsu recipiant, contradiccione qualibet non obstante Item tenebuntur nobis in descensu, prout in aliis litteris nostris eisdem concessis continetur. Omnia autem iura terrarum ipsarum tam in marturinis quam in aliis exaccionibus et collectis, que per terram domus nostre currere consuerunt, comes Perchynus et frater suus ac eorum heredes obtinebunt et collectam regiam, quam in regno fieri contigerit, nos et fratres nostri sub condicione libertatis domus nostre, quam ex gracia regia obtinuimus, uel in futurum obtinere poterimus, ipsi comiti Perchino et fratri suo ac eorum heredibus contulimus. Adicimus eciam, quod dicti populi domus nostre nec iudicio preceptoris, nec alicuius officialis domus nostre astare debeant, sed eosdem comes Perchinus et frater suus in causis omnibus iudicabit et si iidem cuilibet iuxta suum meritum satis non fecerint, coram nobis solummodo et non aliquo preceptorum respondere personaliter tenebuntur, preter causas homicidii, quas preceptor de Chychan vna cum comite Perchino uel fratre suo iudicabit et duas partes iudiciorum in quibus reus uel contumax in huiusmodi causis conuictus fuerit, domus nostra percipiet, tercia vero pars cedet comiti Perchino et fratri suo supradictis. Ceterum domui nostre aut nobis quattuor marcas annuatim nomine pensionis in duobus terminis, videlicet in festo sancti Georgii et in festo beati Martini, cum quinque pensis denariorum Zagrabiensium pro marca soluere tenebuntur. Preceptor autem domus nostre, excepta solucione supradicta, super ipsis terris nil plus penitus obtinebit. Item dicti populi nostri nullo seruicio domui nostre debito astringentur. Si vero rex, banus uel aliquis baronum super populos comitis Perchini, uel super populos nostros desscensum faceret, vnus nostrum pro altero in nullo tenebitur respondere, sed quilibet nostrum per se ipsum descensum subportabit. Nec hoc pretermittimus, quod nos et fratres nostri predicti obligauimus nos, quod si qui nostrum per litteras predecessorum nostrorum, seu quocunque modo ipsum comitem Perchinum et fratrem suum, aut eorum heredes ullo unquam tempore occasione ipsarum terrarum turbarent aut molestarent, ipsa domus nostra hospitalis et fratres nostri eosdem defendere tene-

buntur Vt igitur presentis collacionis seu donacionis series salua, inreuocabilis, inretractabilis et inconcussa in perpetuum perseuerent; litteras capituli ecclesie Zagrabiensis super eadem concessas presentibus confirmamus, sigilli nostri munimine roborando. Datum anno domini MCC. septuagesimo quinto.

*Original u kr. ug. drž. arkivu u Budimu: M. O. D. L. no. 924. (Stara sign. N. R. A. fasc. 1532. no. 3-o.) Na listini visi o crvenoj uzici od svile trošni odlomak pečata*

*Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont. IX. 128—130. — Kukuljević Reg. no. 1177.*

## 124.

**1275.**

*Kraljica Jelisaveta potvrdjuje Otroku Grgurovu sinu Belučevom i sinovima Ševe posjed zemlje Orjavice u županiji požeškoj, kako su ga dobili od kraljice Marije.*

Elysabeth dei gracia regina Hungarie vniuersis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris presens scriptum inspecturis salutem in salutis omnium largitore. Ut possessiones fidelium legitime habitas et optentas reginalis benignitatis gracia suorum priuilegiorum patrocinio muniat et confirmet, ius suadet et ordo expostulat racionis. Ad vniuersitatis itaque vestre noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod nos iustis peticionibus Otrochk Gregorii filii Beluch et filiorum Sewe terras tenencium de Posoga fauorabiliter inclinati terram Oryoycha vocatam in comitatu de Posoga existentem eo iure quo tempore domine Marie socrus nostre pie memorie tenuerunt, eisdem secundum tenorem priuilegii ipsius domine Marie reliquimus perpetuo cum suis vtilitatibus et pertinenciis possidendam. Mete autem ipsius terre prout in litteris patentibus Laurencii quondam comitis de Posoga uidimus contineri, hoc ordine distinguntur: Prima meta incipit a parte occidentali iuxta aquam Oryoycha et ibi est meta terrea, inde ascendit ad montem ad tres arbores tulfa sub quibus est meta terrea et ibi est commetaneus ipsius Mylsa, hinc vadit ad orientem et peruenit ad viam et per eandem viam vadit ad partes meridionales ad tres arbores tulfa sub quibus est meta terrea, inde uero vadit per byrch et peruenit ad cherfa sub qua est meta terrea, ibi autem commetanei ipsius sunt populi domine regine de Komiricha scilicet a parte orientali, dehinc autem vadit ad pirum sub qua est meta terrea, inde vadit ad metam terream et ibi sunt com-

metanei ipsius populi domine regine de Gradpotok, inde uadit ad metam terream, que terrea meta scilicet diuidit terram Beluch a terra domine regine, ibi autem dicto Beluch erit commetaneus Petrus filius Cheley, deinde uadit ad metam terream que est iuxta vineam populorum domine regine, inde uadit superius vineam et peruenit ad metam terream, inde uero ascendit ad pirum sub qua est meta terrea, inde uero vadit ad arborem salicis que est in medio ville sub qua est meta terrea, inde uadit ad metam terream que est retro curiam Petri filii Chelley, deinde uadit ad metam terream que est iuxta vallem et per illam vallem uadit superius ad metam terream que est iuxta dictam vallem, inde ascendit superius ad occidentem ad ecclesiam sancti Luce ewangeliste et sub cimiterio est meta terrea, inde uero ascendit ad septemtrionem et peruenit ad pirum sub qua est meta terrea et ibi sunt commetanei sui populi domine regine de Oryoycha, inde vadit eciam ad pirum sub qua est meta terrea, deinde uadit ad gymulchynfa sub qua est meta terrea, inde uadit ad pirum sub qua est meta terrea, ibi autem sunt commetanei ipsius Otrochk et Sewa fratres scilicet, inde autem uertitur ad orientem et descendit ad vallem ad metam terream, deinde ascendit ad montem et peruenit ad arborem gyrteanfa sub qua est meta terrea, inde uero uadit ad arborem tulfa sub qua est meta terrea, deinde descendit ad puteum qui est pro meta et per aquam dicti putei cadit in aquam Oryoycha et ibi iuxta aquam Oryoycha est meta terrea et per dictam aquam Oryoycha vadit contra cursum aque et peruenit ad priorem metam et ibi mete terree sepedicti Beluch Oryoycha uocate terminantur, item piscinam Chernuch vocatam ad predictam terram Oryoycha pertinentem, sicut dicunt, eisdem sine preiudicio iuris alieni reliquimus supradicto modo possidendam. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes prefatis Otrochk Gregorio et filiis Sewa concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Gregorii aule nostre fidelis cancellarii, anno ab incarnacione domini millesimo ducentesimo septuagesimo quinto.

*Original u kr. ug. drž. arkivu u Budimpešti: M. O. D. L. no 33.832. (Stara sign.: N. R. A. fasc. 1532. no. 28. — Na listini visi crvena, ljubičasta i žuta svilena vrvca bez pečata.*

*Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 148—150. po istom izvorniku. — Wenzel Cod. dipl. cont. IX. 127. donosi regest iz budim. komor. arkiva — Kukuljević Reg. no. 1169.*

## 125.

**1275.**

*Kraljica Jelisaveta daruje knezu Benku sinu Ivanke zemlju Donju Vrbovu.*

[E]lyzabeth dei gracia regina Hungarie vniuersis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris ad quorum noticiam presens scriptum peruenerit salutem in salutis omnium largitore. Reginalis benignitatis officium nos ammonet et inducit, vt quorumlibet fidelitatibus et seruiciis commode nobis inpensis gratanti animo occuramus condigna retribucione meritis eorundem fauorabiliter respondentes, quia dum eorum laboribus et honestis seruiciis fauorem prebemus et assensum, ceteros ad ampliora fidelitatis opera exemplo simili inuitamus et de promptis reddimus prompciores; proinde vniuersitatis uestre noticie tenore presencium fieri uolumus manifestum, quod nos fidelitates et seruicia nobilis uiri comitis Benedicti filii comitis Iwanche, qui domino Bele et domino Stephano inclitis regibus Hungarie et tandem domino Ladizlao regi karissimo filio nostro ac nobis personam suam casibus fortune committere non formidans in prosperis pariter et aduersis cum sumpma diligencia laudabiliter exhibuit, attendentes uolentesque eidem in recompensacionem seruiciorum suorum aliquali retribucionis stipendio, licet ampliori munificencia dignus esset, respondere, quandam terram inferiorem Vrbua nuncupatam in comitatu de Posaga existentem et collacioni nostre pertinentem, quam quondam Mortunus filius Myke detinebat cum suis vtilitatibus et pertinenciis vniuersis de beneplacito eiusdem domini Ladizlay regis karissimi filii nostri et baronum suorum consensu ex certa consciencia dedimus, donauimus et contulimus ipsi comiti Benedicto et per eum suis heredibus heredumque suorum successoribus perpetuo et irreuocabiliter possidendam. Mete autem ipsius inferioris terre Vrboa(!) hoc ordine distinguntur Prima siquidem meta incipit a meridie iuxta fluuium Churnuch ab arbore thul in qua est crux, ab inde procedit ad partem septemtrionalem in silua Zaua per arbores cruce signatas et in exitu eiusdem silue vbi ad campum protenditur est meta terrea sub arbore thul, deinde tendit adhuc ad septemtrionem ad metam terream, deinde declinat per campum ad orientem ad metam terream, ab hinc tendit ad arborem nucum iuxta fluuium Vrbua habentem interfrondens lapidem quendam, deinde transito fluuio Vrbua tendit ad aliam arborem nucis cruce signatam, deinde appropinquat cuidam vie, iuxta quam est

meta terrea, ab inde protenditur uersus orientem ad quoddam berch ubi est meta terrea, deinde reflectitur ad orientem ubi transito quodam potok sub arbore nar est meta terrea, deinde ad arborem piri cruce signatam, deinde cadit in potok Bokoleznyk nominatam et usque ad eundem potok semper comitatur superiori terre Vrbua, ibi vero incipit cometari terre comitis Cheh, deinde procedit per meatum illius potok ad meridiem usque ad magnam viam que de Vrbua venit ubi est meta terrea, deinde per eandem viam tendit ad orientem et cadit ad aquam Zlopchenyk et in eadem aqua tendit uersus meridiem ubi est meta terrea, deinde progreditur uersus meridiem in eadem aqua et inde exit uersus orientem et ab hinc uergit iterato uersus meridiem sub Dastiulaz ubi est arbor syl pro meta, de hinc progreditur adhuc uersus meridiem ad Dobouch potaka et transit ipsam aquam Doboch(!) potoka ad orientem et uadit ad arborem tul cruce signatam que est pro mete et ibi cadit ad magnam viam currus que uadit uersus meridiem usque ad Treztenapola et transeundo illum campum peruenit ad aquam Luky ubi est arbor tul cruce signata et in eadem aqua Luky tendit uersus meridiem ad locum qui vna Heleusca polya uocatur et inde exit uersus orientem et tendit ad meridiem ad aquam Churnuch et ex alia parte aque in eodem loco cadit aqua Zauyna in aquam Churnuch et ibi separatur a terra Cheh, deinde progreditur et uadit ad occidentem, peruenit ad priorem metam ibique terminatur. Vt igitur hec collacio inconcussa permaneat, nec processu temporum possit per quempiam retractari, per presentes eidem comiti Benedicto concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Gregorii aule nostre cancellarii fidelis nostri, anno domini M.|CC. septuagesimo quinto

*Iz originalnog prijepisa kaptola požeškog od g. 1370. 9 januara u kr. ugar. drž. arkivu u Budimpešti: M. O. D. L. no. 33.725. Stara signat. N. R. A. fasc. 1503. no. 12.*

*Wenzel Cod. dipl arp. IV. 54—56. i XII. 146—148. (po istom izvoru) u t. IX. 127. donosi regest ove listine iz komor. ark. u Budimu. — Kukuljević Reg. no. 1170.*

## 126.

1275.

*Bilješka o kraljevskoj potvrdi prava selišta sv. Martina kraj Vaške.*

Idem Ladislaus immunitatem populis villae episcopalis sancti Martini prope Wascham iam pridem concessam, firmam et perpetuam esse iussit, litteris datis ad Joachimum comitem de Pilis et magistrum tavernicorum, quem ab incolis eiusdem villae decimas quascunque exigere vetuit.

*Farlati Ill. sacr. V. 377. — Fejér Cod. dipl. Hung. V. 2. 313.—4.*

## 127.

1275.

*Bilješka o darovnici koja se tiče zemljišta Vaške itd.*

Idem Ladislaus libertatem populi sancti Martini de Vasca et terram Faisz alias Kralievitz olim ad castrum regium Zagrabiense spectantem, donat ecclesiae anno MCCLXXV.

*Krcselich Hist. eccl. Zagr. 89. — Fejer Cod. dipl. Hung. V. 2. 314.*

## 128.

1275.

*Bilješka.*

De hoc 1275 est capituli fasc.onalis, qualiter Wlk filius Dobrelech de Kassina, portionem suam totam in inferiori Blagosa vendidit pro undecim marcis denariorum banalium, Vithuch filio Martini Nentsi evictione in se assumpta et Radila filio Radus consanguineo et commetaneo consentiente. Metae etiam adscriptae sunt.

*Marcellović Extr. diplom. u arkivu jugosl. akademije. — Kukuljević Reg. no. 1178.*

## 129.

**1275.**

*Jelisaveta kraljica majka daruje Damasi i Tomi zemlje u virovitičkoj županiji.*

Elysabeth dei gracia regina Hungarie vniuersis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris presens scriptum inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad vniuersitatis vestre noticiam harum serie volumus peruenire, quod cum dominus Ladizlaus rex et dux Andreas frater eiusdem, karissimi filii nostri victoriosissimo patre eorum domino Stephano illustri rege Hungarie de medio sublato in etate tenera constituti regnum et subditos suos debito nequirent regimine gubernare et exinde per hostes extraneos varie necessitates regno et per discordiam baronum inter se habitam iniuriarum acciones incolis eiusdem in ablacione possessionum imminerent inmunitati, quorumlibet ex officio pietatis succurrere cupientes Damasa [et] Thome nobilibus de Bench filiis Mathye in comitatu de Wereuce more nobilium terram tenentibus duximus annuendum, ut terram Lusanch vocatam prope fluuium Ilua existentem ad eundem comitatum de Wereuce pertinentem, quam domina Maria socrus nostra pie memorie eisdem in concambium terre Bryzniche dedit cum vineis et omnibus pertinenciis suis, iidem Damasa [et] Thomas filii Mathie antedicti ac heredes heredumque suorum successores perpetuo tenere valeant et eo modo possidere, vt si heredum solacio fuerint destituti, legandi et uendendi cuicunque voluerint ipsam terram liberam habeant facultatem, saluo in omnibus iure dominii principalis, eo quod nobis et nostris successoribus reseruamus. De collectis autem marturinarum et aliis debitis populorum suorum nobis persoluendis, terciam recipiant porcionem. Concessimus insuper, vt ultra Drauam ad curiam domini regis et ad nostram vel alterius iudicis cuiuscunque citati nullatenus accedere teneantur. Et quod persona extranea testes extraneos producere non possit contra ipsos. Mete autem ipsius terre hoc ordine distinguntur. Prima meta incipit ab oriente per tres arbores byk vocatas de capite putey Nepesch iuxta terram magistri Egidii tendens uersus meridiem iuxta terras vyznicatus peruenit ad arborem cherasy cruce signatam et inde ad arborem gyrtyan meta terrea circumfusam, inde peruenit ad fluuium Ilua et per ipsum fluuium tendit uersus occidentem et de illo fluuio exit directe ad arborem pomi meta terrea circumfusam, deinde tendit ad quendam riuulum in feneto et per eundem riuulum supra versus occidentem ad arborem gyrtyan sub qua est meta terrea, deinde ad arborem fuuz

cruce signatam meta terrea circumfusam, postea ascendit ad byrch et per ipsum byrch reflectitur ad septemtrionem et peruenit ad terram Jacoby filli Beche ubi est arbor ylhor meta terrea circumfusa et ibi inter duas vineas peruenit ad arborem cherasy cruce signata(!), inde tendens directe ad eandem plagam in monte usque ad magnam vineam Mathye antedicti et ibi tendit ad viam iuxta terram magistri Egidii et transiens per eandem per metas terreas peruenit ad tres arbores antedictas et metam memoratam, ibique terminantur. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes eisdem Damase et Ioanne ad dictam possessionem concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas Datum per manus magistri Gregorii aule nostre fidelis cancellarii, anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo quinto.

*Original u kr. ug. drž. arkivu u Budimpešti M. O. D. L. no. 35 157. Stara signatura: Acta monast. Dobra Kucha no. 1. — Na listini vise nešto svile crvene, modre i zelene boje, bez pečata.*

*Kukuljević Jura Regni I. 83—84. — Kukuljević Reg. no. 1171.*

## 130.

**1275. U Zagrebu.**

*Marko Martinov i Radislav Izanov ustanovljuju nove medjaše sa opatijom Topuskom glede susjednih posjeda Suhe Čemernice i Stiročene.*

Capitulum ecclesie Zagrabiensis omnibus ad quos presentes litere pervenerint salutem in omnium salvatore. Ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod constitutis coram nobis ab una parte Johanne priore de conventu de Toplica, vice et nomine eiusdem abbatis et ab altera Marko filio Martini et Radizlao filio Isani de genere comitis Poursene, iidem asseruerunt nobis: quod cum super metis et terminis possessionis monasterii dicti domini abbatis, Zvcha Chemernicha uocate et possessionis Mark et Radizlai Stirochenna nuncupate ad invicem conterminarum, inter ipsum dominum abbatem ab una parte et Marcum et Radizlaum ex altera questio et contencio mote fuissent, pariter et exorte Tandem mediante sollicitudine discreti viri Pourseni comitis, partes una cum ipso comite Pourseno, ut inter eos omnis controversia submoveretur et sopiretur, ad metas et terminos predictarum possessionum distingendas personaliter accesserunt et novas metas erigendo ab utraque parte metas et terminos earundem possessionum ab invicem taliter destruxerunt, quod incipiendo super capite Styrochenna, ubi sunt due mete de novo erecte, iuxta viam publicam ex utraque

parte, que ducit versus meridiem, ad partes Pezech iuxta quam viam ineundo ad partem meridionalem, a parte dextra Marcus et Radyzlaus predicti Zvcha Chemernicha demiserunt et reliquerunt monasterio dicti domini abbatis perpetualiter possidendam sine aliqua questione. Et e converso prefatus dominus abbas a parte sinistra Styrochenam dimisit et reliquit Marko et Radyzlao antedictis, similiter sine contradiccione qualibet possidendam, tum propter bonum pacis, tum eciam quia ipsis veraciter constitit ipsas possessiones fuisse distinctas taliter ab antiquo. Item in eadem via meta predictarum possessionum tendit ad duas arbores eger sitas iuxta viam hinc et inde meta terrea circumfusas, deinde prefata via currit ad duas metas terreas et pervenit ad viam cruce divisam ubi sunt mete veteres, que ut dicebant iuste distingunt possessiones superius nominatas. In cuius rei testimonium presentes ad instanciam partium contulimus literas sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno domini MCCLXX quinto.

*Privileg. monast. B. V. M. de Toplica no. LV.*
*Tkalčić Mon. episc. Zagr. I. 180 — Wenzel Cod. Arp. XII, 164. donosi regest. — Kukuljević Reg. no. 1179.*

## 131.

**1275.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski daruje zemlju Krasna u bužanskoj županiji magistru Pavlu županu vukovskomu.*

Ladislaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentem paginam habituris salutem in omnium saluatore. Grata fidelitatis obsequia eo graciosius munificenciis sunt merito attollenda, quo ceterarum uirtutum radices propensius antecedunt. Proinde presencium quam futurorum tenore harum volumus pervenire, quod magister Paulus comes de Wolco fidelis noster ad nostre serenitatis accedens presenciam, pro gratuitis serviciis eiusdem, que nobis fideliter impendit terram Wyd filii Wolchina sine herede decedentis Crazna nuncupatam, ultra Gozd in parochia de Busan existentem a nobis sibi dari humiliter postulavit. Nos itaque consideratis et circumspectis meritoriis fidelitatibus ipsius magistri Pauli, que a primevis sue puericie temporibus laudabiliter exhibuit et devote et in futurum est paratus indefessi fervoris studio exhibere, terram predicti Wydus heredum solacio destituti ad nostras regias

manus legitime devolutam, quam quidem terram eciam idem Wydus ex collacione regia possidebat, iamdudum ipsi magistro de nostra gracia nemine contradicente apparente assignatam et per eundem pacifice possessam, habito baronum nostrorum consilio, de regii favoris benignitate dedimus, donavimus, contulimus et concessimus ipsi magistro Paulo et per eum suis successoribus iure perpetuo et irrevocabiliter possidendam pariter et tenendam, cum omnibus utilitatibus et attinenciis suis prout ipse Wydus dictam terram Crazna noscitur tenuisse. Ut igitur huiusmodi nostre concessionis, donacionis seu collacionis series robur perpetue obtineat firmitatis nec processu temporum in irritum valeat per quempiam retractari, presentes concessimus literas duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis viri magistri Benedicti sancte Strigoniensis ecclesie electi prepositi Budensis, aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno dominice incarnacionis M°CC° septuagesimo quinto, regni autem nostri anno quarto. Venerabilibus patribus Stephano Colocensi et Johanne Spalatensi archiepiscopis, Joub(!) Quinqueecclesiensi, Philippo Vaciensi, Lodomerio Varadiensi, Thimotheo Zagrabiensi, Dionisio Jauriensi, Petro Transsilvano, Andrea Agriensi et Gregorio Chenadiensi episcopis ecclesias dei feliciter gubernantibus. Nicolao palatino comite Supruniensi iudice Cumanorum, Iwachino magistro tavarnicorum nostrorum, Nicolao voivoda iudice curie nostre, Johanne bano tocius Sclavonie, Mateo voivoda Transsilvano comite de Zonuk, Nicolao bano Croacie atque Dalmacie, Dionisio magistro tavarnicorum domine regine carissime consortis nostre comite Zaladiensi, Gregorio bano comite Simigiensi, Renoldo magistro dapiferorum nostrorum et Omodeo comite Castri Ferrei et aliis quampluribus comitatus regni tenentibus et honores.

*Original u kr. ug. drž. arkivu u Budimu: Dl. 30.357. — Listina na donjoj strani odrezana, pak se ne vidi ni trag, gdje je visio pečat*
*Cod. dipl. patrius. VIII. 178—9. no. 139.*
*Kukuljević Reg. 1168.*

## 132.

**1275.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski potvrdjuje Ivana kneza krčkoga za načelnika senjskog.*

[L]adizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex vniuersis Christi fidelibus

presentes litteras inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod comes Gaan filius comitis Wydonis de Wegla, de Modarus(!) et de Wynodol bone memorie fidelis noster ad nostram accedens presenciam exhibuit nobis transcriptum priuilegii domini Stephani regis inclite recordacionis karissimi patris nostri confirmatorii litterarum communitatis Seniensis concordi eleccione super potestate Seniensi olim de persona patris sui celebrata confecti, suplicans, ut transscriptum huiusmodi, maxime sub certis sigillis autenficarum personarum allatum fuerat, ratificare et nostro dignaremur priuilegio confirmare. Cuius tenor talis est.

*(Slijedi listina kralja Stjepana od g. 1271., a sadržaje u sebi instrumenat senjski od g. 1271. 21. juna.)*

Nos igitur consideratis fidelitatibus et seruiciis meritoriis ipsius comitis Gahan et fratrum suorum, priuilegium super huiusmodi potestaria habitum et confectum approbantes auctoritate presencium confirmamus, ipsam potestariam in ipsius Gahan et heredum suorum potestatem perpetuo duraturam. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes dedimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti sancte Strigoniensis ecclesie electi eiusdemque loci comitis perpetui prepositi Budensis et aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno domini MCCLXX. quinto, regni autem nostri anno IIII.

*Original u kr. ug drž. arkivu u Budimu · Dl. 34.005. (Stara sign. N. A. fasc 1646 no 2.) — Na listini visi o svilenoj vrvci žute i crvene boje odlomak dvostrukog kraljevog pečata. — Na hrptu rukom XV. vijeka. super eleccione potestatis Segnie. — Taljansku bilješku XIV. vijeka »quisti non e di valor, isti se no legi«.*

*Ova listina nalazi se i u prijepisu dipl. kodeksa T Széchénya u vol. III. no. 20. u narodnom muzeju u Budimpešti. Prepisivač uzeo ju iz »originali membrana camerae Poson. Frangepan«. Nadalje veli, da ima potvrda od istoga kralja od g. 1279.*

## 133.

**1275. U Dubrovniku.**

*Podaju se na obradjivanje neke zemlje crkvene na Šipnju uz razne pogodbe.*

✝ Anno incarnationis domini millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, mensis . . . . . die . . . . . coram nobis subscriptis testibus. Ego quidem dominus H[elia] [Ba]lislaue abbas et hereditarius ecclesie sancti

Petri de Jup[ana] . . . . . . . qui . . . . terra . . . . . ecclesie que est in Jupana in dicta terra incipit ex parte . . . . . fossa que est sub arboribus . . . norum et sub uinea Bastyse sub sella Michaelis de Gangoli et sub sella Petri de Marino atque sub sella Marie Dedassa et ex parte pelagi est sub uinea do . . . . . . . et uadit in sursum usque ad montaneam magnam, dedi ad pastoriam Paulo filio Dragochne et filiis suis Radouano et Stephano tali pacto, quod pastinent omni anno de dicta terra secundum quod poterint et laborent illud quod pastinauerint secundum usum Ragusii et de omnibus fructibus inde receptis habeant sibi medietatem et aliam medietatem omnium dictorum fructuum dent predicte ecclesie et teneant dictum locum ipsi et heredes eorum de herede in heredem, donec durauerint ibi uites. Item dedi predictis Radouano et Stefano filiis dicti Pauli sellam dicte ecclesie que est supra uineam eiusdem ecclesie in capite super ma[re] que uadit de pelago recte ad sellam dicte Marie Dedassa, ut habitent ibi et teneantur laborare omni anno pro predicta sella in uinea dicte ecclesie tres hebdomadas sine priuo et teneantur dare omni anno dicte ecclesie in festo sancti Petri apostoli parium utrum de candelis medie libre de cera pro censu. Nos autem dompnus Vitalis Bodatic nepos Nichifori de Balislaua, Johannes de Balislaua, Lampridius de Balislaua, Matheus de Balislaua Gauzolus filius Theodori de Bodatie et Georgius nepos Petri de Marino hereditarii prenominate ecclesie in omnibus his consentimus Et de hoc pacto sunt plures carte similes hec et alie. Hec autem carta nullo testimonio rumpi possit. Hii sunt testes · Michael Ranane iuratus iudex et ego presbyter Petrus et comunis notarius iuratus sciptor sum et testis.

*(Signum not.)*

*Original oštećen s gornjega kraja, u dubrovačkom arkivu — Zbirka saec. XIII.*

## 134.

**1275.**

*Nikola ban priznaje Trogiranima one zemlje, koje im je bio darovao kralj Bela.*

Nos Nicolaus totius Dalmatie atque Croatie banus et comes de Gezcha notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod cum de speciali mandato domini Ladislavi serenissimi regis Hungarie accessissemus ad civitates Spalatium et Tragurium pro sedanda discordia, que dicebatur inter homines earumdem terrarum non modicum suscitata,

invenimus inter utramque civitatem capitalem inimicitiam et gravia guerrarum discrimina seminata. Cumque de causis ex quibus orte fuissent huiusmodi inimicitie et guerrarum processus, citatis et convocatis partibus coram nobis cepissemus inquirere diligenter, homines de Spalato querellam suam deponentes dicebant, quod homines de Tragurio contra deum et iustitiam sibi quasdam terras et possessiones in districtu et confinibus Spalati positas detinebant enormiter occupatas. Unde petebant memorati homines Spalati a nobis, qui eramus ad partes illas a regia sede transmissi, ut homines de Tragurio compellere deberemus ad permittendum possessiones predictas ipsis Spalatensibus possidendas et de cetero rehabendas. Ad quam quidem petitionem homines de Tragurio respondebant, dicentes se dictas terras et possessiones habere et tenere iusto titulo et eas habuisse de voluntate gratuita communis totius et hominum de Spalato et de assensu et confirmatione clare memorie domini regis Bele et successive per confirmationem domini regis Stephani, et ex inde verba sua predicti Tragurienses verificantes ex toto ostendere nobis privilegia super his ab utroque rege sibi edita et concessa. Que quidem privilegia in promptu deducta inspeximus et ea reperimus fide digna, tenori quorum nobis non licuit in aliquo derogare, sed ea potius rata habuimus, atque grata. Quare utrique partium dedimus firmiter in mandatis, ut cum iuribus suis coram maiestate regia comparere procurent ad proponendum sue iustitie causas et ad audiendum, quod regia celsitudo super hiis dignaretur ipsis partibus ordinare. Datum Cur(!) anno domini 1275., indictione 3.

*Lucius Memorie di Traù 94. — Fejér VII. 4. 163—4. — Kukuljević Reg. no. 1174.*

## 135.

**1275.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski vraća Spljećanima Ostrog i druge zemlje, koje je bio nekada njima oduzeo kralj Bela i dao Trogiranima.*

Ladizlaus dei gratia Hungarie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex universis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in vero salutari. Gesta rerum, ne oblivione matre existente cum ipsorum curriculis dilabantur, licitum est ea mederi vivaci memoria, vel scripti patrocinio commendare, ut

cum mentio habita fuerit, de memoria oblivionis materia penitus sopiatur. Hinc est quod universorum notitie volumus fieri manifestum, quod cum dominus Bela illustris rex Hungarie karissimus avus noster clare memorie, olim ad quamdam inductivam seu odiosam suggestionem civium Traguriensium aliqualiter inclinatus, quamdam possessionem ecclesie Spalatensis Ostruch vocatam, ac etiam quasdam alias partes, possessiones civium Spalatensium in gravamen et lesionem predictorum ecclesie et civium non modicam memoratis Traguriensibus civibus contulisset et iidem Tragurienses easdem possessiones usque ad hec tempora per indebitam quasi acquisitionem tenuissent et pretextu earumdem inter prefatos Spalatenses et Tragurienses infinita cedes innumerabilisque strages facta seu perpetrata nostris temporibus extitisset. Nos super iis, ut regis pietatis proprium est, intimis visceribus condolentes, quid huic facto opus sit, mediante baronum regni nostri consilio, cepimus inquirere diligenter. Et quia clare constitit nobis, quod predicte possessiones tam ab ecclesia, quam a civibus Spalatensibus nec debuerunt, nec potuerunt merito alienari et quod etiam per prefatum avum nostrum karissimum ipsa alienatio facta fuit per allectionem repentinam, ne amodo huiusmodi fomen discordie inter regnicolas nostros fideles amplius perseveret et quod etiam suo iure quisque legitime perfruatur equitate previa persuadente, placuit maiestati nostre et regni nostri baronibus universis, quod memorate possessiones cum omnibus utilitatibus et attinentiis suis a civibus Traguriensibus, non obstantibus privilegiis, instrumentis seu documentis quibuscunque, que iidem Tragurienses super possessione earum habent confecta, seu aliqualiter impetrata ex nunc revocentur; et in ius et dominium ecclesie et civium Spalatensium devolvantur iterato per eosdem, sicut primitus perhempniter possidende. Quocirca nos, ut iidem ecclesia et cives Spalatenses sua possessione sibi per nos rationabiliter et de iure restituta iugiter gaudeant et laetentur, statuimus dictis Traguriensibus silentium perpetuum imponendo, quod omnia privilegia seu instrumenta pro parte civium Traguriensium super iis obtenta, ubicumque in lucem fuerint producta, sint frivola penitus et cassata, non habentia vim seu virtutem contra negotium Spalatensium civium vel processum. In cuius rei evidens testimonium firmitatemque perpetuam presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis viri magistri Benedicti sancte Strigoniensis ecclesie electi, prepositi Budensis, aule nostre vicecancellari dilecti et fidelis nostri, anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, indictione tertia, regni autem nostri anno quarto. Venerabilibus patribus Stephano Colocensi et Johanne Spalatensi archiepiscopis, Job Quinqueecclesiensi, Philippo Vaciensi aule domine regine consortis nostre karissime cancel-

lario, Lodomerio Varadiensi, Timotheo Zagrabiensi, Dionysio Jauriensi, Petro Transilvanensi, Andrea Agriensi et Gregorio Chanadiensi episcopis ecclesias feliciter gubernantibus; Nicolao palatino comite Supruniensi et iudice Comanorum, Joachino magistro tavarnicorum nostrorum, Nicolao voyvoda iudice curie nostre, Mattheo voyvoda Transsilvano et comite de Zonuk, Johanne bano Sclavonie, Nicolao bano maritimo, Reinoldo magistro dapiferorum nostrorum comite Zulgageuriensi, Dionysio magistro tavarnicorum domine regine comite Zaladiensi, Gregorio bano comite Simigiensi et aliis quampluribus comitatus regni tenentibus et honores

*Iz arkiva biskupije spljetske: Donationales fol. 51 — 3.*

*Lucius Memor. di Traù 94—5. donosi nepotpuno. — Farlati Illyr. sacr. III. 288. — Katona Hist. crit. VII 668 -670. - Fejér Cod. dipl Hung. V. 2. 259—60. — Fejér Cod. dipl. Hung. VII. 4. 164—6. — Kukuljević Reg. no. 1167.*

## 136.

**1275.**

*Dionizije ban župan zaladski uredjuje medje plemića Kuštana.*

Nos Dyonisius banus comes Zaladiensis significamus omnibus quibus expedit presencium per tenorem, quod accesserunt ad nos nobiles de Kustan nomine Mykou et Bola et exhibuerunt litteras domini nostri Ladislai incliti regis Hungarie, quas reverenter recepimus ut debebamus, in quibus perlectis conperimus, ut ad faciem terre predictorum personaliter accedere deberemus et terram eorundem a caštrensibus de Kustan et ab wdvornicis, ac a populis domine regine separare deberemus. Unde nos preceptum domini regis et mandatum adimplere cupientes, ut debebamus, ad terram antedictorum personaliter unacum Gregorio bano fratre nostro karissimo et cum aliis nobilibus de districtu Zaladiensi ibidem existentibus, ac cum Sebe maiore exercitus Zaladiensis accessimus convocatis commetaneis et convicinis, terram predictorum separavimus a commetaneis et a convicinis circumquaque iacentibus et eisdem consentientibus. Prima autem distinccio metarum incipit subtus vineam Ibur et sunt due mete in terra, deinde tendit ad orientem ad duas arbores cerase, in quibus sunt mete, exinde adhuc ad orientem eundo pervenit ad finem Horvašuth vocata et ibi sunt due mete in terra. Et in eadem via adhuc ad orientem eundo in fine ipsius vie pervenit ad arborem piri, ad metas Karamach et ibi sunt due mete. Deinde

declinatur ad meridiem eundo pervenit ad angulum unum et ibi sunt due mete in terra. Et deinde adhuc inter ipsas metas Karamach ad meridiem eundo pervenit ad duas metas terreas. Et exinde adhuc ad meridiem eundo pervenit iterum ad duas metas terreas et ab hinc adhuc ad meridiem eundo pervenit ad arborem popli (!) que naryfa dicitur et ibi sunt due mete in terra. Deinde iam egreditur ad occidentem et pervenit ad duas metas terreas superius vineam Ramugh positas. Et deinde declinatur versus aquilonem et pervenit ad duas metas quarum una est in arbore ilicis et alia in arbore avellane. Et exinde adhuc ad aquilonem eundo pervenit ad duas metas quarum una est in arbore sorbelli alia in arbore cerase. Et deinde adhuc ad aquilonem eundo inter vacuas vineas pervenit ad duas metas terreas. Et deinde adhuc ad aquilonem currens pervenit similiter ad duas metas terreas subter vineam Michaelis filii Jacobi positas et inde adhuc ad aquilonem eundo pervenit ad primam diffinicionem metarum et ibi terminarunt. Ut igitur robor (!) sit factui perpetuamque firmitatem obtineat, presentes nostras concessimus litteras munimine sigilli nostri autentici roboratas. Datum et actum anno domini MCCLXXV.

*Cod. dipl. arpl. patrius IV. 54—5. Iz originalnog prepisa Zalavárskog samostana od god. 1372. Čuva se u arkivu grofa Alojza Niczkoga u Ligvándu u šopronjskoj županiji.*

*Kukuljević Reg. no. 1176.*

## 137.

**(1275.—1321.)**

*Stjepan Uroš potvrdjuje Dubrovčanima privilegija dana im od brata Stjepana.*

✝ Да есть вѣдомо всакомоу. Створи милость кралевьство ми доубровьчьким властелом и всои опьщинѣ малимь и велицѣмь, како имь є биль створиль брать ми краль Степань милость по томоужде образоу и кралевьство ми створи имь милость, до колѣ правдоу имоуть имѣти кралевьствоу ми, коупьци ихь да си ходе по земли кралевьства ми без боꙗзни и бе-з-абаке сь всакомь свободомь, а ѡни да даю ѡдь града кралевьствоу ми на всако годище двѣ тисоуки перьперь на димитровь дьнь И ꙗко що съгрѣше кралевьствоу ми, да се соудомь исправламо, како є по

законоу; ако ли соуда не боуде съвршение, ихь коупьци кои боу-доуть оу земли кралевьства ми, да имь есть рокь за три мѣсеце, да си изидоуть сь всѣмь своимь добитькомь, и даю имь милость до живота моего.

Стефань Оурошь по милости божи краль и с богомь самодрьжьць српские земли и поморские.

Iz vana:

*»Littera de pace regis noui Vrosii, qui nunc est in vita sua«.*

*Miklosich Mon. Serb. 50—51. br. 51.*

## 138.

**(1275.—1321). Dugo Polje.**

*Stjepan Uroš kralj srpski potvrdjuje privilegija Dubrovčana dana im od oca njegova i odredjuje način sudovanja izmedju Srba, Dubrovčana i Sasa.*

✝ Да ю свѣдомо всакомꙋ. Створи милость кралевьство ми градю и кнезꙋ и вcои ѡпкинѣ града дꙋбровьчкога и трьговьцемь, кои ходе вьсꙋдѣ по земли кралевьства ми, кьди доходи Грꙋбеша и Никꙋла покаисарь на Степань дьнь на Дльго Поле, и сию милость имь да господинь краль, да сꙋ на законѣ, що имь ю даль свето починьши господинь ми ѡтьць. Да имь нѣ ꙋдаке ꙋ комь годѣ дльгꙋ, лише сꙋдомь да се иштꙋ, да ю юдьнь Срьблинь а дрꙋги Дꙋбровьчанинь. Аке бꙋде пра сь Сасиномь, да бꙋде юдинь Сасинь а дрꙋги Дꙋбровьчанинь, прѣдь тѣми да се расправлаю. Тко ли прѣслꙋша писанию кралевьства ми, да приме гнѣвь и наказанию ѡть кралевьства ми, и да плати кралевьствꙋ ми .Є. сьть перьпера и да ю кривь, ꙋ чемь при.

Стефань Урошь милостию божиею краль всѣхь срьпскихь земль и поморскыхь.

Iz vana:

*»Pouella regis Orosii pro iudicio . . vno iudice Slauo et uno Raguseo.*

*Miklosich Mon. Serb. br. 52. str. 51.*

## 139.

**(1275.—1321.)**

*Stjepan Uroš kralj srpski daje privilegija dubrovačkim trgovcima.*

† Да є вѣдомо всакомȣ. Створи милость кралевьство ми трьговцемь дȣбровьчькимь, да ходе по земли кралевьства ми свободьно, а никто да имь не испакости нища, ни имь забави нища: а кои кȣпци гредȣ мимо Брьсково, а не сьвракаю се ȣ Брьсково, да имь никто не имє забављати ни на нихь трѣбовати чеса; кто ли се обрѣте испакостивь имь или що ȣзьмь одь нихь, да приме гнѣвь и наказание оть кралевьства ми, и да плати петь сьть перперь кралевьствȣ ми.

Стефань Ȣрошь краль српски.

*Miklosich Mon. Serb. 53. br. 54.*

## 140.

**(1275.—1321.)**

*Stjepan Uroš kralj srpski županu Tvrtku, neka uzme Dubrovčanima što samo može, ali neka pusti one, koji idu u kraljeve trgove.*

Кралевьства ми любвномȣ жȣпанȣ Твьрьтькȣ. Знаши, како є ȣзето Ȣрьсетеви дрѣво и з добиткомь, да много писа кралевство ми кнезȣ дȣбровчкомȣ и всѣмь дȣбровчамь, да тамо посила кралевство ми Ȣрсете, да тако ти моєга живота и моє любве, кто ти излазе тȣдѣзи по работахь по своихь си, како можь, ѡнози ȣзми на нихь и подаи Ȣрсетеви: А кои ти гредȣ на трьгь кралевства ми, нѣмаи за не печали и да види кралевство ми, како ми сврьшити хевеши сизи посьль, єре се смо ѡгрѣшили ȣ семьзи члове̑ці, да ѡсвети га.

Стефань Ȣрѡшь краль.

*Miklosich Mon. Serb. 53. br. 55.*

## 141.

**(1275.—1321.)**

*Stjepan Uroš kralj srpski potvrdjuje darovanje svoga djeda kralja Stjepana prvovjenčanoga dano samostanu svete Marije u Mljetu.*

**Стефань Оурошь, по милости божиѥи краль, оунoукь господина ми краля Стефана, синь господина ми краля Оуроша, видѣвь створениѥ господина дѣда ми краля Стефана манастирью светыѥ богородице иже на Млѣтѣ, никакоже дрьзьноухь разорити прѣдъложенныхь нимь, нь паче потврьдихь, аще бо и вь грѣсѣ соуще ми, нь вѣтвию ѥсемь благаго корене свѣтихь господь родитель моихь. Тѣмьже аще ктоѡ дрьзнеть разоритии прѣдьложеньѣ светыимь господиномь дѣдом ми и мьною потврьждениꙗ, таковии да боуде прокльть ѿть господа бога вьседрьжитела и прѣсвете богородице, и да му ѥ соупарьница света богородица на страшьномь соудищи и ѿть мене грѣшьнаго да ѥ прокльть. Сего ради писавь и подьписахь**

**Стефань Оурошь по милости божиѥи краль и самодрьжьць вьсе срьпьске земль и поморьскиѥ.**

*Miklosich Mon. Serb. 71. br. 70.*

## 142.

**1276, 13. januara. Kod Trogira.**

*Izabranom nadbiskupu ostrogonskomu preporučuju njegova dva pouzdanika, da zaštiti Trogirane od Spljećana.*

Honorabili venerabili domino suo magistro B(enedicto miseratione) divina sanctae Strigoniensis ecclesiae electo, preposito Budensi et aulae domini regis vicecancellario magister Romanus archidiaconus Borsiensis et magister Fulcus sui fideles promittunt semper ad ipsius beneplacitum famulari Noverit venerabilis reverende, quod cum versus marittima venire deberemus, invenimus per Scenam et Zadriam vias nobis observatas et insidias preparatas Idcirco necessitate impellente et utilitate suadente ad cives Traguriі domino regi et regno fideles necesse habuimus declinare, qui pro domini regis honore et vestra reverentia nos benigne re-

ceperunt, familiariter tractaverunt et de bonis a deo sibi collatis frequentius honoraverunt et cum propter nauli expectationem in civitate Traguriı diutius mansissemus, dicte civitatis cives ostenderunt nobis inclite recordationis domini regis Bele privilegium, per quod constat ipsum dominum regem pro ex nimiis [?] servitiis et fidelitatibus dictorum civium quandam terre quantitatem dictis civibus Tragurii contulisse et filius eius dominus rex Stefanus collationem dictae terrae factam a patre, ratam habuit, in suo privilegio confirmavit. Tandem dominus rex Ladislaus factum avi et patris ratificavit in hac parte et suo privilegio communivit et dominorum Stephani et Ladislai regum privilegia per vestras manus emanasse per ipsa privilegia declaratur. Novissime vero cives Spalatenses dicunt se obtinuisse privilegium domini nostri regis patris, ac suum privilegium indultum civibus Traguriniѕ, quod non credimus, nec esse verissimile, ut sine causae cognitione debuissent dicta privilegia revocari, imo per veri suppressionem et falsi suggestionem circumvenissent regiam maiestatem et quod non ad ipsorum commodum, sed dispendium debet potius redundare, quod sicut mendaces peccatores deberent carer(e) impetratis et ultionem regiam possunt nec immerito formidare, occasione vero ipsius privilegii dicti Spalatenses ipsos Tragurinos magnis iniuriis et dampnis gravibus afflixerunt et affligere non verentur. Quocirca vestram reverentiam verbis fidelibus inducimus et hortamur, quatenus propter deum et iustitiam, ac vestram honestatem dictos cives Tragurinos in suis iuribus sic velitis adiuvare apud regiam maiestatem regni barones et banum per dominum regem ordinatum, ac alios, apud quos videbitis expedire, quod ex hoc dignum a deo possitis meritum expectare, coronae regiae propensius deservire. Datum apud Tragurium in octava Epiphaniae.

*Lucius Memorie di Traù 95—96. — Fragment u Farlati: Ill. sacr. IV. 356. — Katona VII. 665. — Fejér VII. 4 169—70. — Fejér Cod. dipl. Hung. V. 2. 355. — Kukuljević Reg. no. 1184.*

## 143.

**1276, 20. januara. U Labodu.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski nalaže Ivanu banu, da vrati liječniku Gerardu posjed Trnavu.*

Ladizlaus dei gracia rex Vngarie, dilecto et fideli suo J[ohanni] bano tocius Sclauonie salutem et graciam plenam cum dileccione. Cum quandam terram castri nostri Zagrabiensis Tornoua uocatam, iuxta colla-

cionem domini Bele illustris regis Vngarie clare recordacionis, aui nostri karissimi, magistro Gerardo fisico nostro iam dudum contulissemus, nostro sibi priuilegio confirmando et ipsum in possessionem dicte terre sine aliqua inquietacione uelimus conseruare, mandamus fidelitati uestre diligenter requirendo, quatenus ipsam terram eidem magistro Gerardo restituatis, hominem suum in possessione dicte terre contra quoslibet conseruando, sicut eciam ad peticionem nostram vos nobis facturos illud idem liberaliter promisistis. Datum in Labod, in quindenis Epiphanie domini.

*Liber priuileg. eppatus. zagrab. List 56.*

*Tkalčić Monum. episc. Zagr. I. 180—181. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 171. donosi regest. — Kukuljević Reg. no. 1186.*

## 144.

**1276, 26. februara. U Budimu.**

*Matej tavarnik kraljevski odustaje od pobiranja daće sedmero dinara od podložnika crkve zagrebačke.*

Nos Matheus magister tauarnicorum domini regis, comes Posoniensis et de Barana, tenore presencium quibus expedit significamus vniuersis, quod magister Hab cognatus noster karissimus, nuncius venerabilis patris domini Thymothei episcopi Zagrabiensis, vice et nomine domini sui, ac capituli eiusdem loci supplicauit nobis ex(h)ibendo priuilegiales litteras dominorum regum Bele videlicet et Stephani, felicium recordacionum et priuilegium domini nostri Ladizlai, incliti regis Vngarie, super facto collecte septem denariorum banalium ex parte populorum ipsius domini episcopi et sui capituli prouenienciurn, quod formam seu tenorem ipsorum priuilegiorum inspiceremus et inspectam continenciam eorumdem seruaremus et illese per exactores ipsius collecte faceremus obseruari. Quorum quidem priuilegiorum inspectis tenoribus comperimus et uidimus, populos predicti episcopi et capituli eiusdem ab exaccione collecte septem denariorum de plenitudine graciarum regum esse misericorditer absolutos et penitus expeditos. Nos itaque, qui instituta et ordinacionem regiam fideliter obseruare cupimus, ab exaccione sepedicte collecte septem denariorum omnino cessauimus et penitus duximus desistendum, prout premissa singulorum et singula premissorum in priuilegiis regalibus expres-

sius continentur. Datum Bude in festo Mathie apostoli, anno domini MCCLXX sexto.

*Liber privileg. eppatus. Zagrab. List. 14.*
*Tkalčić Mon. episc. Zagr. I. 181. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont XII. 182. — Kukuljević Reg. no. 1188.*

## 145.

**1276, 4. marta. U Zadru.**

*Priznanica Radovana Dragnića i njegova nećaka, da ih je namirio za prolivenu krv Jurko Tolišin Kačić.*

In Christi nomine Anno incarnationis eius millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, indictione quarta, die quarto martii, Jadre, temporibus domini Jacobi Contareni incliti ducis Venetie et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiep[iscopi], domini Albertini Mauroceni egregii comitis. Nos Radouanus Dragnich et nepos eius Dacoy filius condam Ivani Dragnich confessi et contenti sumus, nos recepisse a te idem Jurgo [fi]lio Tollissi Cacich viginti romanatos pro complemento solutionis [quad]raginta romanatorum, quos nobis dare tenebaris pro satisfactione sanguinis Iuani Dragnich condam patris mei predicti Dacoy et Jurgi filii memorati Radouani ex sententia lata inter te et nos pro nobis . . . . . . es . . . nam . . . Berberio Thomam c . . at Grisouanum . . . . . Bisstich. Unde facimus tibi finem, remissionem et quietationem et plenam securitatem de dictis quadraginta romanatis computatis in hac summa viginti romanatis, quos alia vice a te recepimus de quibus tibi cartam quietationis fecimus, quam quidem finem et quitationem, [qui]ta omnia promitimus cum hominibus nostris tibi et tuis hominibus rato[s] tenere et habere in perpetuum sub pena auri libras quinque super nos et omnia bona nostra habita et habenda etiam g . . t . . . pre eam solutam Actum est . . . coram hiis rogatis testibus Diacco et . . . . . de Osesigo.

† Ego Detaidus . . de Cotopanga examinator manu misi.

*(Signum notarii.)*

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru, u odjelu sv. Dominika br. 682.*

*Na leđima piše* »*1276. compromissum Georgii Dragnich. Ad conventum sancti Dominici non atinet.*« *Listina djelomice oštećena.*

## 146.

**1276, 11. marta. U Zadru.**

*Jakob Filipov prodaje Stanoji Hrancu jednu zemlju.*

In Christi nomine amen Anno incarnationis eius millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, indictione quarta, die undecimo marcii, Jadere, temporibus domini Jacobi Contareni incliti ducis Venecie et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Alber[tini] Mauroceni egregii comitis. Ego quidem Jacobus de Filippo Jadratinus vendo atque transacto tibi namque Stanoio habitatori Jadrensi filio condam Chranec quandam terram meam positam ad arcum que est de gognay septem et dimidio uel circa; ab austro via est, a borea murus anticus, a trauersa terra que fuit Stane relicte quondam iuppani Juani, a quirina via publica, amodo in antea cum plena virtute et potestate intromittendi, habendi, tenendi, possidendi, dandi, donandi, vendendi et pro anima iudicandi et quicquid tibi et tuis heredibus placuerit perpetuo exinde faciendi, cum omnibus suis habenciis et pertinenciis tam subtus terram quam supra terram cum iuribus . . . . suis. Precio cuius vendicionis ego predictus Jacobus recepi a te predicto Stanoio libras denariorum Venetie parvorum nonaginta. Unde promitto cum heredibus meis dictam terram defensare et excalumpniare tibi et tuis heredibus ab omni persona super me et omnia mea bona habita et habenda. Actum est hoc coram hiis rogatis testibus Donato filio Albertini Çupari et Marino calegario filio Merge.

*(Drugi rukopis).*

† Ego Detaidus de Cotopanga examinator manum misi.

Ego Nicolaus Feltrensis sacri palacii notarius et Jad[rensis iuratus] interfui et rogatus scripsi et roboraui.

*(Signum notarii.)*

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru odio sv Dominika br. 685. Na ledjima piše »1275. 11. martii instrumentum vendicionis domus in civitate Jadrensi, ad conventum sancti Dominici non atinet«.*

## 147.

**1276, 12. marta. U Vaški.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski nalaže banu Ivanu, da na svaki način njegovu lječniku Gerardu vrati posjed Trnavu.*

Ladizlaus dei gracia rex Hungarie. Dilecto et fideli suo J[ohanni] bano tocius Sclauonie salutem et graciam plenam cum dileccione. Quia omnem intencionem nostram et omnem uoluntatem nostram cum omni desiderio adimpletis, omni uos affectu et desiderio in omni honore debito uos prosequimur cum fauore. Unde cum in maioribus et maximis effecistis, in minoribus et minimis pro nullius hominis consilio uel suggestione denegetis eciam minimo ex nostris, maxime illi, cui curam tocius corporis nostri commisimus et qui periciam suam cum fidelitate frequenter exhibuit circa nostras egritudines ingruentes, sicut plenius cognouistis. Vnde sicut nostram vitam vultis et affectatis, ita per operis euidenciam ostendatis, terram Tornua uocatam, castri Zagrabiensis, predilecto fisico nostro magistro Gerardo, alicuius suggestione uel contradictione non obstante restituentes uel restitui facientes tali affectu et desiderio sicut nostram uitam, teste deo, uobis caram preseruatam fore desideratis et integre conseruatam, nam si secus faceretis, forte tempus esset et locus, quod pro nobis multis terris et possessionibus non possetis aliquatenus emendare, nam nec quisquam melior medicus quam fidus amicus et dando retinentur amici. Nec consideretis necessitatem castri, sicut quidam uobis dicunt, sed necessitatem nostram preponatis omnibus possessionibus, terris, auro et argento, que uobis super omnes et per omnia respondebunt, si uiuere poterimus dante deo. Datum in Vaska, tercia feria post dominicam inuocauit.[1]

*Liber privileg. eppatus. zagrab. List. 56.*
*Tkalčić Monum. episcop. Zagr. I. 181—182. — Wenzel Cod. dipl. Arp. XII 171. br. 145. donosi regest. Ibid. p. 198. br. 161. ponovno pod god. 1277. — Kukuljević Reg. no. 1189.*

[1] U listini nije naznačena godina. Tkalčić uzeo godinu 1276. jamačno po položaju u kojem dolazi ova listina u »Liber privilegiorum episcopatus Zagrabiensis« izmedju drugih savremenih listina.

## 148.

**1276, 12. marta. U Zadru.**

*Nikola Božetin potvrdjuje, da mu je potpuno namirio Bartol de Petroclaudo svotu, koju je imao dati za porabu polovice od šest solana na Pagu.*

In Christi nomine amen. Anno incarnationis eius millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, indictione quarta, die duocimo marcii Jadere, temporibus domini Jacobi Contareni incliti ducis Venecie et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Albertini Mauroceni egregii comitis. Ego Nicolaus filius condam Boseti habitatoris Jadre meo nomine et per uirtutem commissionis in me facte a domino Jacobo, priore monasterii sancti Georgii de Alega, ut constat per publicum instrumentum commissionis eiusdem manu Arceti, presbiteris sancti Bartholomei et notarii, sub anno ab incarnatione domini millesimo ducentesimo septuagesimo primo, mense octubris, die nono exeunte, indictione quintadecima Riuoalti et cetera, prout in eo legitur, confessus et contentus sum me recepisse a te quidem Barth[olomeo] de Petroclaudo Jadratino satisfactionem plenariam de vsufructu totius medietatis sex salinarum, positarum in in[s]ula Pago, quas communes habebas cum predicto patre meo et nunc eas communes habes cum supradicto priore comissario predicti patris mei et cum quodam alio comissario eiusdem patris mei. Et quia de tota medietate fructuum dictarum salinarum contingente predictum patrem meum uel commissarios eius usque ad presentem diem mihi satisfecisti integraliter, ideo facio tibi nomine meo et nomine comissariorum patris mei finem et remissionem et quietationem et plenam securitatem de toto eo, quod dicti comissarii tibi dicere possent, petere uel causari occasione fructuum salinarum predictarum usque nunc. Quam finem et quietationem et securitatem promitto nomine dictorum comissariorum et successorum ratam seruare in perpetuum sub pena auri librarum quinque hac securitate rata manente prius penam solutam. Actum est hoc coram hiis rogatis testibus Çilio et Dominico de Cistrina.

*(Drugi rukopis).*

† Ego Detaidus de Cotopanga examinatur manum misi.

Ego Nicolaus Feltrensis sacri palacii notarius et Jadrensis iuratus, hiis interfui rogatus, scripsi et roboraui.

*(Signum notarii).*

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru, odio samostana sv. Nikole br. 56.*

## 149.

**1276, 18. marta. U Zadru.**

*Grgur i Agneza Slavoše daruju jedan vinograd samostanu svetog Krševana.*

In Christi nomine amen. Anno incarnationis eius millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, indictione quarta, die decimo octauo marcii, Jadre, temporibus domini Jacobi Contareni incliti ducis Venecie et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Albertini Mauroceni egregii comitis. Nos Gregorius filius condam Sclauossi et soror eius Agnes fideicomissari Nicolai condam fratris nostri cum teneamur ex ordinatione testamenti predicti Nicolai tenere candellam accensam in ecclesia sancti Grisogoni pro anima ipsius Nicolai, in satisfactionem predicte candelle pro anima ipsius Nicolai damus, donamus et transactamus vobis domino Nicolao dei gratia abbati monasterii predicti sancti Grisogoni de Jadra et eidem monasterio quandam vineam que fuit predicti Nicolai positam ad maçerias; ab austro est derrum mei predicti Gregorii, a borea possidet Marinus filius Mergen, a trauersa est terra que fuit predicti Nicolai, a quirina est vinea Çorçii, cum plena virtute et potestate intromittendi, habendi, tenendi, possidendi, dandi et alienandi et sicut de re propria monasterii de ipsa vinea faciendi et promittimus nomine comissario predicti fratris nostri, dictam vineam defensare et excalumpniare predicto monasterio ab omni persona super bonis comissarie. Quam quidem vineam ego predicta Agnes debeo laborare et regere usque ad tres annos et de omni fructu inde prouemente dare teneor monasterio predicto recte terciam partem et si rationem monasterii defraudauero, quod pars mea tota deducatur in monasterium. Et si uoluero ultra tres annos tenere et laborare dictam vineam, quod liceat mihi eam laborare quousque uoluero et debetis vos domine abbas dare terciam partem expensarum vindemiarum. Et nos predictus abbas hec omnia uolumus et approbanus. Actum est hoc coram hiis rogatis testibus: Çorçio Lessice et Luca Marangone.

Ego Nicolaus Feltrensis et sacri palatii notarius et Jadrensis iuratus hiis interfui et rogatus scripsi et roboraui.

*(Signum not.).*

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru odio sv. Krševana. Capsula X. Rottolo I. no. 2.*

*

## 150.

**1276, 15. aprila. Kod tornja sv. Erazma.**

*Karlo II. kralj napuljski dozvoljuje Ponciju de Fay prioru odvoz iz Barolia.*

Scriptum est portulano Baroli etc. Religiosus vir frater Pontius de Fay ordinis hospitalis prior Vngarie et Slauonie in nostra proposuit presentia constitutus, quod carissimus dominus et genitor noster portulano Brundusii nuper pro eodem priore scripsit per suas licteras in hac forma: Karolus dei gratia rex Sicilie etc. Portulanis Brundusii etc. Fidelitati vestre precipiendo mandamus, quatenus religiosum virum fratrem Pontium de Fay ordinis hospitalis priorem Vngarie et Sclauonie volentem ad vltramarinas partes accedere exire de portu Brundusii cum quatuor ronzinis et octo mulis, ac eius familia, nec non cum victualibus pro vsu suo ac familie, ac annona animalium ipsorum ad transitum sufficientibus libere permictatis. Prouiso, quod equos ad arma seu alia prohibita secum aliquatenus non transducat. Presentibus post menses duos minime valituris. Datum Rome per magistrum Guillelmum de Fariduillo etc. die V. martii, III. indictionis. Quare idem prior petebat a nobis, ut cum ipse non de Brundusii, sed de Baroly portu exire, ac ad easdem vltramarinas partes accedere sua in hac parte commoditate pensata proponat, prouidere sibi super hoc oportuno remedio curaremus. Nos igitur ipsius prioris precibus annuentes vobis regia etc. districte precipiendo mandamus, quatenus prefatum priorem has regias, quam presentes nostras uobis licteras assignantem, de predicto portu Baroly cum sua familia et numerio ronzinorum et mulorum et aliis in eisdem licteris regiis contentis exire, ac ad easdem partes accedere libere permictatis iuxta predictum regiarum directarum super hoc eisdem portulanis Brundusii continentiam licterarum. Presentibus post terminum in eisdem licteris regiis expressum minime valituris. Datum ut supra apud Turrim sancti Erasmi XV. aprilis, IV. indictionis.

*Wenzel Acta extera I. 39—40.*

## 151.

**1276. 26. aprila. U Trogiru.**

*Trogirani iznajmljuju jednu dubrovačku ladju za rat na Spljećane i Šibeničane.*

In Christi nomine amen. Anno eiusdem natiuitatis millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, indictione quarta, die quinto exeunte aprili, actum est Tragurii in curtile sancti Martini, temporibus domini Ladisclaui serenissimi regis Vngarie, venerabilis patris domini Columbani episcopi, nobilium virorum domini Johannis de Birberio Traguriensis comitis, Ninoslaui Cipriani potestatis et dominorum Valentini Kasariçe et Desse Amblaxii Traguriensium consulum. Georgius filius Gostigne de Arbo et Prodi Birfi de Jadra uere contenti et confessi fuerunt, habuisse et recepisse et apud eos habere ad conturam pro centum quadraginta libris a domino domino Dessa Duymi Mursicafaua, Çula Plusii, Desa Chighe et Morecto Gausii eorum nauigium cum corredo toto ad ipsum nauigium pertinenti diebus proxime preteritis aprilis in antea usque ad festum sancti Andree proxime venturum hoc modo et pacto habito inter eos, silicet quod pro contura predicta predicti Georgius et Prodi eis dare deberent in dicto termino sancti Andree centum libras venetorum paruorum, alias XL. libras predicti patroni confessi fuerunt in conturam nauigii predicti; similiter dictum nauigium eisdem in dicto termino reddere et restituere teneantur. Et si ultra dictum terminum eum (!) tenerent, per rationem conture predicte pro eo quod ultra terminum tenerent soluere deberent, tamen non possint ipsam tenere a kalendis marcii proxime venturi in antea Et dictus nauigius(!) vadat, stet et sit ad omnem(!) periculum et conturam ipsorum domini Desse et sociorum, scilicet quod contra Spalatenses et Sibençanos, contra quos vadat, stet et sit in periculum et venturam ipsorum Georgii et Prodi. Et si dictus nauigius (!) acciperetur et deuastaretur per Spalatenses et Sibençanos, aut aliqua alia culpa seu occaxione, predicti Georgius et Prodi teneantur pro emendatione ipsius nauigii eisdem dare et soluere trecentas libras venetorum parvorum et conturam ipsius, ut dictum est, predicta inuicem facere et obseruare per se suosque heredes promiserunt sub obligatione suorum bonorum et personarum ipsorum Georgii et Prodi, que bona et etiam personas ipsorum Georgii et Prodi et vnum (quemque) ipsorum ipse dominus Dessa et socii eorum auctoritate ubicunque inuenerint possit capere et tenere. Et etiam ipsa bona vnius uel amborum vendere, et venditio per eos facienda sit firma aliquo capitulare non obstante. Et insuper Nicolaus

Jacobi Marchi pro medietate et Andreas comitis Marini et Petrus Ghermani pro alia medietate per se suosque heredes eidem domino Dese et sociis promiserunt omnia predicta obseruare, uel obseruari facere sub obligatione suorum bonorum, que bona a termino in antea sua auctoritate capere et vendere possit et eorum venditio sit firma aliquo capitulare civitatis Traguriensis non obstante, remaneat tibi in arbitrio et voluntate ipsius domini Desse et socium predictum petere et exigere a principalibus . . uel ab ipsis fideiussoribus. Presentibus Bastiani Luce, Philippo Vedimira testibus et Nicola Casoti examinatore. Ego Elia condam examinator de precepto dicti Nicolai examinaui. Ego Guidus condam domini Antonii de Sorognanis de Cremona imperiali auctoritate notarius et iudex et comunis Ragusii iuratus cancellarius hoc scriptum e notis siue protocolis Francisci Benevenuti de Cinglo tempore dicti contractus iurati notarii ciuitatis Traguriensis nil addens uel minuens preter punctum uel litteram, quod sentenciam (non) mutet uel intellectum variet, bona fide prout in predicto protocolo siue notis inueni, exemplaui et in publicam formam redegi, de mandato nobilis et sapientis viri domini Nicolai Venerio honoralibis comitis ciuitatis Traguriensis et de voluntate et consensu nobilium virorum dominorum Mengacii Siluestri et Petri Desse Petri iudicum dicte ciuitatis Traguriensis, anno millesimo trecentesimo vigesimo quinto, indictione octaua, XVI. decembris, Tragurii in platea comunis presentibus ser Binca Bosse. Jadri et Gregorii Luci testibus rogatis et Ylia Mirse examinator.

*Diversa cancellariae a. 1325. u dubrovačkom arkivu.*

*Na čelu četiriju listina trogirskih stoji ovaj uvod: »In dei nomine amen. Anno domini millesimo trecentesimo vigesimo sexto, indictione nona, die XXVII. ianuarii. Cum questio esset coram nobili et potenti viro domino Paulo Trivisano honorabili comiti Ragusii et iuratis iudicibus suis Blasio de Caboga, Paulo de Gundola, Michele de Mençe et Dobre de Sorco inter Jacobum filium condam Nicolai Jacobi Marchi de Tragurio e parte una petentem et Georgium de Gostigna de Ragusio et olim de Arbo ex parte altera defe[n]dentem super infrascriptis quatuor instrumentis productis in iudicio per dictum Jacobum coram dictis domino comite et iudicibus, quorum primi tenor talis est.«*

*Slijedi ova naša listina.*

## 152.

**1276, 27. aprila. U Trogiru.**

*Iznajmljuje se ladja.*

In Christi nomine amen. [Anno] millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, indictione quarta, die quarto exeunte aprilis, actum est Tragurii in curtile sancti Martini, temporibus domini Ladislaui serenissimi regis Vngarie et reuerendi patris domini Columbani episcopi, nobilium virorum dominorum Johannis de Birberio Traguriensis comitis, Nicola Cibrano (!) potestatis et dominorum Valentini Cosariçe et Dese Amblaxii Traguriensium consulum. Cum Andreas comitis Marini et Petrus Grimano pro medietate et Nicolaus Jacobi Marchi pro alia medietate precibus Georgii de Gostina de Arbo et Prodi Birfi de Jadra promiserint et conuenerint domino Desse Duymi Mursicafaua, Çule Plusii, Dese Gighe et Morecto Gausi de Tragurio, quod nauigium cum corredo pertinenti ad ipsum nauigium, quem predicti Georgius et Prodi a predicto domino Desse et sociis receperunt ad conturam et centum librarum venetorum paruorum pro contura ipsius nauigii eidem domino Desse et sociis supradictis ipsi Georgius et Prodi redderent, restituerent et soluerent hinc ad festum sancti Andre[e], proxime venturum Et si ultra dictum terminum eum tenerent per racionem de centum XL. libris similiter soluerent. Non tamen liceat predictis Georgii et Prodi a kalendis marcii proxime venturi in antea eum tenere. Et si ipsi Georgius et Prodi dictum nauigium, corredum et conturam non redderent et soluerent, ipsi Andreas, Petrus et Nicolaus pro medietate ipsius nauigii et corredi supra se et suis bonis darent et soluerent trecentas libras denariorum paruorum et conturam predictam, ipsi Georgius et Prodi per se suosque heredes ipsos Andream, Petrum et Nicolaum suosque heredes indempnes conseruare promiserunt sub obligamine suorum bonorum et suarum personarum, que bona et quas personas ubicumque inuenirent sua auctoritate capere possint statuto aliquo non obstante. Presentibus Basciano Luce et Phylippo Vedimir testibus et Nicolaus Cosoti (!) examinauit. Ego Nicolaus Franciscus Benuenuti de Seregnanio de Cremona imperiali auctoritate notarius et iudex ordinatus.

*Diversa cancellariae a. 1325. u dubrovačkom arkivu. Vidi ispravu od 26. aprila u Trogiru.*

## 153.

**1276, 4. maja. U Lateranu.**

*Inocencije V. papa dozvoljuje Kolumbanu biskupu trogirskomu, da otstupi, a papa sam imenuje Ivana glogovničkoga.*

Innocentius episcopus servus servorum dei dilectis filiis clero et diocesi Traguriensi salutem et apostolicam benedictionem. Venerabilis frater noster Columbanus episcopus quondam Traguriensis longa supportatione pontificalis sarcine fatigatus et ad eam ulterius sufferendam debilitate multa ex incurabili infirmitate proprii corporis, quam incurrit, ac ex senio, ad quod iam devenit, specialiter procedente gravatus, ad regimen presulatus officii se non posse sufficere asseverans ex zelo, quo erga ecclesiam Traguriensem commissumque sibi dominicum gregem fervebat, dimittere humiliter huiusmodi officium pontificatus elegit, ne per eius impotentiam vel defectum ipsius gregis aut ecclesie posset profectibus quomodolibet deperire, attente postulans cessionem eius a nobis respici, sibique sic lapso quietis locum, quem sua requirebat conditio, benignius indulgeri volenti premissa de causa regimini ecclesie cedere prelibate; cuius cissionem sponte oblatam, post multiplicis tamen supplicationis instantiam, a dilecto filio Gervasio archidiacono Traguriensi et Oliverio monacho ordinis sancti Benedicti, capellano ipsius Columbani episcopi, habentibus ab eo ad cedendum huiusmodi regimini sufficiens et speciale mandatum, duximus admittendam; sicque provisione ecclesie predicte, que ob id pastoris carebat solatio in dispositionis nostre arbitrio consistente, nos felici ordinationi eiusdem ecclesie, quam paterne aspicimus oculo pietatis et gerimus etiam in visceribus caritatis, diligentius insistentes, operam dedimus festinatam, ut ipsi ecclesie persona iuxta cor nostrum ydonea preficiatur, ne illam viduitatis incommodum diutius pati contingeret in suum spiritualiter vel temporaliter periculum et discrimen. Unde ad personam dilecti filii Johannis electi Traguriensis tunc prepositi ecclesie de Grogorissa(!) Zagrabiensis diocesis et canonici Jerusolimitani, fide ac devotione probatam, quam charitativum affectum habere non ambigimus erga plebem suo regimini commendatam, apostolice considerationis intuitum dirigentes, ipsum virum multiplicium decoratum varietate virtutum enitentium, redimitum insigniis meritorum, in spiritualibus quoque et temporalibus circumspectum, prout fide dignorum assertio nos instruxit, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis, eidem ecclesie Traguriensi in dei nomine in episcopum prefecimus et pastorem, illius curam in spiritualibus et

temporalibus eidem Joanni electo plenarie committentes, spe firma concepta, quod ecclesia ipsa diuina comitante gratia per suam industriam et perspicacem prudentiam, grata in utrisque felicitatis suscipiat incrementa. Quocirca universitati uestre per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatenus eundem Johannem electum ad commissam sibi ecclesiam cum benedictionis nostre gratia venientem, condigno suscipientes honore ei tanquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendatis, ac illi exhibentes obedientiam et reverentiam debitam et devotam salubria eius monita et mandata studeatis devote suscipere ac efficaciter adimplere. Alioquin sententiam, quam ipse propter hoc rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore domino usque ad satisfactionem condignam appellatione remota inviolabiliter observari. Datum Laterani IIII. nonas maii, pontificatus nostri anno primo.

*Original u arkivu kaptola u Trogiru no. 23. Na listini visi o končanoj uzici olovni pečat.*

*Farlati Illyr sac. IV. 357. — Fejér Cod. dipl Hung. V. 2. 362—4. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 174—6. — Kukuljević Reg. no. 1190.*

## 154.

**1276, 7. maja. U Trogiru.**

*Bilješka.*

Capituli Tragurini syndici eorum constitutio ad tractandam concordiam Traguriensium, Spalatensium et Sibenicensium de discordiis.

*Notae Joannis Lucii. fol. 40. a. Starine XIII. 215.*

## 155.

**1276, 7. maja. U Zagrebu.**

*Bilješka.*

Capitulum Zagrabiense testificatur peractam esse mutuam conventionem inter Mathaeum abbatem Toplicensem et Martinum filium comitis Hirink fine servandorum per nominatos arbitros specificatorum limitum inter possessionem abbatialem Pouuetnia et comitis Jaruel.

*Ex elencho privilegiorum episcopatus Zagrabiensis. In arch. dioec. Zagreb. no. 106. vol. V. — Kukuljević Reg. no. 1197.*

## 156.

**1276, 22. maja. U Rimu.**

*Karlo napuljski čini odredbe proti slavenskim gusarima.*

*Karlo I., nalazeći se u Rimu, doznao je da dalmatinski gusari pomažu Paleologu u Albaniji, pa nalaže Rogeru de Samara da se bezodvlačno krene proti njima s dvije galere, jednim galionom i jednom »vacetta«:* »Sclavi pirate cum galionibus eorum bene armatis per loca maritima illarum parcium (Albanie et Durachii) temerariis ausibus discurrentes, fideles nostros navigantes per maritimas illius provincie inpediunt et eis inferunt incomoda atque dampna, ac etiam hostes et inimici de gente Paleologi ad eorum audaciam animati gentem et fideles nostros opprimere et dapnificare intendant« etc.

*Reg. Ang*
*Makušev Zapiski XIX. 2. prilož. 3. 48.*

## 157.

**1276, 4. juna. U Zadru.**

*Zoilo, kapelan crkve sv. Spasa, sin pokojnog Petra Clauda, poklanja svome bratu Bartolu sav svoj posjed u Zadru.*

In Christi nomine amen. Anno incarnationis eius millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, indictione quarta, die quarto iunii, Jadre, temporibus domini Jacobi Contareni incliti ducis Venecie et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Jacobi Teupulo, egregii comitis. Ego Çoellus, capellanus ecclesie sancti Saluatoris de Jadra, filius condam Petri Claudi do, dono atque transacto tibi quidem Barthy, dilecto fratri meo Jadratino, qui me semper fraterno amore tractasti, mihi in meis necessitatibus subuenisti, possessiones meas infrascriptas, positas in ciuitate Jadre, videlicet stationem unam, que est sub tuo palacio in confinio sancti Petri noui apud palacium Diatrichi et de quirina est via publica, item duas alias stationes positas in eodem confinio, una iuxta aliam in contrata aurificum, a trauersa possidet Damianus aurifex filius condam Petri de Luca, a quirina et borea possides tu predictus Barthy, ab austro est via publica; item vineam unam, positam in Petreçano, ab austro et trauersa possident filii condam Sche-

rebiç, a quirina est via et a borea possidet Marinus Stomulus. Que qui dem omnes possessiones predicte fuerunt de bonis hereditariis predicti condam patris nostri et mihi euenerunt in parte cum aliis etiam quibusdam possessionibus partiendo tecum, predicto fratre meo, bona paterna et materna. Vt amodo in antea plenam uirtutem et potestatem habeas prenominatas stationes et vineam intromittendi, habendi, tenendi, possidendi, dandi, donandi, vendendi et pro anima iudicandi et totam tuam et heredum ac successorum tuorum voluntatem exinde faciendi, cum omnibus suis habenciis et pertinentiis tam subtus terram, quam supra terram. Pro qua quidem donatione tu predictus Barty dedisti mihi nomine talionis libras denariorum venetorum paruorum nonaginta duas, quas pro debitis meis et pro aliis meis utilitatibus persoluisti integraliter. Unde promitto cum successoribus meis dictam donationem et res donatas defensare et excalumpniare tibi et tuis heredibus et successoribus ab omni persona super me et omnia mea bona habita et habenda. Preterea sciendum est, quomodo ego, predictus Çoellus, hanc donationem facio et transactationem tibi predicto fratri meo Barthy petiendo in me ius usufructuandi predictas possessiones tibi donatas, donec vixero, ut eas in vita mea tantummodo usufructuare ualeam, nulla mihi potestate in predictis rebus donatis aliter reseruata. Actum est hoc coram hiis rogatis testibus Andrea de Raua et Dessigna de Suscela.

*(Drugi rukopis).*

† Ego Jacobus Çadulinus examinator manum misi.

Ego Nicolaus Feltrensis, sacri palacii notarius et Jadrensis iuratus, hiis interfui et rogatus scripsi et roboraui.

*(Sign. not.).*

*Original u gubern. arkivu u Zadru, odio samostana sv. Nikole br. 61.*

## 158.

**1276, 5. juna. U Spljetu.**

*Prodaja i izmjena zemalja samostanu sv. Benedikta u Spljetu.*

In nomine dei eterni amen Anno incarnationis eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, indicione quarta, temporibus domini Johannis venerabilis Spalatensis archiepiscopi, domini bani Pauli incliti domini, Vice Zerni de Jadra communitatis potestatis, Petri Leonardi, Josefi Peruoslai, Madii Miche iudicum. Franze ser . . . . . de Traguro et sl . . . . . dederunt, contulerunt ac precise vendiderunt domine Stane

abbatisse monasterii sancti Benedicti nomine sui monasterii totaliter suas partes quas habuerunt de furno qui vocatur f . . . ro(l) . . . . . . . . . et est positus sub turri que olim fuerat Jantii Gumay pro viginti una libra et quinque solidis denariorum parvorum quas in se habere dixerint, que ipsorum partes fuerunt bannite per preconem comunitatis publice in platea dantes dictus Franze et Slaua eius soror totam suam uim autoritatem et potestatem, quam in ipso furno habuerunt, predicte domine abbatisse nomine sui monasterii supradicti, ac plenam potestatem rerum, possessionum earum partes totaliter perpetuis temporibus possidendi, vendendi, donandi et quidquid sibi de ipsis placuerit faciendi, promitentes ac se obligantes ipsas suas partes eidem monasterio ab omni persona defensare et excalumpniare cum suorum bonorum obligatione. In signum vero stabilis et precise vendicionis unum passum de terra per longum et amplum in Bade pro gambio ab ipso monasterio se accepisse dixerunt. Actum est hoc ante ecclesiam sancti Laurencii de platea in presencia et testimonio domini Jacobi . . . . . . . Damiani Pezenegi, Petracce Gregorii, Duymi Gaudii et aliorum. Ego Johannes Dabralis conscius examinavi.

Ego vero donus Lucas canonicus et iuratus notarius his interfui et utriusque partis bona voluntate rogatus, ut audivi scripsi et roboravi.

*(Signum notarii.)*

*Original ošteden u arkivu samostana sv. Marije u Zadru.*

## 159.

**1276, 4. augusta.**

*Karlo kralj napuljski zapovijeda progoniti gusare.*

Justiciarius terre Bari *zaplijenio je na zapovijed kraljevskog namjestnika u Albaniji, Vilhelma Bernardia i zapovjednika tamošnje vojske Filippa de Artulla,* teridam unam et barcam unam quorundam Raguseorum nonnullis mercibus oneratas *jer* cum ipsi capitaneus et marescalcus, pro solvendis stipendiariis, cum eisdem morantibus, quandam quantitatem salis pro parte nostre curie vendiderint quibusdam mercatoribus, volentibus emere sal predictum, [Ragusei] cum eorum complicibus Sclavis piratis, quibus confederati sunt, insimul per loca maritima more predonum discurrentes, barcas [que] sal ipsum portabant, ceperunt et ipsarum aliquas cum mercibus apud Ragusium cum onere transmiserunt *Doznav za to kralj naloži* teridam et barcam predictam patronis

ipsarum restituens, ipsos pacifice abire permittas, nec ipsos propterea debeas molestare, *pošto* statim comuni Ragusii per litteras nostras scribemus, ut sal et totum dampnum per eosdem Ragusinos illatum mercatoribus supradictis, si de regno vel aliis terris nostri dominii fuerint, faciant emendari.

*Reg. Angioini.*
*Makušev Zapiski XIX. 2. pril. 3. 60. — Rački Rad XVIII. 218.*

## 160.

**1276, 20. augusta.**

*Pred kaptolom srijemskim uredjuju se odnošaji iza pokojnika, koji je uživao kraljevu zemlju.*

Capitulum ecclesie beati Irinei universis presens scriptum inspecturis salutem in domino sempiternam. Vniversorum noticie tenore presencium declaramus, quod constitutis coram nobis Regk curiali comite Syrmiensi ex una parte et domina Agatha relicta Laurencii filii Spank de Syrmia una cum filia sua nomine Maria ex altera, eadem domina retulit, quod cum gracia et voluntas regia terram ipsius Laurencii quondam mariti sui Solomun vocatam existentem in comitatu Syrmiensi tamquam sine herede defuncti, predicto Regk comiti contulisset. Ipsa super dote sua et quarta, que de eadem terra filie sue dinoscitur provenire secundum regni consuetudinem confessa et se per modum pacifice ordinationis cum memorato Regk comite concordasse et ea sibi remisisse seu relaxasse in quantitate pecunie infrascripte, scilicet in octo marcis argenti, quas se asseruit ab eodem Regk comite plenarie recepisse. Astitit etiam comes Silvester, cognatus domine prenotate ipsam ordinacionem seu remissionem ratificans et conprobans, ipsi facto consensum prebuit et assensum. In cuius rei testimonium presentes ad instanciam parcium contulimus litteras sigilli nostri munimine roborantes, alphabeto medio bipartitas. Anno dominice incarnacionis MCC. septuagesimo sexto XIII. kalendas septembris.

*Original sa crvenom, zelenom i ljubičastom svilenom vrvcom bez pečata čuva se u arkivu obitelji baruna Revay-a u Sćavnici. Priobćuje Karlo Szabó, u*
*Cod. dipl. patrius VI. 120 -1. 156.*
*Kukuljević Reg. 1193.*

## 161.

**1276, 23. septembra. U Križevcu.**

*Pred Ilijom križevačkim županom Jakob, Pezek, Golob i Čeporna prodaju neke zemlje Matiji sinu Peska župana.*

Nos Elyas comes Crisiensis omnibus presens scriptum habituris significamus presencium per tenorem, quod constitutis coram nobis personaliter Matheo filio Pezk comitis a parte una et Jacus filio Rodym, Pezek filio Rodch, Golob et Cheporna proximis eorundem, iobagionibus castri Crisiensis ab altera, iidem Jacus, Pezek, Golob et Cheporna porciones terre eorum ipsos contingentes totaliter sub distinccione metarum inferius notatarum, confessi sunt se uendidisse eidem Matheo et suis heredibus heredumque successoribus iure perpetuo et perempni pro quinque marcis zagrabiensium denariorum acceptis plenarie ab eodem possidendas Astituerunt eciam proximi uenditorum Wlkozlau, Borey filii Wlkodrug pro se et pro iuniori fratre eorum, Milchicha, Zcorona et Thomas filius Emerici uicinus et commetaneus eiusdem terre, qui in nullo contradicentes assensum et consensum unanimiter prebuerunt Cuius terre uendite, prout partes presentibus proximis et commetaneis terre memorate nobis retulerunt, mete taliter distinguntur. prima meta incipit ab occidente a terra eiusdem Mathey ab arbore nar cruce signata sita iuxta viam secus terram filiorum Wlkodrug pretaxatorum, deinde ad orientem tendens peruenit ad arborem tylce cruce signatam apud quendam riuulum, ab hinc ad arborem harast in monte sitam, de hinc inferius ad arborem pomi in introytu silue, deinde per arbores harast cruce signatas peruenit ad quandam antiquam uiam, per quam eundo semper uersus orientem in exitu silue peruenit ad arborem harast existentem inter arborem piri et aliam arborem harast cruce signatas iuxta fluuium Glogoncha, exinde per eundem fluuium Glogoncha inferius uersus meridiem tendendo satis in magno spacio per inferius quoddam molendinum exeundo de sepedicto fluuio Glogoncha peruenit ad arborem pomi cruce signatam, ubi terre Thome superius notati uicinatur. Deinde uersus occidentem iuxta eandem terram Thome pergendo peruenit ad aliam arborem pomi cruce signatam, ab hinc ad arborem harast cruce signatam existentem iuxta arborem zil, deinde ad aliam arborem zil, ab hinc ad arborem harast cruce signatam in medio silue, ubi terre Mathey emptoris et Pauli fratris sui conmetatur, exinde iuxta terram eorundem procedendo de silua exeundo uersus occidentem peruenit ad arborem

zil cruce signatam, ab hinc ascendit montem tendendo per frutices diuersarum arborum peruenit ad quandam magnam uiam, que ducit uersus Goztouich, per quam pergendo uersus septemtrionem iuxta terram sepedicti Mathey ab occidente remanentem satis in magno spacio peruenit ad metam in principio nominatam. In cuius rei seriem presentes nostri sigilli apposicione eidem Matheo dedimus communitas Datum Crisii quarta feria proxima post octauas exaltacionis sancte crucis, anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo sexto.

*Original u kr. zem. arkivu u Zagrebu: Doc. med. aevi. Pečat, koji je visio na vezici od pergamene otpao je.*

## 162.

**1276, 15. oktobra. U Viterbiji.**

*Papa Ivan XXI. nalaže nadbiskupu zadarskom, da brani Dominikance u Zadru protiv nasilja ninskih župana: Marka, Mihajla itd.*

Johannes episcopus seruus seruorum dei venerabili fratri (Laurentio) archiepiscopo Jadrensi salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii . . . . . . . prior et conuentus fratrum ordinis predicatorum Jadrensium conquestione monstrarunt, quod, licet per litteras apostolice sedis sit inhibitum, ut nullus ecclesias aut loca fratrum predicti ordinis ausu temerario presumat infringere, aut in illis uiolentiam dampnabilem exercere ac statutum, ut illi qui postposito timore diuini nominis secus facere presumpserint, ipso facto sententiam excomunicationis incurrant, a qua non possint absolui, nisi per eandem sedem uel conseruatorem ab ipsa dictis fratribus aut eidem ordini deputatum; Marcus tamen et Michael dicti comites, Miroslaus, Graçon et Buchzc ciues Nonenses adiunctis sibi nonnullis iniquitatis filiis ad locum, quem dicti prior et fratres habebant in predicta ciuitate Nonensi, hostiliter accedentes et in quosdam ex dictis fratribus manus inicientes dei timore postposito temere uiolentas, partem loci eiusdem diruere et bona dictorum fratrum ibidem inuenta rapere et asportare nequiter presumpserunt in dictorum prioris et fratrum graue preiudicium et scandalum plurimorum. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus si de huiusmodi manuum iniectione ac loci predicti dirutione legitime tibi constiterit, predictos sacrilegos tamdiu appellatione remota excomunicatos publice nunties et facias ab omnibus artius euitari, donec super his satisfecerint competenter et absolutionis sue beneficium legitime assequantur, eosdem

quoque, quod bona ipsa dictis priori et fratribus restituant integre, ut tenentur, monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota previa ratione compellas. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio uel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas ueritati testimonium perhibere. Datum Viterbii idus octobris pontificatus nostri anno primo.

*Original u gubern. arkivu u Zadru (odio samostana sv. Dominika no 1065). Na listini nalazi se trag, gdje je o vrvci visio pečat. — Na hrptu savremena bilješka »Priori et conuentui fratrum predicatorum Jadrensium«.*

*Farlati Ill. sacr. V. p. 80. — Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont. XII. p. 176—7. — Kukuljević Reg. no. 1195.*

## 163.

**1276, 19. novembra. U Zagrebu.**

*Pred kaptolom zagrebačkim Turča, Črnoglav i Vukša prodavaju svoju djedinu Obreš Stjepanu i Blažu sinovima Vukonje.*

Capitulum Zagrabiensis ecclesie omnibus, ad quos littere presentes peruenerint salutem in domino. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod Stephano filio Wlcona pro se et fratre suo Blasio nomine ab vna parte et Turcha ac Churnoglau filiis Stoyan et Wlksa filio Marosk cognato eorundem ab altera, iobagionibus castri Zagrabiensis coram nobis personaliter constitutis, idem Turcha et fratres sui memorati decem dimensiones terrarum eorum hereditariarum werten,(!) vulgo dictas, Obres nuncupatas, existentes iuxta terram eiusdem Stephani metis subscriptis distinctas, dixerunt et confessi sunt se vendidisse et tradidisse Stephano et Blasio antedictis et per eos suis heredibus heredumque successoribus pleno iure et perpetuo cum omnibus vtilitatibus et pertinenciis eorundem terram vniuersis possidendas, pro decem pensis denariorum banalium receptis plenarie, vt dixerunt, ab eisdem, obligantes nichilominus se expedituros propriis laboribus et expensis Stephanum et Blasium nominatos, ac ipsorum heredes ab omni, quam(!) occasione dicte terre contra eosdem per quempiam oriri contingeret questione. Astitit eciam magister Germos notarius Pauli viceiudicis Zagrabiensis vice et nomine eiusdem iudicis, Tolyas filius Radothey, Woyzlau filius Stoyk cognati et commetanei tam venditorum quam emptorum predictorum, qui predicte vendicioni suum consensum accomodarunt et as-

sensum. Terrarum autem venditarum mete, prout nobis partes retulerunt, tali ordine distinguntur: prima meta incipit iuxta aquam Mozucham vocatam a parte meridionali et tendit ad Obres et inde progreditur et decurrit in viam qua itur ad ecclesiam sancti Petri et a parte dextra remanet venditoribus supradictis et currendo in ipsa via peruenit ad metas Tolyas supradicti et ibi coniungitur terris hereditariis Stephani sepedicti ibique terminatur. In cuius rei certitudinem et memoriam perpetuam presentes ad peticionem parcium contulimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum in festo beate Elizabeth, anno ab incarnacione domini millesimo CC. septuagesimo sexto.

*Iz originalnog prijepisa kaptola zagrebačkog od g. 1402. 11. oktobra, koji se nalazi u škrinji plemića donje Lomnice.*

*Laszowski Spomenici Turopolja I. 29—30.*

## 164.

**1276. 3. decembra. U Viterbi.**

*Ivan XXI. papa premješta trebinjskoga biskupa u Dubrovnik.*

Johannes episcopus servus servorum dei venerabili fratri Salvio archiepiscopo Ragusino, salutem et apostolicam benedictionem. In supreme specula dignitatis quamquam immeriti, disponente domino, constituti circa generalem curam ecclesiarum omnium iuxta pastoralis officii debitum sollicita diligentia et diligenti sollicitudine vigilamus, sed ad illas potissime, que viduitatis deplorant incommoda, tanto attentius nostre considerationis retorquemus intuitum, tantoque studiosius, ut eis pastores preficiantur ydonei: oportunos labores, quantum nobis permittitur ex alto, incessanter impendimus, quanto intuemur manifestius, quod ex talium administratione pastorum fructus uberes spiritualiter et temporaliter eisdem possunt ecclesiis provenire, ad quarum procuranda commoda promptis ac notis desideriis aspiramus. Felicis siquidem recordationis Clemente papa, predecessore nostro, venerabilem fratrem nostrum Aleardum professorem ordinis minorum Arborensem, tunc Ragusinum archiepiscopum, ad Arborensem ecclesiam transferente, ac propter hoc Ragusina ecclesia remanente destituta pastore, capitulum seu canonici Ragusini Andream Causoni de Venetiis, canonicum Paduanum, de facto in Ragusinum archiepiscopum elegerunt, qui ad eandem Ragusinam ecclesiam accedens personaliter, nulla licentia habita vel confirmatione obtenta a sede apostolica, in spiritualibus et temporalibus impudenter administravit ibidem.

Et tandem ex parte pie memorie Gregorii pape X., predecessoris nostri citatus legitime in prefixo sibi termino peremptorio personaliter coram eo comparere postposuit, sed quemdam procuratorem ad ipsius predecessoris nostri Gregorii presentiam destinavit, qui electioni huiusmodi et omni iuri, quod eidem canonico competebat ex ea, nomine ipsius canonici, a quo super hoc speciale mandatum habebat, sponte et expresse renuntiavit in manibus predecessoris eiusdem. Unde licet ministerium tuum Tribuniensi ecclesie, cui, sicut accepimus, laudabiliter prefuisti, utile valde foret, nos tamen de ordinatione ipsius ecclesie Ragusine taliter pastore carentis sollicite cogitantes, ac talem illi preesse pontificem affectantes, quem laudabilia sua merita redimerent, cuiusve non esset dubia caritas erga plebem sue sollicitudini commendandam, in te tunc Tribuniensem episcopum, cui vite honestas, commendabilis conversatio et sufficiens litterarum scientia suffragantur, quique spiritualium providentiam et circumspectionem temporalium obtines, necnon fervidam caritatem geris circa prosperum statum illius regionis, unde originem produxisti, oculos direximus mentis nostre. Quapropter tam eidem ecclesie Ragusine, cuius in hoc utilitatem evidentem specialiter attendimus, quam gregi dominice paterna intendentes diligentia providere, teque a vinculo, quo tenebaris astrictus eidem Tribuniensi ecclesie, de fratrum nostrorum consilio absolventes, ac de persona tua eidem Ragusine ecclesie providentes, te ad ipsam transferimus de apostolice plenitudine potestatis, transeundi ad sepedictam Ragusinam ecclesiam tibi liberam licentiam concedentes, palleo videlicet, quod est insigne pontificalis officii, tibi nichilominus assignato, firma ducti fiducia, quod tu, qui in commisso tibi episcopatus officio hactenus fideliter ac utiliter diceris ministrasse, de talento tibi credito, prestante domino, talenta referas potiora. Rogamus itaque fraternitatem tuam et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus ad prefatam ecclesiam Ragusinam, cuius plenam administrationem in spiritualibus et temporalibus tibi committimus, cum plenitudine nostre benedictionis accedens erga illius curam et regimen sic te fructuosum reddas et sollicitum, quod tua fama clareat per effectum, et in delectationem nobis veniat te speciali benivolentia prosequi, tuisque votis congruis favorem propitium impertiri. Datum Viterbii tertio nonas decembris, pontificatus nostri anno primo.

In eodem modo capitulo ecclesie Ragusine, clero civitatis et diocesis Ragusine, comiti et communi civitatis Ragusine et suffraganeis ecclesie Ragusine.

*Original u dubrovačkom arkivu. Papinski pečat dobro sačuvan.*

*Theiner. Mon. Slav. Mer. I. br. 127. str. 93—94. — Farlati Illyr. Sacr. VI. 113. — Sbaraleae Bullar. Francisc. III. 254 no. 8. Potthast*

*Reg. pontif.* 21, 198 *datira na* 5. *decembra* — *Kukuljević Reg.* 1196 (*datira* 3. *dec.*) *uzimlje iz Bullarium Ragusinum. I naš original u dubrovačkom arkivu imade* »*tertio nonas decembris*«.

## 165.

**1276.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski za velike zasluge Enarda župana učinjene ocu njegovu i njemu oprašta Enardova maloljetna sina Ivana za posjede izmedju Save i Bosne od banskih podavanja.*

Ladizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus tam presentibus quam futuris presentes litteras inspecturis salutem in omnium saluatore. Que geruntar in tempore ne processu temporum simul elabantur cum eodem, uiuacis scripture apicibus litterarumque testimonio consueuerunt perhempnari. Proinde ad uniuersorum tam presencium quam futurorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod considerantes meritoria obsequia et fideles famulatus Enardi comitis, que et quos tam tempore patris nostri domini Stephani illustris regis Hungarie felicis recordacionis, quam demum nostris temporibus fideliter et laudabiliter inpendit, diuersis fortune casibus in regno nostro frequenter emergentibus personam suam committere non formidans, nos fidelibus et laudabilibus seruiciis predicti comitis Enardi huiusmodi remuneracionis beneficio volentes respondere, ut eo cognito alii ad fidelitatis opera frequencius inducantur; in recompensacionem seruiciorum eiusdem Johanni pupillo suo adhuc in etate tenera constituto graciam huiusmodi de benignitate regia duximus faciendam, quod populi ipsius Johannis inter Zawa et Bazad. existentes collectam victualium, que vulgariter zulusma(!) dicitur et marturinarum soluere debentes iuxta terre morem et consuetudinem approbatam, a iurisdiccione bani pro tempore constituti perpetuo expediti sint penitus et exempti Volentes et precipientes banis Sclauonie pro tempore constitutis, quod populos predicti Johannis filii Enardi de cetero racione solucionis collectarum huiusmodi non audeant nec presumpmant molestare, sed iuxta formam gracie nostre predicto filio Enardi concesse iobagiones suos permittant permanere pacifice et quiete. Vt igitur huiusmodi gracie per nos facte series robur optineat perpetue firmitatis, nec per quempiam processu temporum retractari ualeat, aut in irritum reuocari, presentes eidem Johanni concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti sancte Strigoniensis ecclesie electi

prepositi Budensis, aule nostre vicecancellarii anno domini M°CC°LXX° sexto, regni autem nostri anno quinto. Venerabilibus patribus Stephano Colocensi et Johanne Spalatensi archiepiscopis, Andrea Agriensi, Gregorio Chenadiensi, Job Quinqueecclesiensi, Phylippo Waciensi aule domine regine karissime consortis nostre cancellario, Lodomerio Waradiensi, Timotheo Zagrabiensi, Dionisio Jauriensi et Petro Transiluano episcopis ecclesias dei feliciter gubernantibus, Petro palatino comite Suproniensi et iudice Cumanorum, Matheo magistro thoarnicorum(!) nostrorum comite de Bana, Moys iudice Curie nostre comite Simigiensi, Thoma bano tocius Sclauonie, Vgrino waiuoda Transiluano Comite de Zonuk, Stephano, magistro dapiferorum comite de Bors, Micud bano de Zeurino, Petro magistro agasonum comite de Hatuak(!), Homodeo comite Zaladiensi, Chepano comite Castri Ferrei, Mycahele comite Nytriensi et aliis quam pluribus comitatus regni tenentibus et honores.

*Iz originalne potvrde kralja Andrije od god. 1291. 9. oktobra u kr. ug. drž. arkivu u Budimu: M. O. D. L. no. 953. (Stara sign. N. R. A. 604. no. 18.)*

*Fejér Cod. dipl Hung. V. vol. 2. 339.—340. — Wenzel Cod. dipl. Arpad. XII. 173—174. — Kukuljević Reg. no. 1199.*

## 166.

**Oko 1276.**

*Trogirani traže zaštitu nadbiskupa ostrogonskoga proti nadbiskupu spljetskom Ivanu, jer da diže smutnju izmedju Trogira i Šibenika na štetu trogirske biskupije.*

Reverendo patri et speciali suo domino B(enedicto) dei gratia sancte Strigoniensis ecclesie archiepiscopo iudices et populus Traguriensis, eius devoti fideles, cum inclinatione, promptum famulatum. Venerabilis pater et domine, a vestre celsitudinis presentia tam obsequiis, quam facie remoti sumus et incogniti et idcirco in nostre necessitatis articulo flagitare tanti patris patrocinium videtur absurdum; laudabilis tamen fama, que benedictam personam vestram per orbem terrarum celebrat et extollit, qua sine personarum acceptione extraneos pariter et domesticos benignitatis oculo respicitis et fovetis, suasit nobis ausum sollicitandi vestram excellentiam ad ferendum presidium civitati et ecclesie nostre, que vestra est, contra quam J(ohannes) dei gratia Spalatensis archiepiscopus ad suggestionem emulorum nostrorum, quod eum minime decuit, in possessiones civitatis et ecclesie dudum iam sopitas suscitavit calum-

niosas et arduas questiones, hinc est quod . . . . episcopum et eundem servientem vestrum ad curiam accessurum, qui anno preterito de curia . . . . rediens, ex parte vestra salutis vota et benedictionis gratiam nobis auro et topatio gratiora retulit, ad dominationis vestre presentiam destinamus, modis quibus possumus exorantes, quatenus divine retributionis intuitu et nostre fidelitatis interventu, consilium nobis et auxilium conferre dignemini, quod ex disposicione negotiorum vestra circumspectio intellexerit expedire. Valeat nunc et semper vestre clementie celsitudo.

*Farlati Illyr. sacr. IV. 357. — Fejér Cod. dipl. V. 2. 356—357. — Kukuljević Reg. no. 1201.*

## 167.

**1277, 2. februara. U Čazmi.**

*Sinovi Drugana, Rylče i Vukodruga prodaju svoju djedinu u Gariću sinovima Martinovim.*

Nos capitulum Chasmensis ecclesie memorie commendantes significamus vniuersis, quod accesserunt ad nostram presenciam personaliter ab una parte Jacobus, Stephanus et Farcasius filii Drugan, Domald et Bork filii Rylch, Endrey et Domady filii Vulcodrug iobagiones castri de Garyg, ex altera uero Juan Carachinus et Benedictus filii Mortun, qui iidem filii Drugan et filii Rylch, ac filii Vulkodrug eisdem filiis Mortun totam terram eorum hereditariam in Garyg existentem uendiderunt suis per ipsos heredibus heredumque successoribus, iidem filii Drugan suam porcionem pro quindecim marcis et filii Rylch ac fili Vulcodrug suam porcionem pro quinque marcis cum omnibus suis utilitatibus et ad eandem pertinentibus iure perpetuo inreuocabiliter possidendas. Iidem autem filii Drugan cum edificiis domorum et cum uno molendino, qui est super aquam Comoria ac cum duabus vineis quarum una est super terram Thome filii Boriuoy iuxta uineam iobagionis Thome et uineam ecclesie sancti Martini, alia uero super terram Blasii iuxta uineam iobagionis Blasii et filii Rylch ac filii Vulcodrug, locum unius molendini super aquam Temennicha, prout nobis partes et homo noster retulerunt, ex uoluntate cognatorum et commetaneorum permissione ipsam terram idem homo noster eisdem assignasset; cuius quidem terre metce, prout homo noster retulit, hoc ordine distinguntur: prima meta incipit a terra eorumdem filiorum Mortun de una arbore egur, ubi aqua Temennicha et Comoria insimul coniunguntur iuxta terram Rolandi, que terra iacet

(iuxta) aquam Comorie ab occidente, exinde uero eundo in ipsam aquam Comoria uicinatur terre Blasii que iacet similiter ab occidente (iuxta) aquam Comorie ibi peruenit, ubi finiuntur mete terrarum filiorum Rylch et filiorum Vulcodrug et incoantur mete terrarum predictorum filiorum Drugan in eadem aqua Comorie, ubi perueniendo uicinatur terre Georgii filii Bogdas et in ipsa aqua eundo ad partes septemtrionales cadit in aquam Chasma et cadendo in ipsam aquam uadit uersus orientem, peruenit ad terram Emirici filii Vulchan, ubi exit de aqua Chasma sub arborem egur ad unum riuulum Pleterna uocatum et in ipso riuulo tendit uersus orientem ad unam arborem gertean meta terrea circumfussam ad terram predictorum Juan Carachin et Benedicti et sic terminatur. Ut igitur huius uendicionis series irritum non possit reuocari uel aliquatenus retractari, litteris nostris confirmauimus. Datum tertia feria proxima ante dominicam carnis priuii MCCLXX. septimo

*Original u arkivu jugoslavenske akademije u Zagrebu. Diplomata a. 1277.*
*Na vrvci od crvene svile visi pečat čazmanskog kaptola dosta oštećen Kukuljević Reg. br. 1202.*

## 168.

**1277, 27. februara.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski poklanja biskupu zagrebačkomu Timoteju i kaptolu zagrebačkom posjed Blagušu.*

[L]adizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad hoc reges et principes moderatores iusticie instituit dei et hominum mediator, ut ecclesiam sponsam suam, quam proprio sanguine consecrauit, per quam summa et imo in vnum sociantur fidei sacramento, in pace seruarent et possessionibus ampliarent; celestis namque Iherusalem proficit per terestrem pace ecclesie legitimo ordine custodita Proinde ad vniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod cum Wlk, iobagio castri Zagrabiensis decessit sine liberis, terram eiusdem contiguam et conterminam terris capituli Zagrabiensis de sancto Petro Casna uocatis, ob merita et fidelia seruicia venerabilis patris Thymotei episcopi Zagrabiensis, dilecti et fidelis nostri, domino Stephano karissimo patri nostro, inclito regi Hungarie, felicis recordacionis et demum nobis et

regno indefesse inpensa, sicut luce clarius constat vniuersis, cum siluis, vineis, molendinis, fenetis et omnibus aliis utilitatibus spectantibus ad eandem, dedimus, donauimus et contulimus eidem episcopo et fratribus suis capitulo videlicet Zagrabiensi, de uoluntate, beneplacito et consensu baronum nostrorum, qui tunc presentes nobiscum adherant(!) iure perpetuo et pacifice possidendam et habendam sub terminis et metis quibus prefatus Wlk ipsam terram dum vixit habuit, tenuit et possedit. Et ut huiusmodi nostra donacio firma esse ualeat et maioris firmitatis robori innitatur, presentes contulimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis viri magistri Demetrii, prepositi Albensis, domini pape capellani et subdiaconi ac aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri. Anno domini MCC septuagesimo septimo, regni autem nostri anno quinto, tercio kalendas marcii.

*Original u arkivu kaptola fasc. 18. no. 15. S vana: »Super donatione terre Wlk., Blagussa«. — Na crvenoj svilenoj vrvci visi pečat.*

*Tkalčić Monum. episc. Zagr. I. 182–183. — Spominje se u Fejéra Cod. dipl. II. VIII 6., 18. u potvrdi kralja Karla g. 1310. — Kukuljević Reg. no. 1203.*

## 169.

**1277, 3. marta.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski potvrdjuje biskupu zagrebačkomu darovnice svojih predšasnika Andrije, Bele i Stjepana.*

Ladizlaus dei gracia Vngarie, Dalmatie, Croatie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, nos uidisse priuilegium karissimi patris nostri domini Stephani regis felicis recordacionis, continens priuilegia auorum nostrorum Andree uidelicet et Bele regum inclitorum non abrasum, non cancellatum, nec in aliqua sui parte uiciatum in hec uerba: *(Slijedi listina Stjepanova od g. 1272., zatim Belina od g. 1269. i Andrijina od g. 1217.)* Nos itaque ad peticionem et instanciam venerabilis patris Tymothei, dei gracia episcopi Zagrabiensis, dilecti et fidelis nostri, ipsum priuilegium karissimi patris nostri cum aurea bulla de uerbo ad uerbum nostro priuilegio inserentes de certa nostra sciencia et de beneplacito consilio et consensu baronum nostrorum, qui tunc temporis nobiscum presentes aderant, duplicis sigilli nostri munimine duximus

confirmandum. Datum per manus venerabilis viri magistri Demetrii, Albensis ecclesie prepositi, domini pape capellani, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri Anno domini MCCLXX. septimo, V. nonas marcii, regni autem nostri anno quinto.

*Liber privileg. eppatus Zagrab. list. 10. i 12*

*Tkalčić Monum. episc. Zagrab. I. 183. Wenzel Cod. dipl. Arpad. XII. 193. donosi regest. — Kukuljević Reg. no. 1204.*

## 170.

**1277, 3. marta. U Križevcima.**

*Pred Ilijom županom križevačkim prodaju Tolila, Godislav i drugi svoje posjede Mateju sinu kneza Peska.*

Nos Elyas comes Crisiensis omnibus presens scriptum habituris significamus presencium per tenorem, quod constitutis coram nobis Matheo filio Pezk comitis a parte una et Tolila, Godezlao, Woyno, Pezk, Wlkina filiis Zlobk, Wlkmano, Drask filiis Chornk, Grobyna, Ratk filiis Visebor et Paulo filio Marelk iobagionibus castri Crisiensis de Polana ab altera, iidem Tolilo, Godezlau et alii pro parte eorum supradicti totam portionem terre cum silua quam in duello a Gordoba, Benchech, Zmorta, Iuanno et cognatis eorum sub nomine hereditario communiter optinuerunt pro septem marcis; item Grobyna et Ratk totam terram ipsorum porcionem contingentem cum silua eorum Dobouch nuncupata similiter pro septem marcis, preterea Wlkman Drask et Paulus filius Marelk supradicti quandam particulam terre eorum iuxta eandem terram existentem pro duabus marcis denariorum Zagrabiensium sub distinccione metarum inferius notatarum confessi sunt se uendidisse eidem Matheo et per eum suis heredibus heredumque successoribus iure perpetuo et perempniter possidendas, quam sumpmam pecunie superius notate dixerunt se ab eodem Matheo plenarie recepisse. Quarum terrarum uenditarum, prout partes nobis retulerunt, mete taliter distinguntur: prima meta incipit ab oriente ab arbore cerasi cruce signata et tendens uersus occidentem in vallem peruenit ad arborem harasth cruce signatam ab hinc ad aliam arborem harasth crucesignatam, deinde ad arborem piri, ab hinc uersus meridiem in ualle procedendo uenit ad arborem harasth crucesignatam, inde ad arborem gertan meta terrea circumfusam, exinde ad arborem piri cruce signatam in eadem ualle procedendo satis in magno spacio uenit ad uiam . . . . . q(u)e tendit de Polana uersus domum Tolila supradicti ad

occidentem et in eadem via eundo reflectitur uersus meridiem et uenit ad arborem gertan cruce signatam et meta terrea circumfusam, ab hinc tendens uersus siluam uenditorum et uenit ad fruticem auellane meta terrea circumfusam, inde flectitur uersus occidentem iuxta eandem siluam eundo uenit ad arborem gertan cruce signatam et meta terrea circumfusam, inde uenit ad lacum et in eodem lacu eundo uersus septemtrionem uenit ad nemus znos uocatum et iuxta memoratum nemus eundo uenit ad siluam Dobouch superius nominatam et iuxta eandem siluam tendendo reflectitur uersus occidentem peruemendo ad arborem harasth cruce signatam, deinde exit ad viam que tendit iuxta eandem siluam uersus occidentem prope domum Tolila sepedicti et uenit ad fossam ark uocatam et in eadem fossa gradiendo cadit in fluuium Glogoncha et in eodem fluuio Glogonicha (!) uersus septemtrionem eundo uenit ad arborem harasth sitam in littore Glogoncha prope molendinum Petri filii Prelse ubi terre predicti Petri commetatur et iuxta terram memorati Petri per siluam uersus occidentem per arbores harasth crucesignatas enit ad magnam viam, que tendit de Polona uersus Crisium et in supradicta magna via eundo superius ponte Zopoth uenit ad arborem harasth cruce signatam ubi terre sancti Georgii ad Laurencium comitem spectatis (!) commetatur, inde tendit uersus orientem iuxta siluam predicti Laurencii comitis et uenit ad arborem harasth in medio vie sitam in qua est crux et in eadem uia eundo asscendit montem et in eodem montis cacumine uenit ad uiam que tendit ab ecclesia sancti Georgii uersus Polonam et in sepedicta via eundo uersus meridiem satis in magno spacio uenit ad metam terream deinde ad metam in principio nominatam. Vt igitur huius rei series robur perpetue firmitatis optineat et ne in processu temporum obliuione nouercante in irritum per quempiam reuocetur, presentes nostri sigilli patrocinio eidem Matheo dedimus communitas. Datum Crisii quarta feria proxima ante dominicam letare, anno ab incarnacione domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo.

*Original u kr. ug državnom arkivu u Budimpešti: M. O. D. L. no. 32.837. Stara sign. N. R. A. fasc. 25 no. 60. — Na listini visi pergamenska vezica bez pečata.*

*Kukuljević Reg. no. 1205.*

## 171.

**1277, 8. marta.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski proglasuje, da je uveden i biskup i kaptol zagrebački u posjed zemlje Blaguše.*

[L]adizlaus dei gracia Vngarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod cum terram Wlk filii Dobrolych iobagionis castri Zagrabiensis decedentis sine liberis, contiguam et conterminam terris ecclesie Zagrabiensis de sancto Petro, Casna uocatis, ob merita et fidelia seruicia venerabilis patris Tymothei, episcopi Zagrabiensis, dilecti et fidelis nostri, domino Bele auo nostro et Stephano karissimo patri nostro regibus inclitis felicium recordacionum et nobis indefesse inpensa ac toti regno, prout luce clarius constat vniuersis, dederimus, donauerimus et contulerimus cum omnibus utilitatibus suis vineis scilicet, siluis, molendinis, fenetis, terris arabilibus ac aliis suis pertinenciis et apendiciis eidem episcopo et capitulo ecclesie Zagrabiensis et ad reambulandam, statuendam ac eciam assignandam ipsam terram episcopo et ecclesie Zagrabiensi prescripte sub testimonio preceptoris sancti Martini prope Zagrabiam direxerimus magistrum Martinum, aule nostre notarium Demum sicut ipso magistro Martino nobis constitit referente, terram Wlk memorati conuocatis commetaneis et vicinis et eisdem minime contradicentibus, coram homine Joachini bani tocius Sclauonie, quem ad hoc specialiter deputarat, iuxta formam nostri mandati eidem episcopo Zagrabiensi et ecclesie sue prescripte sub testimonio fratris Benuenud(!), preceptoris domus templi de sancto Martino supradicti, prout per litteras eiusdem nobis constitit euidenter, tradidit, statuit et assignauit auctoritate nostra perpetualiter possidendam, introducendo in corporalem possessionem ipsius terre loco ipsius episcopi et capituli sui magistros videlicet Manfredum archidiaconum de Gverche, Dominicum decanum, Stephanum et Gregorium canonicos ecclesie Zagrabiensis, datos procuratores per ipsum episcopum et capitulum ad hoc specialiter deputatos. Cuius quidem terre termini seu mete, sicut nobis idem preceptor domus sancti Martini per suas litteras significauit et prout eciam intelleximus eodem magistro Martino referente, hoc ordine distinguntur: prima meta incipit a fluuio Casna et progreditur directe in quadam fossata uersus orientem, et peruenitur ad quandam arborem nucis antiquam, de qua

progrediens ascendit in uerticem montis et peruenit ad quandam viam, que est in cacumine montis, iuxta quam erecte sunt due mete angulares, relinquentes a meridie terram capituli Zagrabiensis similiter Casna uocatam, a meridie vero distinguentes terram Wydchich filii Martini iobagionis castri Zagrabiensis, a quibus progreditur uersus septemtrionem in eadem via et peruenit ad quandam partem decliuem montis eiusdem ad duas metas antiquas, iuxta quas erecte sunt due noue, ex quibus eundo adhuc in eadem uia et in eadem commetaneitate peruenit ad unam arborem ilycis cruce signatam, iuxta quam erecte sunt due mete terree noue, a quibus progreditur adhuc in eadem via et peruenit ad pedem cuiusdam alterius montis, ubi diuertens modicum ab illa via magna in ascensu eiusdem montis iuxta quandam semitam sunt due mete noue iuxta antiquas metas erecte, in qua quidem semita ascendit ad uerticem montis predicti et in eadem semita eundo paululum cadit iterum ad primam viam magnam et in ea eundo adhuc ad septemtrionem venit ad metas antiquas, iuxta quas sub fruticibus castanearum sunt erecte due noue habens adhuc commetaneam terram Vychchech ab oriente, deinde veniens in sepedicta uia in uerticem montis vbi est terra rubea, sunt due mete erecte iuxta ueteres, adhuc eundo in eadem uia et per eandem rubeam terram peruenit ad quandam foueam palustrem, vbi iuxta metas veteres sunt due noue, a quibus in uia sepius memorata peruenit quandam arborem ilycis, iuxta quam sunt due mete, deinde procedendo adhuc per eandem viam peruenit ad quatuor metas angulares, quarum una est sub magna ilice, vbi erecte sunt due noue, que quidem mete ab oriente separant terram sepedicti Vychchech, a septemtrione vero incipiunt separare terram Potela filii Borch, et incipit currere ipsa meta uersus occidentem in descendendo de monte peruenit ad quendam arborem ilicis, ubi est meta antiqua, iuxta quam sunt erecte due noue, alia sub arbore nyr, alia similiter sub arbore tul, deinde transiens per duas metas, quarum vna quidem sub fago, alia sub ilice, iuxta antiquas metas descendit ad riuulum Casna, iuxta alueum riuuli, qui uocatur Zopath, in quo riuulo Casna descendens ascendit ad quendam fontem, qui est prope uiam incipiens habere a septemtrione commetaneam terram Cruciferorum sancti sepulchri de sancto Georgio et in ipsa uia eundo peruenit ad duas metas antiquas in terra arabili positas iuxta quas sunt erecte due noue, a quibus pertransiens montem peruenit ad arborem antiquam sarbellorum, ubi iuxta antiquas sunt erecte due noue, a quibus descendit in vallem, vbi pertransiens alium ramum riuuli Casna ascendit in montem ad magnam arborem fagi cruce signatam, declinando aliquantulum versus meridiem, ubi sunt due mete (posite et) in ascendendo montem pertransiens duas metas positas sub arbore ilicis venit ad

verticem montis ad alias metas positas sub frutice rakatia uocato, a quibus descendit directe eundo ad meridiem per unam vallem ad tercium (ramum) Casna, ubi iuxta quendam truncum sunt mete, descendit itaque regirando ad meridiem per ipsum fluuium in bona quantitate distinguens a meridie terram filiorum Mladochuet eundo per arbores fructuum, quoadunatur aliis duobus ramis fluvii Casna, sicque quoadunatus uergit iterum ad meridiem in commetaneitate predictorum filiorum Mladochuet et exit de ipso fluuio ad unam stratam ad duas arbores nucis et vadit per ipsam stratam in terra arabili penes arbores [fruc]tuum et veniendo in eadem uersus villam Casna reuertitur iterum ad primam metam et ibi terminatur. Et ut presens nostra donacio firma esse possit et ualeat in huiusmodi rei certitudinem et maioris robur firmitatis, presentes contulimus duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis viri magistri Demetrii Albensis ecclesie prepositi, domini pape capellani, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri. Anno ab incarnacione domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, octauo idus marcii, regni autem nostri anno quinto.

*Original na kojem pečat manjka, u arkivu kapt fasc. 18. br. 44. Tkalčić Monum. episcop. Zagr. I. 183—185. — Wenzel Cod. dipl Arp. cont. XII. 193—6. — Kukuljević Reg. no. 1206.*

## 172.

**1277, 11. marta. U Viterbi.**

*Ivan XXI. papa imenuje biskupa trogirskoga i preporuča ga svećenstvu i puku.*

Johannes episcopus servus servorum dei dilectis filiis (Gervasio) archidiacono . . . . . . . primicerio et capitulo Traguriensibus salutem et apostolicam benedictionem. Venerabilis frater noster Columbanus episcopus quondam Traguriensis, longa supportatione ponteficalis sarcine fatigatus et ad eam ulterius sufferendam debilitate multa et inevitabili infirmitate proprii corporis, quam incurrit, ac ex senio, ad quod iam devenit, specialiter procedente gravatus, ad regimen presulatus officii se non posse sufficere asseverans ex zelo, quo erga ecclesiam Traguriensem commissumque sibi dominicum gregem fervebat, dimittere humiliter huiusmodi officium pontificatus elegit, ne per eius impotentiam vel defectum ipsius gregis aut ecclesie posset profectibus quomodolibet deperire, attente postulans cessionem suam a felicis recordationis Innocentio papa quinto predecessore nostro recipi, sibique lasso quietis locum, quem sua requi-

rebat conditio, benignius indulgeri volenti premissa de causa regimini ecclesie cedere prelibate; quam cessionem sponte oblatam, post multiplicis tamen supplicationis instantiam, a dilecto filio Gervasio archidiacono Traguriensi et Oliverio monacho ordinis sancti Benedicti, capellano ipsius Columbani episcopi, eius nomine, a quo habebant ad cedendum huiusmodi regimini sufficiens ac speciale mandatum, idem predecessor admisit, sicque provisionem ecclesie predicte, que ob id pastoris carebat solatio, in eiusdem predecessoris arbitrio consistente, ipse felici ordinationi eiusdem ecclesie, quam paterne prospiciebat pietatis oculo et gerebat etiam in visceribus caritatis, diligenter insistens operam prebuit festinatam, ut ipsi ecclesie persona iuxta cor suum ydonea preferretur, ne illam viduitatis incommodum diutius pati contingeret in suum spiritualiter vel temporaliter periculum et discrimen. Unde ad personam venerabilis fratris Johannis Traguriensis episcopi fide ac devotione probatam, quam caritativum affectum habere non ambigebat erga plebem suo regimini commendandam, apostolice considerationis intuitum dirigens, ipsum tunc prepositum ecclesie de Grogorissa(!) Zagabriensis diocesis et canonicum Jerosolimitanum, virum multiplicum decoratum varietate virtutum et enitentium redimitum insignis meritorum in spiritualibus quoque et temporalibus circumspectum, prout fidedignorum assertio eundem predecessorem instruxerat, de fratrum suorum consilio et apostolice plenitudine potestatis eidem ecclesie Traguriensi in dei nomine prefecit in episcopum et pastorem, illius curam in spiritualibus et temporalibus sibi plenarie committendo, ac faciendo sibi per venerabilem fratrem nostrum B. Sabinensem episcopum munus consecrationis impendi, spe firma concepta, quod ecclesia ipsa, divina comitante gratia, per eius industriam et perspicacem prudentiam grata in utrisque felicitatis suscipiet incrementa Quocirca universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente per apostolica uobis scripta mandantes, quatenus eidem J(ohanni) episcopo tamquam patri et pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendentes, obedientiam et reverentiam debitam sibi exhibere curetis. Alioquin sententiam, quam ipse etc. Datum Viterbii v idus martii, pontificatus anno primo.

In eodem modo clero et populo civitatis et diocesis Traguriensis, archiepiscopo Spalatensi et regi Ungarie.

*Theiner Mon. Slav. Mer. I. br. 128. str. 94—95. Iz reg. an. I. ep. 107 Sbaralea Bullar. Francisc. III. 264. no. 25. — Potthast Reg. pontif. II. br. 21 231.*

## 173.

**1277, 18. marta. U Čazmi.**

*Pred kaptolom čazmanskim prodaju križevački slobodnjaci dio svoje zemlje Poljane.*

Capitulum Chasmensis ecclesie vniuersis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam serie presencium volumus peruenire, quod Tolila et Godezlao filiis Martini, Wlkmano et Drask filiis Chornk, Woyn Pezk et Wlkyna filiis Zlobk, Ratk filio Wisebor pro se et Grobyna fratre suo ac Paulo filio Marclk iobagionibus castri Crisiensis a parte una et Matheo filio Pezk comitis coram nobis personaliter constitutis ex altera, iidem Tolyla, Godezlaw ac ceteri pro parte eorum predicti porcionem terre eorum in Polona ipsos communiter contingentem, ut dixerunt cum siluis et aliis utilitatibus suis, quam a Gordoba, Gordon, Benchech, Zmorta, Iwano et cognatis eorum in examine duelli et area certaminis sicut in priuilegio Elye comitis Crisiensis per eosdem nobis exibito contineri uidimus nomine iuris hereditarii acquisiuerunt et optinuerunt totaliter et omnino pro septem marcis; item Ratk, qui pro se et Grobyna fratre suo ut premisimus astitit, terram que ipsum cum eodem fratre suo in Polona contiguit cum silua Dobowch uocata similiter pro septem marcis sub metis infrascriptis; item Wlkman, Drask et Paulus predicti quandam particulam de terra eorum dictis terris commetaneam conterminam contiguam et vicinam, que metis, terminis, limitacionibus et signis distinguitur infrascriptis pro duabus marcis confessi sunt uendidisse eidem Matheo et suis per eum heredibus heredumque successoribus irreuocabiliter habendas et iure perpetuo possidendas, quam quidem sumpmam pecunie supradicte iidem Tolyla, Godezlaw ac alii venditores supradicti dixerunt se a prefato Matheo ex integro recepisse, numerasse et habere. Mete autem terrarum venditarum sicut socius noster quem ad faciem earundem direxeramus nobis recitauit presentibus commetaneis et uicinis paciffice (!) et quiete erecte et signate hoc ordine distinguntur. Videlicet prima meta incipit a parte orientis ab arbore cerasi cruce signata, inde tendens uersus partem occidentis uenit in uallem in qua procedens peruenit ad arborem harazth cruce signatam, inde ad aliam arborem harazth cruce signatam, deinde ad arborem piri cruce signatam, inde uersus partem meridionalem in valle procedens uenit ad arborem harazt cruce signatam, inde ad arborem gartean meta terrea circumfusam, inde ad arborem piri cruce signatam, inde in eadem ualle procedens in magno spacio uenit ad uiam

que tendit de Polona uersus domum Tohla predicti ad partem occidentis, inde in eadem uia procedendo declinat uersus partem meridionalem et uenit ad arborem gartean cruce signatam meta terrea circum fusam, inde procedens uersus siluam uenditorum uenit ad dumum monorow meta terrea circumfusum, inde declinat uersus partem occidentis et iuxta eandem siluam eundo uenit ad arborem gartean cruce signatam meta terrea circumfusam, inde ad lacum uulgo machala,[1] inde in eodem lacu procedens uersus partem septemtrionis uenit ad nemus znos uocatum et iuxta ipsum nemus eundo uenit ad siluam Dobowch supradictam, inde iuxta eandem siluam eundo regirat uersus partem occidentis et uenit ad arborem harazt cruce signatam, inde exit ad uiam que tendit iuxta eandem siluam uersus partem occidentis prope domum Tohla supradicti et uenit ad fossatum ark uulgariter dictum in eodem fossato procedens cadit in fluuium Glogoncha, inde in eodem fluuio procedens uersus partem septemtrionis uenit ad arborem harazt sitam in litore ipsius Glogoncha prope molendinum Petri filii Prelse ubi terre eiusdem Petri commetatur, inde procedens in silua uersus partem orientis per arbores harazt cruce signatas uenit ad magnam uiam que tendit de Polona uersus Crisium, inde in eadem uia procedens superius ponte Zopoth uenit ad arborem harazt cruce signatam, ubi terre sancti Georgii ad comitem Laurencium spectanti uicinatur, inde tendens uersus partem orientis iuxta siluam ipsius Laurencii comitis uenit ad arborem harazt cruce signatam sitam in medio uie, inde in eadem uia asscendit montem et in eiusdem montis sumpmitate uenit ad uiam que tendit ab ecclesia sancti Georgii uersus Polonam, inde in eadem uia procedens uersus partem meridionalem in magno spacio uenit ad metam terream, inde ad priorem metam ibique terminatur. Vt igitur prescriptarum uendicionum series robur perpetue stabilitatis obtineat, nec per quempiam processu temporis aliqua machinachione ualeat retractari seu in irritum reuocari pariter et infringi, set semper salua inuiolabilis illibata et inconcussa in eternum perseueret, presentes ad instanciam et suplicacionem dictorum uenditorum dedimus et concessimus Matheo predicto sigilli nostri patrocinio communitas. Datum et actum quinta feria proxima ante dominicam ramispalmarum anno domini MCCLXX. septimo.

*Original u kr. ug. drž. arkivu u Budimu DI. 35.834. (bivša zbirka Kukuljevićeva.) Vidi listinu od 8. marta 1277. br. 170.*

*Na listini vise svilene vrvce jasno zelene, crvene boje; pečata više nema*

*Kukuljević Reg. 1207.*

[1] Očito mjesto malacha.

## 174.

**1277. 22. marta. U Aranyosu.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski potvrdjuje darovanja kaptolu čazmanskom dana mu od Timoteja biskupa zagrebačkoga.*

Ladislaus dei gratia Hungarie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus presentem paginam inspecturis salutem in omnium salvatore. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod venerabilis pater Timotheus episcopus Zagrabiensis dilectus ac fidelis noster, coram nobis personaliter constitutus terras, quas a comite Buh(!)[1] comparauit in comitatu Guerszenche ob reverentiam sancti spiritus dedit, donavit, contulit ecclesie Chasmensi ad communem mensam fratrum ibi residentium et deo famulantium et in eo supplicavit nobis humiliter et devote, ut nos donationem istam habentes ratam et acceptam a iurisdictione comitum de Berszenche(!) et banorum regni Sclavonie pro tempore constitutorum liberare et eximere authoritate et munificentia regia dignaremur. Nos igitur attendentes predictam donationem ad pios usus esse factam, petitionibus ipsius episcopi iustis et salutaribus annuentes, supradictas terras cum vineis, piscationibus, sylvis et molendinis, foenetis et aliis utilitatibus pertinentibus ad easdem a iurisdictione et potestate banorum regni Sclavonie et comitum de Berszenche(!) pro tempore constitutorum et a iudiciis eorumdem ac a collectis septem denariorum, mardurinarum et denariorum descensualium et consensuum, ac cuiuslibet generis collectarum seu exactionum de benignitate regia duximus eximendas. Volentes, ut prescripte terre de Guerscenche eadem immunitate et libertate gaudeant, quibus alie terre et possessiones episcopatus et ecclesie Zagrabiensis per exemtionem, donationem et ordinationem sanctorum progenitorum nostrorum inviolabiliter et inconcusse hactenus use fuerunt et gavise et nullus banorum aut comitum de Guerszenche in iuribus et libertatibus a nobis pio favore concessis inquietare, molestare aliquatenus audeat, vel turbare. In cuius rei testimonium firmitatemque perpetuam presentes contulimus litteras, dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum in Oronos per manus venerabilis viri magistri Demetrii ecclesie Albensis prepositi domini pape subdiaconi et capellani, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri. Anno ab

[1] Jamačno pogrješno mjesto Ruch

incarnatione domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, undecimo kalendas aprilis, regni autem nostri anno quinto.

*Iz rukopisne zbirke Hevenessyeve tom. XIII. 340. u sveučilišnoj biblioteci u Budimpešti.*

*Fejér Cod. dipl. Hung. V. 2. 385—386. — Kukuljević Reg. br. 1208.*

## 175.

**1277, 22. marta. U Aranyosu.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski poklanja biskupu zagrebačkom za vječna vremena grad Garić.*

Laduzlaus dei gracia Vngarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Galicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in omnium saluatore. Regie liberalitatis gloriosa munificencia ante omnia erga ecclesiarum dei sublimaciones ac defensiones, propter que regnum regnancium roboratur ac magnificatur et triumphat, se debet exhibere peruigilem, sollicitam et intentam. Hinc est, quod nos attendentes plurimas fidelitates ac bene merita seruicia venerabilis patris domini Tymothei episcopi Zagrabiensis dilecti et fidelis nostri, castrum nostrum de Garig, quod a tempore coronacionis nostre conseruacioni eiusdem commiseramus, cuius quidem conseruacionis onus, sumptus et labores idem episcopus de propriis suis bonis fideliter supportauit, eidem episcopo et successoribus suis, de baronum nostrorum consilio et assensu, cum montibus, siluis, aquis, fenetis, ac aliis utilitatibus suis et pertinenciis perpetuo et irreuocabiliter dedimus, donauimus et contulimus de regia munificencia possidendum. In cuius donacionis memoriam perpetuamque firmitatem presentes contulimus literas duplicis sigilli nostri munimine roboratas Datum in Oronos per manus venerabilis viri magistri Demetrii, Albensis ecclesie prepositi, domini pape capellani, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri Anno domini millesimo ducentesimo LXXVII, XI. kalendas aprilis, regni autem nostri anno quinto.

*Liber priuileg. eppatus. zagrab. list 35.*

*Tkalčić Monum. episc. Zagr. I. 185—186. — Wenzel Cod. dipl. Arp. XII. 199. donosi regest. — Kukuljević Reg. no. 1208.*

## 176.

**1277, 25. marta. U Čazmi.**

*Blaž sin Jurkov u ime svoje i svoje braće prodaje Pavlu sinu Sebeskovu jednu ral zemlje u Polični i dva mlina za pet maraka.*

Nos capitulum Chasmensis ecclesie memorie commendantes significamus omnibus presencium per tenorem, quod Blasio filio Gurk pro se et Dursyvoy, Gregorio et Gursa fratribus suis absentibus a parte una, ab altera autem Paulus filius Zebesk, coram nobis personaliter constitutis, idem Blasius de terra in Polichna existenti, ad ipsum et dictos fratres suos pro concambio seu commutacione terre eorum apud Zentgurg existentis, ex parte Benedicti filii Georgii fratris dicti Gurk deuoluta, prout dixit, eodem Benedicto personaliter astante et illud idem affirmante, terram usui unius aratri sufficientem cum duobus molendinis, quorum unum est in aqua Cheresnevcha, aliud uero in aqua Mosonycha et omnibus aliis utilitatibus et attinenciis suis confessus est uendidisse eidem Paulus et suis per eum heredibus pro quinque [marcis sicut] retulit iam acceptis et irreuocabiliter habendam iure perpetuo et pacifico possidendam. Astitit eciam coram nobis Wlkoy pro se et pro Cristan fratre suo . predictum Benedictum fratrem suum uterinum, facte uendicioni predictis fauorabilem consensum prebuit et assensum. Dicimus tamen, quod idem Paulus de dicta terra . commutacionis descensas bani quinque denarios soluere tenetur annuatim. Prima meta particule terre uendite, sicut partes retulerunt, incipit iuxta terram dicti Wlkoy in fluuio Polichna dicto, ab arbore gartean[1] cruce signata, meta terrea circumfusa, inde iuxta terram eiusdem Wlkoy procedens uersus orientem in planicie per metas terreas cadit in dictam aquam Mosonycha, ubi est arbor egur cruce signata meta terrea circumfusa, inde pertransiens ipsam aquam Mosonycha procedensque per metas terreas cadit in dictam aquam Cheresneycha, in qua procedens inferius uersus meridiem uenit ad molendinum dicti Paulus per dictum Blasium ad ipsum, ut premisimus, deuolutum, inde in eamdem aquam procedens contiguatur infra dictum molendinum hereditarie terre ipsius Paulus et sic terminatur. In cuius facti memoriam pleniorem et robur presentes concessimus patrocinio sigilli nostri communitas. Datum in cena domini anno gracie MCCLXX septimo.

*Original u ark. nadbisk. zagr. Fundationalia. Sa žute svilene vrvce otpao pečat.*

*Tkalčić Monum. episc. Zagr. I. 186—187. — Wenzel Cod. dipl. Arp. XII. 176. donosi regest. — Kukuljević Reg. no. 1210.*

## 177.

**1277, 31. marta. U Čazmi.**

*Pred kaptolom čazmanskim prodaju neki česminički plemići dio svojih zemalja.*

Capitulum Chasmensis ecclesie universis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in domino sempiternam. Ad universorum notitiam serie presentium volumus pervenire, quod Syrbok cum duobus filiis suis Beley videlicet et Andrea, Chornoglau filius Net er[in, Pet re] filius Endrey, Marcus cum Netpermich filio suo, Petrus et Luka filii Wlchink, Veche filius Wlchich et Thomas filius Thome, nobiles de Chesmin ch a parte una, ab altera autem Benedictus filius comitis Jacobi, coram nobis personaliter constituti, idem Syrbok, Chornoglav, Petrus, Marcus, Petrus, Luka, Veche et Tho[m]as quasdam particulas terre eorum ipsos in Othna pro portione contingentes, ut dixerunt, eidem comiti Benedicto suisque per eum heredibus iure perpetuo possidendas pro quadraginta marcis denariorum plene acceptis, ut dixerunt, sub metis et terminis infrascriptis vendidisse sunt confessi ita videlicet, quod Syrbok portionem suam pro decem marcis, Chornoglau et Petrus pro sex marcis, Markus similiter pro sex, Pet re[s] et Luka pro sex marcis, Veche pro sex et Thomas similiter pro sex marcis. Quarum particularum mete, sicut partes concordantes retulerunt, tales sunt. Videlicet prima meta incipit a parte orientali, ubi est meta terrea sita iuxta fluvium Vinzca znoz, deinde in vicinatione terre Orboua, inde per ipsum fluvium procedens superius versus septemtrionem, exit ad metam terream sitam in modico spatio ad arborem cerasi cruce signatam meta terrea circumfusam, inde ad aliam arborem cerasi cruce signatam sub qua est meta terrea versus occidentem, inde ad aliam metam terream sitam in capite putei Vetheri et per rivulum ipsius putei descendens venit ad arborem piri cruce signatam meta terea circumfusam, ibi relinquendo terram Orboua exit ad fluvium Ke nnek et vicinatur terrae Syrbok et per eundem fluvium versus meridiem procedens, prout idem Kennek currit in magno spatio cadit in aquam Chasma, ibique terminatur. Assumpserunt etiam ac obligaverunt se predicti venditores, quod quicunque in processu temporum predictum comitem Benedictum vel suos heredes impetere attemptarent ratione dicte terre, ipsi eosdem propriis laboribus et expensis expedire et terram eisdem iustificare tenerentur. In cuius facti testimonium et robur eidem comiti Benedicto presentes concessimus

patrocinio sigilli communitas. Datum quarta feria proxima post festum passce(!) anno domini MCC. septuagesimo septimo.

*Iz originalnog prijepisa kaptola čazmanskog od god. 1305. u kr. ug. drž. arkivu u Budimu M. O. D. L. no. 965. (Stara sign. N. R. A. fasc. 1503. no. 16.).*

*Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont. XII. 209—210. — Kukuljević Reg. no 1211*

## 178.

**1277, 10. aprila. U Zagrebu.**

*Ivan sin Jaroslava Okićkoga poklanja Cistercitima na otoku sv. Jakoba kod Save crkvu sv. Jelene u Samoboru.*

Nos comes Juan filius Irozlay memorie commendantes notum facimus quibus expedit universis, quod nos intuitu divine pietatis ducti ad devocionem, pro remissione peccatorum nostrorum, propiciante deo hanc ordinacionem seu collacionem duximus faciendam: quod monachys de ordine fratrum Cisterciensium de abbacia sancti Jacobi, de insula Zawa, iuxta Zagrabiam existentibus, dedimus, contulimus et tradidimus ecclesiam nostram in honore sancte Elene consecratam de Zamobor et terram circa eandem existentem ad usum duorum aratrorum sufficientem, unum molendinum situm in fluvio Zamobor, unum fundum curie in villa Zamobor pro sessione et tres vineas in loco prenotato Preterea in Brezoicha capellam nostram et terram sufficientem ad duo aratra in fine terre nostre de Brezoicha existentem, ac unam vineam [in Chucherie sitam, iure perpetuo pacifice et quiete possidendos. hoc adiecto, quod in posterum nostri heredes heredumque successores et similiter proximi nostri et eorum successores presentem collacionem nostram non possint aliqualiter retractare Insuper nostre voluntatis et intencionis est, si creator omnem statum regni Vngarie in melius reformaverit et nobis dederit vitam longiorem, ut in loco capelle nostre de Brezoicha monasterium propriis laboribus nostris condamus et expensis, ipsis monachis fideliter precantibus ita, quod perfecto opere monasterii inibi esse debeat per se locus abbacie, ordinatis prius sufficientibus proventibus ad victum et vestitum habitatoribus in eodem ac aliis necessariis universis. Ut igitur huius collacionis et donacionis robur perpetue firmitatis obtineat, presentes contulimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum Zagrabie,

sabbato proximo ante quindenas pasce domini, anno eiusdem MCCLXX. septimo.

*Iz prijepisa kaptola zagrebačkoga od godine 1321. i 1557. u arkivu kaptola zagrebačkoga.*

*Tkalčić Monum. episc. Zagrab. I 187. — Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont. XII. 208. — Kukuljević Reg. no. 1212.*

## 179.

**1277, 21. aprila. U Čazmi.**

*Pred čazmanskim kaptolom prodaju dio posjeda sinovi Otmislava u Sečeniku.*

Capitulum Chazmensis ecclesie universis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in domino sempiternam. Ad universorum noticiam serie presencium volumus pervenire, quod Philippo et Witalus filii Othmizlay pro se et pro Jacobo, Andrea, Antalus et Guth fratribus eorum absentibus a parte una, ab altera autem Wibai filio Thadey coram nobis personaliter constitutis, iidem Philippus et Witalus duas particulas de terra eorum in Zechenyk existentis(!) ipsos ut dixerunt, cum dictis fratribus eorum communiter contingentis(!) contiguas et commetaneas terre ipsius Wybar cum pertinenciis et utilitatibus suis universis sub metis terminis et signis inferius scriptis confessi sunt vendidisse eidem Wibai et suis per eum heredibus pro sex marcis prout retulerunt iam acceptis inrevocabiliter et iure perpetuo ac pacifico possidendas et habendas. Mete autem ipsarum particularum terre, sicut homo noster, quem ad reambulandas easdem miseramus, nobis recitavit, presentibus commetaneis et vicinis pacifice et quiete erecte, taliter distinguntur. Videlicet prima meta prime particule terre incipit iuxta terram ecclesie sancte crucis, ubi est meta terrea iuxta viam. Inde in commetacione terre Elye descendens versus partem orientis venit ad arborem gartean meta terrea circumfusam, ubi contiguatur terre Woycha. Inde procedens iuxta silvam venit ad dumum avellani meta terrea circumfusum. Inde pertransiens fluvium Lowch venit ad metam terream. Inde in prato procedens venit ad arborem barazth cruce signatam meta terrea circumfusam. Inde ad aquam Zechenyk, quam transiens venit ad metam terream. Inde ascendens venit ad arborem cerasi cruce signatam sitam iuxta vallem. Inde pertransiens ipsam vallem venit ad arborem naar cruce signatam sitam secus magnam viam, ibique contingatur terre magistri Moys. Inde in

eadem via procedens versus meridiem coniunguatur empticie terre Wibar predicti. Item prima meta alterius particule incipit ab arbore harazth cruce signata iuxta terram dictorum venatorum. Inde procedens versus partem occidentis venit ad arborem haas meta terrea circumfusam. Inde descendens venit ad arborem pomi cruce signatam. Inde pertransiens fletam aquam Zechenyk venit ad arborem haraz cruce signatam. Inde ascendens venit ad dumum avellani meta terrea circumfusum. Inde ad magnam viam iuxta quam est meta terrea. Inde in eadem magna via procedens versus partem septemtrionis commetatur terre Wibar supradicti. In cuius venditionis memoriam et robur presentes concessimus patrocinio sigilli nostri communitas. Datum quarta feria ante festum beati Georgii martiris, anno domini MCCLXX. septimo.

*Original u arkivu nar. muzeja u Budimpešti. — Pečat je visio na crvenoj, bijeloj i zelenoj svilenoj vrvci.*

*Nagy Cod. dipl. patrius. V. 55—7. — Vjesnik zem. arkiva VIII. (1906.) 176—177.*

## 180.

**1277, 25. aprila. U Križevcima.**

*Župan križevački Ilija daje na znanje, da su Grobina i Ratko sinovi Vsebora podložnici grada Križevaca prodali neku svoju zemlju Mateji sinu župana Peska.*

Nos Elyas comes Crisiensis memorie commendamus significantes omnibus quibus presentes hostendentur presencium per tenorem, quod constitutis coram nobis personaliter Matheo filio Pezk comitis a parte una et Grobyna, Ratk filiis Vsebor iobagionibus castri Crisiensis de Polana ab altera, idem Grobyna et Ratk quandam partem terre eorum hereditarie decem iugera continentem existentem iuxta terram eiusdem Mathey, quam a Colila(!) Grobyna supradicto et aliis cognatis eorum dinoscitur possidere titulo empcionis pro duabus pensis denariorum, item porcionem terre siluestris eorum contingentem porcionem existentem inter terram Mathey a parte orientis et terram Colile a parte occidentis similiter pro duabus pensis confessi sunt se uendidisse eidem Matheo et per eum suis heredibus heredumque successoribus iure perpetuo possidendas. Cuius prime particule terre meta prior incipit ab arbore gertan a parte septemtrionali sita iuxta terram sepedicti Mathey emptoris et procedit uersus partes meridionales perueniens ad frutices auellane

iuxta terram eiusdem Mathey, de quibus uadens peruenit ad fossam quod uulgo dicitur Farcasverem ad orientem, ab inde gradiens in quadam fossa, ad huc uersus orientem peruenit ad uiam, que tendit et ducit uersus domum Colila de Polana procedendo et ibi uicinatur terre Mathey antedicte ibique terminatur. Vt igitur huius rei series robur perpetue firmitatis optineat, nec in processu temporum per quempiam caligine obliuionis in irritum reuocetur, presentes nostri sigilli apposicione ad peticionem et instanciam parcium dedimus et concessimus roboratas. Datum Crisii in crastino festiuitatis sancti Georgii martiris, anno domini m[illesimo] ducentesimo septuagesimo septimo.

*Original u arkivu jugoslavenske akademije u Zagrebu. Diplomata a. 1277.*

*Na hrptu vidi se trag okrugla pritisnuta pečata.*

*Kukuljević Reg. no. 1238.*

## 181.

**1277, 8. maja. U Čazmi.**

*Pred kaptolom čazmanskim prodaje Vojnić Zapačkov svoju zemlju Timenicu u županiji garičkoj.*

Capitulum Chasmensis ecclesie universis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in domino. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod Voynch filio Zapachk a parte una, ab altera autem Jacobo et Bartholomeo filiis Stepk pro se et pro Dyonisio, Martino, Johanne, Joachino et Joan fratribus eorum coram nobis personaliter constitutis, idem Woynch terram suam Tymenicha vocatam, in comitatu de Garigh existentem, ipsum solum contingentem, sicut dixit, totaliter et omnino cum omnibus attinenciis, silvis videlicet, fenilibus, domibus et edificiis in eadem existentibus, ac aliis vtilitatibus et signis infrascriptis confessus est vendidisse eisdem filiis Stepk eorumque per eos heredibus pro tredecim marcis plene acceptis, prout dixit irrevocabiliter habendam et iure perpetuo possidendam. Mete autem terre vendite, sicut homo noster, quem ad faciem ipsius miseramus, nobis recitavit presentibus commetaneis et vicinis, quorum nomina inferius exprimuntur pacifice et quiete erecte et signate taliter distinguntur. Videlicet prima meta incipit a parte orientis a terra Stephani filii Stephani, ubi est arbor has cruce signata, sub qua est meta terrea, inde in commetatione terre filiorum Benzlay procedens versus partem

occidentis venit ad arborem ihor cruce signatam meta terrea circumfusam, inde ad arborem tul cruce signatam, inde ad arborem has cruce signatam, inde ad arborem ihor cruce signatam, ubi commetatur terre dicti Stephani, inde versus partem septemtrionis procedens venit ad arborem tul cruce signatam, inde ad arborem ihor cruce signatam meta terrea circumfusam, inde in modico spatio venit ad metam terream, inde ad vallem, in qua procedens inferius cadit in fluvium Tymennicha, in qua procedens superius, in vicinitate terre Thobie filii Bodizlay et Andrea, ac fratrum suorum filiorum Gurgys exit ad metam terream, inde in rivulo Polounazta dicto procedens superius venit ad caput eiusdem rivuli, ubi est meta terrea, inde ad arborem gertean cruce signata[m] sub qua est meta terrea, inde versus partem orientis procedens in commetaneitate terre comitis Alberti venit ad arborem tul cruce signatam, inde ad aliam arborem tul cruce signatam, inde ad arborem has cruce signatam, inde ad arborem tul cruce signatam, inde ad metam terream, inde ad arborem ihor cruce signatam, inde ad aliam arborem ihor cruce signatam, inde iterum ad arborem ihor cruce signatam, inde ad arborem has cruce signatam, sub qua est meta terrea, inde ad tres arbores scil de uno trunco prolatas cruce signatas, sub quibus est meta terrea, inde ad arborem tul cruce signatam, inde ad arborem has cruce signatam, inde ad arborem gertan cruce signatam, sub qua est meta terrea, inde ad metam terream iuxta veteres metas, inde in commetaneitate terre predicti Stephani venit ad arborem korus cruce signatam, inde ad arborem piri cruce signatam sitam prope magnam viam, inde ad aliam arborem piri cruce signatam, inde ad arborem korus cruce signatam, inde ad priorem metam ibique terminantur. In cuius venditionis memoriam pleniorem et robur presentes concessimus patrocinio sigilli nostri munitas Datum et actum sabbato proximo post festum ascensionis domini, anno ab incarnatione eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo septimo.

*Iz potvrde kaptola čazmanskoga de dato »millesimo CCLX., feria quarta proxima post festum resurrectionis domini«, koju je tražio »Nicolaus filius Stephani nobilis de districtu Garig«. Na ljubičasto-crvenoj svilenoj vrvci visi pečat kaptola čazmanskoga.*

*U arkivu kneza Batthyányja u Körmendu. A. IV. L. IX. no. 329.*

*Wenzel Cod dipl. Arpad. XII. 212—213. Kukuljević Reg. no 1214.*

## 182.

**1277, 20. maja. U Spljetu.**

*Spljećani imenuju svoje punomoćnike za sklapanje mira s Trogiranima.*

In nomine domini nostri Jesu Christi amen. Anno a natiuitate eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, indictione quinta, Spaleti, die iouis duodecima exeunte madii, regnante domino nostro Ladizlao serenissimo rege Hungarie, temporibus domini Johannis ve[ne]rabilis archiepiscopi Spalatensis, domini Pauli de Birberio illustris comitis, domini Vite Cerni Meregne de Jadria [honorabil]e Spalatensi potestate, ac dominorum Gausinne Duscige, Marini Bonauite et Peruoslai Dabrali iudicum. Venera[bilis frater dominus Johannes archyepiscopus Spalatensis, dominus Duymus archydiaconus, dompnus [1]) Radoscius primicerius pro se et toto [capitu]lo beati Domnii ecclesie Spalatensis ibidem presente, uolente et consentiente et dompnus [2]) Georgius abbas monasterii [sancti] Stephani cum suo conuentu, domina Stana abbatissa monasterii sancti Benedicti cum suo conuentu, nec non uir nobilis dominus Vite] Cerni de Meregna ciuitatis Spaleti potestas, Gausinna Duscige, Marinus Bonauita et Peruoslaus Dabralo iudices [ciui]tatis eiusdem, in conscilio generali ipsius ciuitatis ad sonum campane et uocem preconis in palatio comunis more solito congregato . ipsum conscilium totum in quo cuncti nobiles et plurimi populares ipsius ciuitatis conuenerant, nemine penitus discordante, per se et comune totum atque per monasteria omnia et ecclesias eiusdem ciuitatis Spaleti promiserunt et compromiserunt in uiros magnificos dominum Georgium comitem de Birberio et Scibenico absentem, dominum Prestum de Cotopania et dominum Domaldum de Çadulinis ciues Jadrenses presentes et uolentes arbitros arbitratores et amicabiles compositores ab eis omnibus concorditer electos promittendo stare, parere et obedire omni laudo, arbitrio atque sententie ipsorum, quod et quam laudauerint, uel arbitrati fuerint, seu preceperint, uel duxerint seu pronuntiauerint, sententiauerint, uel ordinauerint semel uel pluries cum scriptura uel sine scriptura eis presentibus uel absentibus, dum tamen citatis eis scientibus uel ignorantibus iuris ordine obseruato, uel non obseruato, diebus feriatis uel non feriatis, stando uel sedendo ubicumque quomodocumque et quandocumque nullo pretermisso obstante de omni lite et questione, guerra siue discordia que inter predictos dominum archyepiscopum, archydiaconum [primi]cerium et capitulum Spalatensis ecclesie pro se uel ipsa ecclesia seu archyepiscopatu et predictos abbatem

et abbatissam et ipsorum conuen[tum], pro se et dictis suis monasteriis atque predictos dominum potestatem iudices conscilium et comune ciuitatis, singulares homines, monasteria et ecclesias ciuitatis Spaleti ex vna parte et homines atque comune ciuitatis Traguriensis ex altera fuerant, erant et uertebantur a tempore alterius guerre habite olym inter ciuitatem Spaleti et ciuitatem Traguri, que fuerat post aduentum Tartarorum usque in diem presentem et specialiter occasione terrarum vinearum et domorum seu quarumcumque possessionum archyepiscopatus capituli ecclesie Spalatensis et monasteriorum predictorum atque aliorum et ecclesiarum siue comunis et singularium hominum ciuitatis Spaleti, que detempte fuerant et tenebantur per comune uel singulares homines seu ecclesias ciuitatis Traguriensis occasione supradicte guerre olym habite inter ipsas ciuitates predictas et que per comune uel singulares homines uel monasteria seu ecclesias [ciuita]tis Spaleti detempte fuerant et tenebantur occasione eiusdem guerre de terris, vineis, domibus uel aliis quibuscumque possessio[n]ibus comunis uel hominum singularium seu monasteriorum uel ecclesiarum ciuitatis Traguri, atque et occasione homicidiorum et predarum . . . . pos[sessionum quarumcumque realium uel personalium, que usque in diem presentem a tempore dicte guerre facta fuerant hinc inde inter amba[s] predictas ciuitates Spaleti atque Traguri, cum instigante diabolo plurima essent facta. Et hec predicta omnia et singula pro[mi]serunt predicti dominus archyepiscopus, archydiaconus, primicerius et capitulum, dominus abbas et abbatissa, dominus potestas, iudices et [totum] conscilium per se suosque successores nomine ecclesiarum, archyepiscopatus, monasteriorum, ecclesiarum et comunis et omnium singularium personarum dicte ciuitatis Spaleti attendere et firmiter obseruare, nec contra predicta uel aliquod predictorum per se uel per alterum aliquando facere uel uenire occasione aliqua uel exceptione sub pena solempni stipulatione promissa duorum milium marcarum argenti de bonorum predictorum archyepiscopatus, capituli, monasteriorum ecclesiarum atque comunis Spaleti obligatione; de quibus uero duobus milibus marcarum medietas peruenire et deuolui deberet in comune ciuitatis Traguri et altera eorum in eos qui circa predicta fideiusserint pro co[muni] Traguri et pena quoque soluta et exacta uel non, hoc compromissum et laudum atque lauda et sententie quecumque ferentur per arbitros supradictos nichilominus firma semper maneant atque rata. Et ad hec predictorum omnium meliorem ac potiorem firmitatem atque cautelam predicti dominus archyepiscopus, archydiaconus et primicerius, potestas et iudices et cuncti in predicto conscilio existentes tam clerici quam laici atque Giue nuarius pro toto comuni tactis euangelijs sacrosanctis obseruare et attendere promiserunt. Actum in palatio

comunis presentibus domino Micha Martinusio, Yuanne Guso, Chesma Cebri ciuibus Jadrensibus, Jursa Nicol[i]ç de Birberio comite et cas[t]ella no de Clisa testibus et aliis. Ego Jançius Duymi de mandato domini archyepiscopi, archydiaconi, primicerii et totius capituli [abbatis], et abbatisse, domini potestatis et iudicum et totius consilii generalis et comunis examinaui. Ego magister Franciscus Anconitanus imperiali] auctoritate notarius et nunc autem notarius ciuitatis Spaleti his omnibus interfui et a sepedictis domino archyepiscopo, archydiacono, pri[micerio et capitulo atque abbate et abbatissa et ipsorum conuentibus et domino potestate iudicibus consciho et vniuerso populo ciuitatis Spaleti] rogatus eorum omnium voluntate atque mandato scripsi et roboraui.

*(Drugi rukopis).*

Ego Henricus imperiali auctoritate notarius et Jadrensis iu[ratus ui]di matrem et testis sum in filia.

*(Drugi rukopis).*

Ego Federicus Grisogoni examinator visa et perlecta matre in filia manum misi.

[Ego Vincentius sante Marie maioris clericus et Jadrensis notarius ex precepto et auctoritate nobilis viri domini . . . . . . . . . . . . . hoc exemplum ex autentico exemplaui, currentibus anno incarnationis domini millesimo ducentesimo septua[gesimo septimo] . . . . . . intrante indicione quinta, Jadre, nichil addens uel minuens quod sententiam variet seu mutet [intellectum, hanc cartam scripsi et robora]ui.

*Original u biblioteci Paravia u Zadru. — Listina je na donjem rubu i sa strane krnja, te joj manjka notarski biljeg.*

## 183.

**1277, 28. maja. U Zagrebu.**

*Pred zagrebačkim kaptolom prodaju plemići iz Bročine Slavogost s drugovima sve svoje posjede u Bročini knezu Perčinu za četrdeset maraka.*

[C]apitulum ecclesie Zagrabiensis omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum notitiam tam presencium quam futurorum harum serie uolumus peruenire, quod Zlaugozth filius Tolen, Zlauch filius Pribizlai, Vulkouoy filius Murge, Obrad et Goruolk frater suus, Georgius filius Woyhne, Blasius filius Drusine, Achilbil filius Georgii, Nicolaus Zlauch et Stanech filii Drugan,

Dimine filius Tolk et Pribizlaus filius Hink ab una parte, Perchinus comes trium camporum ab altera coram nobis personaliter constituti retulerunt, quod idem Zlaugozth cum sociis suis nobilibus de Brochina omnes terras suas in Brochina de Gradech ex vtraque parte fluuii tam in planis quam in montibus existentes cedentes in ipsorum porcionem, cum omnibus vtilitatibus ac pertinenciis suis molendinis uidelicet siluis, fenetys et vineis ipsi comiti Perchino et per eum suis heredibus heredumque suorum successoribus pro quadraginta marcis plene ab eodem acceptis(!) ex permissione omnium cognatorum suorum in predicta Brochina existencium ac de beneplacito eorundem vendidissent pacifice ac irreuocabiliter possidendas eo modo eoque iure in ea libertate et plenitudine, quibus hactenus prenominatas terras per quatuor partes mundi, quibus metis et signis, videlicet ab oriente, meridie et occidente usque septemtrionem nominati nobiles dinoscuntur possedisse. Asumpserunt eciam Zlaugozth, Zlauech, Vulkouoy, Obrad, Goriuolk, Georgius, Blasius, Achibil, Nicolaus, Zlauch, Stanech, Dymine et Pribizlaus memorati nobiles de Brochina se firmiter obligantes, quod si ullo umquam processu temporis sepedictus comes Perchinus aliqua racione super prefatis terris per quempiam inpeteretur, idem nobiles eundem Perchinum comitem et suos successores in omnibus et per omnia expedire tenebuntur propriis laboribus et expensis. In cuius rey(!) memoriam et stabilitatem perpetuam super pretax[a]ta uendicione et emcione(!) earundem terrarum ne processu temporis per quempiam immutari aut retractari valeant, presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum Zagrabie in octauis pentecostes, anno domini M⁰CC⁰LXX⁰ septimo.

*Original u kr. ug. drž. arkivu u Budimpešti: M. O. D. L. no. 33.853. Stara signatura: N. R. A. fasc. 1552. no. 32. — Na listini visi nešto crvene svilene vrvce bez pečata.*

*Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 218—9. — Fejér Cod. dipl. Hung. V. vol. 2. 424. donosi regest. — Kukuljević Reg. no. 1213.*

## 184.

**1277, 23. juna. U Trogiru.**

*Trogirani primaju mir sa Spljetom, a voljni su isto takov mir uglaviti i sa Šibenikom.*

1277 die dominico 8. exeunte iunio, actum Traguri in ecclesia sancte Marie. Cum per honestum ac probum virum dominum Joannem

prepositum de Glagoreza[1] et dominum nobilem virum dominum Petrum comitem insularum Phare et Braze esset inter Spalatensem communitatem et Tragurium hinc per totum mensem iulii treugua composita et ordinata secundum formam articulorum inferius denotatam, petentibus ipsis a predictis iudicibus et civitate Traguril ipsam treguam (b) obligatione sacramenti et publici instrumenti firmari et acceptari, domini vero Valentinus Casarizze et Dessa Amblasii consules civitatis Tragurii et dominus comes Marinus Amblasii et universa communitas Tragurii in consilio generali ob reverentiam et honorem domini regis Caruli et propter honorem predictorum prepositi et comitis Petri, ipsam treguam corporaliter prestito iuramento omnia predicta civitati Spalati et ipsius civitatis hominibus in hunc qui sequitur modum acceptarunt, scilicet quod homines utriusque civitatis per terram et per mare libere uadant, et securi, atque salvi in personis et rebus, excepto quod ingressu civitatum non utantur et nullatenus civitatibus adproximent, sed in pontibus civitatum predictarum conveniant; exterius ubicumque eis placuerit vadant et stent absque aliqua hominum et rerum lesione usque ad terminum predictum, non faciendo iniuriam, vel damnum aliquod alicui partium parti alteri absque refutatione pacis et treguе sub poena duarum milia marcharum fini argenti, quarum medietatem habere deberet dominus Ladislaus serenissimus rex Hungariae, alia vero media pars damnum vel iniuriam patiens ab ipsis, per quos tregua frangeretur et violabitur. Que omnia predicti consules cum predicto consilio et nomine universe communitatis Tragurii firmaverunt et promiserunt inviolabiliter observare sub predicta poena, cum bonorum ipsius communitatis obligatione insuper, si Sibenzani similiter predicta omnia facere voluerint et integre observare predicti consules, consilium et commune Tragurii, ut supra continetur, iuraverunt et promiserunt eisdem in unoquoque capitulo integraliter observare sub poena predicti, presentibus dominis Cernocta Amblasii, Nicola Cosize et Dessa Petri Luce testibus et domino Dessa Duymi examinatore.

*Lucius Memorie di Traù. 97. — Farlati Illyr. sacr. IV. 358. fragment. — Fejér Cod. dipl. VII. v 4. 173—5. — Kukuljević Reg. no. 1215.*

[1] Glogoncza (= Glogovnica).

## 185.

**1277, 30. juna.**

*Potvrda mira izmedju Spljeta i Trogira.*

In nomine domini amen. Anno incarnationis eius 1277., mense iunii die ultima, indictione quinta, temporibus equidem domini Jacobi Contareni incliti ducis Venetiarum et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi et domini Jacobi Teupoli egregii comitis, ad laudem, gloriam et honorem divine maiestatis et honorem, ac reverentiam magnifici domini Ladislai excellentissimi regis Hungarie et bonum pacificumque statum civitatum Spalati et Tragurii. Nos quidem Georgius de Breberio comes Brebenensis et Sybenici et Preste de Cotopagna, atque Domaldus de Zadulinis cives Jadre, iudices, arbitri, arbitratores, concordatores, laudatores, sententiatores, diffinitores et amicabiles compositores inter venerabilem patrem dominum Joannem dei gracia archiepiscopum Spalatensem, capitulum, monasteria seu ecclesias et virum nobilem et prudentem dominum Vitum de Cerna honorabilem potestatem et discretos viros Gauzegnam Duxize, Marinum Bonazuntam,[1] et Privoslaum Dobralis iudices, consilium, commune et speciales personas eiusdem civitatis Spalati ex una parte, ut patet per publicum instrumentum compromissi scriptum et completum manu magistri Francisci Anconitani imperiali auctoritate notarii et nunc autem civitatis Spalati, quod sic cernitur incoare. In nomine domini nostri Jesu Christi amen. Anno a nativitate eiusdem 1277., indictione quinta, Spaleti, die iovis, duodecima exeunte madii, sicut in eo plenius legitur et continetur et nobiles et prudentes viros dominum Mladinum de Breberio comitem Brebenensem et honorandum potestatem Tragurii et dominum Stane de Varicassis honorandum capitaneum civitatis eiusdem, consilium, monasteria, ecclesias, homines, atque commune et speciales personas dicte civitatis Tragurii ex parte altera, velut patet publico instrumento compromissi, confecto et corroborato manu Francisci Benvenuti de Cingulo et nunc Tragurii iurato notario, cuius incoatio dignoscitur esse talis. In dei nomine amen. Anno domini 1277., indictione quinta, die veneris undecima exeunde madii et prout in eo plenius legitur et habetur super ordinanda pace et concordia inter civitates predictas Spalat. et Tragurii de guerra et discordia, que inter eas ad invicem vertebatur et super terminandis et diffiniendis atque finem perpetuum imponendis litibus, questionibus, litigiis, homicidiis, predationibus et cunctis offensis aliis realibus et personalibus, que hinc inde per homines

et communia predictarum civitatum facta fuerunt a tempore alterius guerre que fuerat inter easdem civitates post Tartarorum adventum usque in presens tempus, habentes ab utraque parte seu ambabus civitatibus liberum in cunctis arbitrium, velut patet per ipsa duo publica instrumenta compromissi superius nominata. Auditis insuper utriusque partis rationibus, literis et regalibus privilegiis habitoque multorum proborum et sapientum virorum tam religiosorum, quam secularium consilio et deliberatione ad invicem diligenti concorditer, dei nomine invocato, et vi et vigore supradicti nostri arbitrii presentibus partibus pronunciamus, sententiamus, laudamus, arbitramur atque mandamus, quod omni occasione et exceptione atque ratione remota, tam homines quam commune Tragurii generaliter atque specialiter et qui pro eis sunt, possessiones cunctas archiepiscopatus, capituli, monasteriorum seu ecclesiarum Spalatensium que sunt seu quas tenent a Columna, que pro meta antiquitus sita erat infra versus civitatem Tragurii, que siquidem possessiones universe per commune Spalati concorditer date, ac deliberate fuerunt eidem communi Tragurii tempore prioris guerre olim inter predictas civitates Spalati et Tragurii habite post Tartarorum adventum, ut superius est expressum, eisdem supradictis archiepiscopatui et capitulo beati Domnii et cunctis monasteriis et ecclesiis de Spalato illico dare atque restituere debeant et relaxare, cum omnibus iurisdictionibus, seu iuribus, pertinentiis, secundum quod nos eas liquido, ac publico instrumento scripto ac completo manu notarii infrascripti, permittentes declaramus iure perpetuo, ac pacifice possidendas, non obstante instrumento aliquo vel regali privilegio, seu aliqua quacunque littera uno vel una seu pluribus, que vel quas commune, seu homines de Traguiro obtinuerent vel habent quoquo modo de possessionibus supradictis, que instrumenta (et) privilegia, si qua vel si que ulterius apparerent, omnia et singula, sive omnes et singulas cassa et cassas, irrita et irritas et inania ac inanes nulliusque vigoris, roboris et valoris deinceps in perpetuum fore pronunciamus atque diffinitive sententiamus. Dicimus et secundo diffinitive sententiando, quod omnes possessiones specialium hominum Spalati, que sunt a Columna, seu meta predicta infra versus Tragurium et in civitate Tragurii, date ipsis Traguriinis tempore supradicte prioris guerre, sint communis et hominum Tragurii eique permaneant iure perpetuo pacifice possidende, exceptis prenominatis possessionibus archiepiscopatus, capituli, monasteriorum seu ecclesiarum Spalatensis et sub Columna ville dedigiorum Ostrogh nuncupate, ac infrascripta insula sancti Stephani et possessiones hominum Tragurii, que sunt in dicta meta seu Columna versus civitatem Spalati tempore superioris guerre concesse fuerunt, sint hominum Spalati pro concambio possessionum suarum, quas olim habuerunt in territorio Tragurii. Et quia examinata et inquisita

per nos veritate compertmus, quod possessiones hominum Spalati, que erant a Columna posita in terra versus Tragurium et in civitate Tragurii, erant in maiori quantitate, quam erant possessiones Tragurii que erant a supradicta Columna infra versus Spalatum in territorio et civitate Spalati, proferimus, arbitramur et diffinitive sententiamus, quod commune et homines Tragurii dent, persolvant et assignent in civitate Spalati sive eidem civitati Spalati recipienti vice et nomine omnium illorum specialium Spalatensium, qui possessiones habuerant tam in territorio quam in civitate Tragurii, tria milia librarum venetarum parvorum in tribus terminis, videlicet a festo sancti Michaelis mensis septembris proxime futuri in antea usque ad unum annum completum tunc primitus venturum libras M et ab inde in antea usque ad aliud festum sancti Michaelis in revolutione anni tunc proxime venturi alias M. libras et deinde in antea usque ad tertium festum sancti Michaelis similiter in devolutione anni tunc proxime futuri tertias alias M. libras. Villa autem que nuncupatur Ostroch (1), super quam inter predictas civitates Spalati et Tragurii questio vertebatur, inquisita per privilegia, testificationes hominum veridicorum diligenter veritate, per nostrum arbitrium et sententiam diffinitivam sic duximus terminandum, videlicet quod villa cum suis pasculis, pratis, nemoribus, aquis et omnibus circumstantiis, pertinentiis suis per communem seu civitatem Tragurii totaliter ac finaliter amodo relinquatur omnibus illis commorantibus Spaleti vel Tragurii qui vulgariter lingua Sclavonica dedigi appellantur, qui etiam sicut certo cercius est compertum antiquitus tempore dicte prioris guerre tenuerunt et possiderunt, ac ipsorum heredibus et successoribus libere ac pacifice in perpetuum possidenda. Et sit villa ipsa predicta cum pertinentiis suis de cetero omnium eorundem supradictorum dedigiorum ad faciendam exinde totam ac omnimodam suam voluntatem, non obstantibus instrumentis publicis, vel regio privilegio, seu aliqua quacumque licentia uno, vel una seu pluribus que vel quas commune seu homines de Spalato vel commune seu homines de Tragurio quoquo modo obtinuerint, vel habent de predicta villa. Que instrumenta, privilegia et littere, si qua, vel si que ulterius apparent, omnia seu omnes, ac singula, seu singulas cassa et casse irrita et irritas, vacua et vacuas nullius vigoris, roboris et valoris deinceps in perpetuum fore pronuntiamus. Preterea scopulum sive insulam vocatam Sancti Stephani, super qua inter predictas civitates questio movebatur, arbitramur et diffinitive sentenciamus esse de cetero in perpetuum communis Spalati, non obstante instrumento aliquo, vel regio privilegio seu alia quacumque littera, uno vel una sive pluribus, que vel quas commune, seu homines de Tragurio quoquomodo obtinuerunt, vel habent de prefata insula, seu scopulo, que instrumenta,

privilegia et littere, si qua vel si que vlterius apparerent, omnia seu omnes, ac singula seu singulas, cassa et cassas, irrita et irritas, vacua et vacuas nullius vigoris, rigoris et valoris fore de cetero in perpetuum pronunciamus. Ecclesiam vero sancti Petri de Clobuicciz cum omni territorio suo et terram que Bistricz nominatur, super quibus inter predictas civitates questio vertebatur, per nostram arbitrariam sententiam diffinitivam regie maiestati inter easdem predictas civitates relinquimus terminandam. Omnes autem possessiones communis et hominum Spalati quoquomodo acceptas, ablatas sive venditas per commune et homines Traguril tam in civitate, quam in territorio Tragurii in hac guerra, que presentialiter habebatur, arbitramur et diffinitive sentenciamus communi et hominibus Spaleti esse integraliter restituendas. Et e converso possessiones communis et hominum Tragurii quoquomodo acceptas, ablatas sive venditas per commune et homines Spaleti tam in civitate, quam in territorio Spaleti, communi et hominibus Tragurii modo simili arbitramur et sentenciamus esse integraliter restituendas. Preterea arbitramur, sententiamus et adiudicando et iungendo hominibus et communi Tragurii, quod deinceps in perpetuum sub pena inferius designata per se vel alterum de prefatis terris et vineis seu possessionibus archiepiscopatus, capituli, monasteriorum seu ecclesiarum de Spalato et de ista insula sancti Stephani, atque de predicto Ostroch nullum privilegium nullamque litteram a domino rege Hungarie vel bano aliquo Sclavonie seu maritimo, vel quocunque alio impetrare debeant, vel facere impetrari, nec predictum archiepiscopum Spalatensem et capitulum seu monasteria aut ecclesias civitatis eiusdem de ipsorum predictis terris et vineis et a possessionibus; et prenominatos dedigos de Ostrogh super dicta villa sua, atque commune Spalati de prefata insula sancti Stephani coram aliquo domino rege Hungarie qui foret pro tempore, nec coram aliquo bano, sive alio quocunque domino seu rectore infestare, compellere, impetere, adversari, molestari in quocumque nec facere molestari. Volumus et diffinitive adiudicando sententiamus, quod supradicti dominus archiepiscopus et capitulum sancti Domnii et omnia monasteria sive ecclesie quorum sunt dicta bona seu possessiones prescripte, non possint de cetero homines et commune Tragurii impetere, compellere, adgravare, vel molestare, seu infestare de fructibus cunctis, quos a tempore dicte prioris guerre luctusque commune et homines de Traguiio de dictis eorum terris et vineis, seu possessionibus perceperunt vel percepisse potuerunt. Et e converso homines et commune Tragurii non possint de cetero homines et commune Spalati impetere, compellere, adgravare, infestare, vel molestare de fructibus cunctis, quos a tempore dicte prioris guerre usque nunc commune et homines Spalati de dictis eorum terris, vineis seu possessionibus

perceperunt, vel percipere potuerunt. Aliis vero universis ac singulis litibus et questionibus, quas homines et commune Spalati adversus homines et commune Tragurii, vel commune et homines Tragurii adversus homines et commune Spalati promovebant vel promovere poterant quoquomodo occasione homicidiorum, predarum realium, vel personalium, vel alicuius alterius offense, que et quas homines et commune Spalati per se vel per alios fecissent seu fieri fecissent hominibus et communi Tragurii; vel homines et commune Tragurii fecissent vel fieri fecissent hominibus et communi Spalati, tam in dicta priori guerra, quam in presenti, sententialiter arbitrando et diffinitive adiudicando finem imponimus et utrique civitati silentium sempiternum, ut deinceps nullo unquam tempore aliqua civitas dictarum Spalati vel Tragurii adversus alteram civitatem, vel aliquis ex convicinibus dictarum civitatum adversus aliquem civem alterius civitatis sive homines, vel commune Tragurii adversus comitem Stepconem de Zectina, vel dominum Volcestam quondam domini Vulcigne filium, qui in auxilium steterunt Spalatensibus, vel commune et homines de Spalato adversus iuppanum Sleoc et Steredem et in auxilium Tragurii steterunt in hac videlicet guerra, que presencialiter habebatur inter civitates easdem occasione alicuius homicidii, vel prede, ut dictum est, realis vel personalis, seu cuiuscumque alterius modi vel offense, cum instigante diabolo homicidia multo plurima hinc inde (in) priori guerra, quam in presenti perpetrata et facta essent, infestare seu molestare valeat vel debeat, nec in aliquo adgravare, sed in pace perpetua utreque civitates debeant perseuerare, nec in quoquam altera alteram in personis offendere vel rebus. Et hec quidem omnia et singula supradicta nos pretaxatus comes Georgius Preste et Domaldus iudices, arbitri, arbitratores concordauerunt, laudauerunt, diffinivuerunt amicabilem composicionem civitatum sepedictarum per arbitrium, laudum, concordiam atque sententiam diffinitivam precipimus, ordinamus atque volumus, pro utraque ipsarum civitatum perpetuo firma et rata in omnibus capitulis inviolabiliter observari sub poena duarum millium marcarum argenti, quas contraveniens civitas de bonis sui communis suorumque civium omnium solvere teneatur, medietatem videlicet civitati alteri, que hec nostra mandata, laudum, arbitrium et sententiam opservaverit et aliam medietatem communi civitatis Jaderensis, quod commune seu que civitatis pro ambabus ipsis civitatibus fideiussit et ad hoc, quod hec nostra sententia, laudum, concordium sive arbitrium ad effectum debitum perducatur. Nos ipsi iudices arbitri memorati loco prestaldi sive executoris prefatum dominum archiepiscopum, capitulum et monasterium sive ecclesias Spalati in corporalem, ac perpetuam possessionem posuimus et induimus in possessionibus eis superius adiudicatis et commune Spalati

in insula sancti Stephani et supradictos dedigos in dicta villa Ostroch Actum est hoc et firmatum apud Spalatum in domo fratrum Predicatorum conventus civitatis Spalati partibus his vocatis et rogatis testibus, videlicet fratre Dominico subpriore, fratre Jesse lectore et fratre Leonardo ordinis Predicatorum prefati conventus Spalati et fratre Michaele guardiano ordinis minorum conventus Spalati et nobilibus viris Cerne de Dune et Michaele Martinus civibus Jadrensibus. Ad maiorem cautelam et perpetuam firmitatem nos prelibati iudices arbitri hanc nostre sententie concordii, sive arbitrii paginam sigillorum nostrum pendentium munimine fecimus roborari.

Ego Preste de Cotopagne iudex arbiter in predictis me subscripsi.

Ego Donaldus Zadulinus iudex arbiter in predictis me subscripsi.

Ego Vincentius ecclesie sancte Marie maioris clericus et Jadrensis notarius predictis interfui rogatus, ut audivi hanc sententiam concordii sive arbitrii cartam scripsi, roboravi et signo solito signavi.

*Lucius Memorie di Traù 101—105. — Farlati Ill. sacr. III. 289. i 358. donosi sadržaj. — Fejér VII. 4. 175—8. — Fejer V 2. 424. (sadržaj). Wenzel Cod dipl. Arp cont. XII. 223-230 — Kukuljević Reg no. 1216.*

## 186.

**1277, 13. jula.**

*Savez izmedju cara Rudolfa i kralja Ladislava u kojem se ustanovljuje ženidba Andrije hercega hrvatskoga.*

Nos Lodomericus Varadiensis, Timotheus Zagrabiensis ecclesiarum episcopi, Rolandus banus, Aladarius magister dapiferorum regine Hungarie et comes de Neugrad, magistri Demetrius Albensis aule regie vicecancellarius, Johannes Budensis prepositus significamus omnibus presentium per tenorem, quod nos in presentia domini Rudolfi dei gratia regis Romanorum semper augusti personaliter constituti tanquam nuncii et procuratores dati, constituti et ordinati a domino nostro Ladislao dei gratia illustri rege Hungarie, cum legitimo mandato et sufficienti iuravimus modo debito in animam domini nostri regis Hungarie, corporali prestito iuramento, ut literas sub eiusdem domini nostri regis et principum ac baronum suorum, videlicet archiepiscoporum, episcoporum et aliorum ecclesiasticorum prelatorum et laicorum qui tunc presentes aderant si-

*

gillis comunitas concederet nunciis et procuratoribus predicti domini regis Romanorum ad eundem dominum nostrum regem ad hoc specialiter destinatis, sub eadem forma quam littere predicti regis Romanorum sub sigillis suo et principum ac baronum suorum communite continent, daret, concederet et traderet verbis competenter transmutatis, servato eodem per omnia intellectu et quod iidem dominus noster rex et principes ac barones sui consimile sicut rex Romanorum prestabunt per omnia sacramentum. Litterarum autem supradicti domini Rudolfi Romanorum regis tenor est talis. Rudolphus dei gracia Romanorum rex semper augustus, omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem et omne bonum. Divina providentia que in sui dispositione non fallitur, potissimum inter cetera fedus humani generis in publice utilitatis observantiam, qua deus colitur, unione indissolubili per pacem que est vinculum karitatis, corroborari voluit et inviolabiliter et inevellibiliter mutua vicissitudine quoslibet Christi fideles sive summi fuerint, sive cuiuscunque status vel condicionis, uti et frui et in Christo alacritate omnimoda congaudere. His considerationibus ex multis causis et racionibus invitati et attracti, cum Ladislao illustri rege Hungarie karissimo amico nostro omnem unionem amiciciam et affinitatem contraximus, ut utrinque auxilio, consilio et favore omnibus et per omnia nobis invicem assistamus, cum id tempus, locus vel opportunitas vel necessitas vel utilitas nostri vel nostrorum exegerit omni occasione vel excusatione relegata penitus et exclusa. Et sponsalia contracta inter illustrem Andream ducem tocius Sclavonie et Croatie fratrem ipsius regis Hungarie et filiam nostram karissimam Clemenciam matrimonio subsecuto, die ad hoc per Ladislaum illustrem regem Hungarie et per nos vel per intermedios nuncios nostros solempnes, laudabiliter consummentur. Et ut hoc firmiter perseveret, per karissimum filium nostrum primogenitum et alios principes et barones nostros, affines nostros et consanguineos karissimos iusiurandum, seu corporale sacramentum, tacto ligno vivifice crucis prestari fecimus in nostra presencia et in nostram animam et in animam consortis nostre karissime in presenciarum ibidem existentis et nobis consencientibus, viva voce eisdem mandantibus et precipientibus huiusmodi prestari iuramentum, accipientibus huiusmodi iuramentum seu sacramentum venerabilibus patribus Lodomerio Varadiensi, Tymotheo Zagrabiensi episcopis, Rolando bano, Aladario magistro dapiferorum domine regine Hungarie magistris, Demetrio Albensi vicecancellario eiusdem regis Hungarie illustris et Johanne Budensi prepositis et promittentibus et assumentibus solempniter, ut nunciis nostris, quos eisdem ad illustrem regem Hungarie dirigimus affinem nostrum karissimum per eundem regem Hungarie consimile sacramentum et modo consimili prestari faciant et ab ipsius baronibus et principibus iuramentum exigatur et prestetur modo

superius annotato. Exhibebitur eciam dux Andreas, frater regis, ipsis nostris nunciis ad videndum, quo experto atque viso, si defectus notabilis expers repertus fuerit, sponsalia solidata manebunt Promisimus eciam fide data universa et singula pacta facta predicto amico nostro regi Hungarie circa ea que adversus dilectum principem nostrum regem Bohemie fideliter et legaliter observare. Quodque sollemnes nuncios nostros ad dictum regem Boëmie cum nunciis regis Hungarie transmittemus, per quos ipsum monere curabimus eique instabimus bona fide, ut prefato regi et regno Hungarie ablata restituat et de dampnis datis, iniuriis irrogatis, satisfaciat, sicut debet, alioquin facta prioraque amico nostro prefato fecimus, firma servabimus et tenebimus illibata. Item promittimus et promisimus modo consimili, data fide, ut omnia castra, municiones, oppida, villas, terras et alia, que predictus rex Boëmie occuparat vel fecerat occupari, vel nostris temporibus Australes et Stirienses aut Karinthii occuparunt et detinent occupata, nec adhuc reddidimus vel reddi faciemus propriis nostris et nostrorum laboribus et expensis, ita tamen, ut ubi necesse fuerit predictus rex Hungarie nobis per suos vel per se ipsum, si necesse fuerit circa castrorum et municionum recuperacionem auxilium prebebit opportunum, terras eciam et regna, regnum videlicet regis Hungarie et terras nostras Austrie et Stirie, Karynthie in suis certis terminis et antiquis permanere faciemus, certis ad hoc utrinque baronibus et fidelibus et die deputatis Item promittimus et promisimus data fide, ut infideles ipsius regis Hungarie, sive barones fuerint sive iuvenes familiares, sive quicumque de domo eiusdem vel de regno seu terris non recipiemus, nec ad terras nostras sive regna admittemus et hoc idem ipsum regem Hungarie nobis facere volumus versa vice Item promisimus et promittimus, ut malefactores in confinibus terrarum nostrarum et regnorum nostrorum existentes, compescemus et compesci faciemus qui si non destiterint, eosdem penitus de regnorum et terrarum nostrarum confinibus faciemus removeri. Quod idem rex Hungarie nobis mutua vicissitudine in regnorum suorum et terrarum suarum confinibus faciet observari. Ad quod si necesse fuerit mutuum auxilium impendatur. Item promisimus et promittimus sicut hic inde promissum alias recolimus, ut mercatores salvis rebus, mercimoniis et personis per districtum nostrum regna nostra, terras solutis iustis pedagiis, theloneis et tributis consuetis secure transeant et omni gaudeant libertate, quia tributa indebita et inconsueta omnino volumus aboleri et hoc idem rex Hungarie in suo districtu et in suis regnis et terris equaliter faciet observari. Ut autem contractus huiusmodi affinitatis et amicicie pluribus innotescat, presentes litteras quas sepedicto domino regi Hungarie dedimus, sigillis nostro et principum nostrorum qui tunc presentes in curia nostra aderant, scilicet

quorum dignitates et nomina continentur fecimus communiri. Nos autem Fridericus archiepiscopus Salczburgensis, B(ertholdus) Bambergensis, H(enricus) Tridentinus, P(etrus) Patavinus, W(erenhardus) Secowiensis, Gurgensis et Chimensis ecclesiarum episcopi et Ludovicus comes palatinus Reni dux Bavarie et Albertus dux Saxonie quia predictis interfuimus et eisdem auctoritatem et nostrum consensum adhibuimus et eciam promittimus pro observacione eorum adhibere opem et operam diligentem, in rerum testimonium sigilla nostra una cum predicti domini nostri Rudolphi Romanorum regis sigillum presentibus duximus apponenda. Datum Vienne III idus iulii, indictione V., anno domini MCCLXXVII., regni autem nostri anno quarto.

*Iz rukopisa Dipl. Hung. u carskom tajnom arkivu u Beču p. 443. Fejér Cod. dipl. Hung. V. 2., 388—93. — Kukuljević Reg. no. 1217.*

## 187.

**1277, 14. jula. U Čazmi.**

*Pred kaptolom čazmanskim zalaže Blagonja, sin Zaharijin Petru, sinu Tortkovu, dio svoje zemlje.*

Nos capitulum Chazmensis ecclesie memorie commendamus, quod Blagona filio Zarie pro se et Nicolao filio suo a parte una, ab altera autem Petro filio Tortk similiter pro se et Petres fratre suo coram nobis personaliter constitutis, idem Blagona de terra sua hereditaria ipsum in Kyrnyn contingenti, sicut dixit, quandam particulam sub metis et terminis infrascriptis confessus est pignori obligasse eisdem Petro et Petres pro marca et medio fertone prout retulit iam acceptis, redimendam cum iisdem marca et fertone in denariis in septima reuolucione anni a festo sancte trinitatis iam preterito coram nobis eo uidelicet obseruato, quod si ipso termino adueniente idem Blagona cum filio suo predicto particulam terre inpignoratam non redimerit, pene dupli subiacebit; dicimus tamen, quod medio tempore idem Blagona et filius suus expedient eosdem filios Tortk laboribus et expensis ab omnibus, que racione particule terre predicte contra eosdem insurgere niterentur. Cuius particule terre mete, sicut partes concordantes retulerunt, tales sunt: videlicet prima meta incipit iuxta terram eorundem filiorum Tortk ex parte dicti Blagona ad ipsos titulo pignoris deuoluta in quodam fossato, inde procedens uersus partem orientis per frutices monorou, conscendit ad montem et uenit ad metam terream sitam iuxta

uiam, inde pertransiens ipsam uiam procedit in commetacione terre Pribyzlay filii Mark et uenit ad arborem gartean cruce signatam sitam iuxta quendam riuulum, inde in eodem riuulo descendens cadit in aquam Dobownig, in quam procedens superius in modico spacio exit ad arborem egur meta terrea circumfusam, inde iuxta terram ipsius Blagonę procedens uersus partem occidentis ascendit ad montem et uenit ad uiam, ubi est meta terrea iuxta frutices, inde procedens in eadem uia uersus septemtrionem in modico spacio reliquit uiam et descendit uersus occidentem et uenit ad arborem naar meta terrea circumfusam sitam in ualle inter frutices, inde ad uiam, que tendit uersus domum ipsius Blagona, inde in ipsa uia procedens uenit ad priorem metam et ibi terminatur. Datum in crastino beate Margarite virginis anno domini MCCLXX° septimo.

*Original u arkivu jugoslav akademije u Zagrebu. Diplomata a. 1277. Va hrptu vidi se trag pritisnuta okrugla pečata. Rukom prošloga vijeka (19. vij.) napisano: »Čazmanski kapitul o zemlji Tkisnin«.*

## 188.

**1277, 23. jula. U Zadru.**

*Lovro nadbiskup zadarski potvrdjuje ugovor izmedju Družaka i samostana sv. Krševana.*

In Christi nomine. Anno incarnationis eius millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, mense iulii die nono exeunte, indictione quinta, Jadre, temporibus domini Jacobi Contareni incliti ducis Venecie et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Jacobi Theupulo egregii comitis. Andreas Drusacio habitator Jadre, filius quondam Iohannis Drusacio habitatoris ciuitatis eiusdem, ueniens ante presenciam venerabilis patris domini Laurentii dei gratia Jadrensis archiepiscopi petiit cum instantia et requisiuit humiliter ab eodem, ut instrumentum cuiusdam domus seu quam ab abbate monasterii sancti Grisogoni suisque monachis, fratribus et conuersis usque ad uiginti nouem annos certo affictu siue censu libellario nomine iam diu possederat et tenebat, si ei placeret, faceret et perciperet renouari, maxime cum prefatum monasterium ad presens abbate uacaret et secundum tenorem instrumenti absque dampno et preiudicio iuris sui non poterat amplius expectare. Cuius tenor instrumenti noscitur esse talis. *(Slijedi listina od 23. jula 1248 našega zbornika br. 319.)* Memoratus autem dominus archiepiscopus, uiso et

prelecto de uerbo ad uerbum instrumento predicto, quia petitio ipsius Andree fuerat et erat rationabilis et honesta et ex dilatione huiusmodi poterat sibi periculum imminere, precepit michi Vito Jadrensi archidiacono et notario infrascripto, ut ipsum instrumentum innouare et renouare deberem, prout in eodem instrumento plenius continetur. Pro maiori autem nexu et robore firmitatis eidem instrumento suum sigillum apponens. Actum est hoc et firmatum coram his uocatis et rogatis testibus scilicet Nasscis plebano sancti Stephani, Marino Misrio et Johanne Girardo.

*(Drugi rukopis).*

† Ego Laurentius dei gratia Jadrensis archiepiscopus manum misi.

Ego Vitus Jadrensis archidiaconus et notarius memoratum exemplum de mandato predicti venerabilis patris domini Laurentii dei gratia Jadrensis archiepiscopi presentibus suprascriptis testibus fideliter innouaui, prout in eodem exemplo continetur, nichil addens, uel minuens quod sententiam uariet seu mutet, scripsi roboraui et signo consueto signaui.

*Original u gubern. arkivu u Zadru odio samostana sv. Krševana Caps. IX. Masso T. br. 5.*

## 189.

**1277, 1. augusta. U Zadru.**

*Petar gradjanin zadarski prodaje dozvolom samostana sv. Marije zemlju svoju u Bibanu Damijanu Šemergotti.*

In nomine domini amen. Anno incarnacionis eius millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, mensis augusti, die primo, indicione quinta, Jadre, temporibus equidem domini Jacobi Contareni incliti ducis Venecie et magistri Laurentii venerabilis Jadrenensis(!) archyepiscopi, ac domini Jacobi Theupoli egregii comitis. Ego namque Petrus Georgii ciuis Jadre fateor, quomodo habita licencia et permissione a domina Nycolotta abbatissa monasterii sancte Marie de ciuitate Jadre vendo atque transacto tibi quidem Damiano Scemergotti habitatori Jadre tuisque heredibus et successoribus totam vnam meam vineam que est circa vnum gonayum uel parum plus aut minus positam in Bibano super terra suprascripti monasterii sancte Marie, uersus austrum iuxta vineam Georgii Slate Motike, uersus quirinam iuxta vineam Dyminke, uersus boream iuxta vineam Nycolotte Granice et uersus trauersam iuxta viam publicam, cum omni longitudine et latitudine sua cum omnibus suis certis terminis habenciis et pertinenciis tam subtus terram quam supra terram amodo in antea cum plena virtute et potestate intromittendi, habendi,

tenendi, possidendi, dandi donandi, vendendi pro anima indicandi, omni modo alienandi et totam tuam voluntatem ex ea faciendi nemine tibi in perpetuum contradicente, saluo tamen semper omni iure monasterii prelibati, silicet decima parte omnium fructuum inde habenda. Ob quam vendicionem siue transactacionem tu suprascriptus Damianus mihi bene et plenarie pro precio in pecunia numerata dedisti et persoluisti libras venetorum paruorum quinque. Vnde ego predictus Petrus cum heredibus et successoribus meis debeo et teneor tibi tuisque heredibus et successoribus pretatam vineam ab omni homine ipsam calumpniante defensari et excalumpniari super me et omnia bona mea habita et in hoc seculo habenda Actum est hoc et firmatum presentibus his vocatis et rogatis testibus, videlicet Andrea Grabonge(!) et Phylippo Maceda.

*(Drugi rukopis).*

Ego Federicus Grissogoni examinator manum misi.

Ego Vincentius ecclesie sancte Marie maioris clericus et Jadrensis notarius predictis interfui rogatus, ut audiui, hanc cartam scripsi, roboraui et signo solito signaui.

*(Signum notarii.)*

*Original u arkivu samostana sv. Marije u Zadru.*

## 190.

**1277, 18. oktobra. U Čazmi.**

*Pred čazmanskim kaptolom prodaje župan Syrbok zemlju uz potok Dobrolec Benediktu županu za trideset maraka.*

Capitulum Chazmensis ecclesie vniuersis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in domino sempiternam Ad vniuersorum noticiam serie presencium volumus peruenire, quod comite Syrbok a parte vna, ab altera autem Benedicto comite filio Jacoby coram nobis personaliter constitutis, idem comes Syrbok porcionem terre sue inter terram Mirse filii Desceni et inter fluuium Dobrolech existentem, ipsum solum sicut dixit contingentem totaliter et omnino cum attinenciis et adiacenciis et utilitatibus suis vniuersis sub metis, terminis, limitacionibus et signis infrascriptis confessus est uendidisse eidem comiti Benedicto et suis per eum heredibus pro triginta marcis, prout dixit plenarie acceptis irreuocabiliter habendam et iure perpetuo possidendam. Cuius terre mete, sicut homo noster, quem ad faciem ipsius miseramus, nobis recitauit presentibus commetaneis et uicinis pacifice et quiete erecte taliter distin-

guntur. Videlicet prima meta incipit a parte meridionali in loco ubi fluuius Dobrolech cadit in aquam Chazma, inde in eodem fluuio Dobrolech procedens superius uersus partem septemtrionis uenit ad arborem haas cruce signatam meta terrea circumfusam, inde uersus partem orientis procedens uenit ad arborem tuul cruce signatam meta terrea circumfusam sitam iuxta quendam riuulum, in quo procedens superius uersus septemtrionis partem uenit ad arborem haas sub qua est meta terrea, inde tendens ad metam terream sitam iuxta uiam ubi uicinatur terre Mirse predicti, inde in uia procedens uersus meridiem uenit ad arborem tuul cruce signatam meta terrea circumfusam sita iuxta uiam, in qua procedens per siluam exit ad arborem berekne cruce signatam, inde ad arborem pomi cruce signatam, deinde procedens cadit in aquam Wrbounichka, in qua procedens inferius uenit ad insulam, inde relinquende ipsam insulam uersus partem dexteram procedensque ad partem meridionalem per arbores cruce signatas cadit in dictam aquam Chazma, in qua procedens inferius uenit ad priorem metam ibique terminatur. In cuius facti memoriam et robur presentes concessimus patrocinio sigilli nostri communitas. Datum secunda feria post festum beati Galli confessoris anno domini M° CC°LXX° septimo.

*Original u arkivu jugoslavenske akademije u Zagrebu. Diplomata a. 1277 — Na listini visi crveno-zelena svilena vrvca, pečat je otpao. Nalazi se ove listine prijepis u komor. budim. arkivu kaptola čazmanskoga od g. 1305. Sign. M. O. D. L. no. 966 stara sign. N. R. A. fasc. 1503 no. 16.*

*Wenzel Cod. dipl. Arpad. XII. 210. — Kukuljević Reg. no. 1219.*

## 191.

**1277, 19. oktobra. U Zadru.**

*Bratoslav, Mihajlo, Martin i drugi obvezuju se sa ostanu sv. Krševana glede zemalja u Cerovdolu.*

In Christi nomine Anno incarnationis eius millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, mense obtobri, die duodecimo exeunte, indictione sexta, Jadre, temporibus domini Jacobi Contareni incliti ducis Venecie et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Jacobi Theupolo egregii comitis. Nos Brathoslauus Crecha, Brathoslauus Sturar, Michael Mladoseuich et Stana coniuges, Martinus filius quondam Dobre, Yuanus Calandra, Crasogna filius condam Grubinne, Prodde filius quondam Petri, Crasogna filius quondam Dominici, Nisa filia Georgii Colo-

uose, Dobroslauus gener Quartiçc, Radda et Stana filia condam Radosce, Drasca relicta Dobroscii Sturar, Brathoy frater quondam Chercii, Brathoslauua relicta Chercii, Dessoy filius quondam Stanossii Bratilich et Dobranna coniuges, Slauco pelliparius filius quondam Bogdani, Yuanus filius quondam Yuanni, Berlolas filius quondam Lipogne, Brathoslauus Suril, Stance filius quondam Stoyanni, Mariça filia quondam Damiani pelliparii, Dominicus Cuclanich deuornicus ville monasterii sancti Grisogoni ad Yculum et Dragechna coniuges, Slauogna Claudus filius quondam Petri et Dobriça coniuges, Brathoy filius quondam Radosscii, Michael filius qnondam Bratiuoy, Nicola filius quondam Nisne, Semco filius quondam Radosscii, Michael filius Georgii, Symco filius quondam Georgii Cirich, Dessaça relicta Martini Bersolani, Dobraça relicta Dominici et Bila relicta Vgrini ortulani, Radiça relicta Nosco, Dragoslauus Tretinach, Dessimirus frater presbiteri Negoy, Dimina relicta Petri Luce de Presenta, Slaueç filius quondam Georgii et Radoslaua coniuges, Velcetta Diminçulich, Marinus filius quondam Stance ortulani, Radoy filius quondam Slauco et Radda coniuges, Tolco filius condam Brathoy et Drasa coniuges, Preuoscius gener Salbe presbiteri et Radoslaua coniuges Peruonegus Descouich et Dobroslava coniuges, Ruga Vlachnik, Brathoslaua filia Stanoscii Bratilich Matheus filius quondam Nicole, Georgius filius quondam Radoslaui, Chylcik Brathosti relicta Brathay becarii, Yuannus Milcech, Stoyca relicta Pribislaui, Dragoslauus filius quondam Parisii presbiteri, Martinus Certimirich filius quondam Martini, Preua relicta Dominici Buteglarii, Racun filius quondam Sylco, Lucsa filius quondam Dessice et Yuannus filius eiusdem Lucse, Stanco filius Prodani, Bogdanus Stricouich et Cepregna filius Prodani cum nostris heredibus presenti publico scripto facimus manifestum, quia de assensu et uoluntate suprascripti domini comitis et Symeonis de Mauro aduocati monasterii sancti Grisogoni ad talem concordiam deuenimus uobiscum viro venerabili et honesto domino fratre Johanne de Curtisia abbate predicti monasterii sancti Grisogoni ac etiam cum toto conuentu uestro, uidelicet fratre Gregorio, priore fratre Thoma, fratre Marino de Jadra, fratre Marino Arbensi, fratre Benedicto, fratre Bartholomeo, fratre Matheo, fratre Nicolao, fratre Designa de Birfis, fratre Damiano et fratre Milota de vineis nostris plantatis in terra uestra de Çerodol, secundum quod quilibet nostrum presaliam factam habet uidelicet, quod dum eas habuerimus et ex eis fructum extrahere poterimus, aut etiam ibidem pastinauerimus, dare teneamur annuatim per nos et heredes nostros uobis uestrisque successoribus fideliter septimam partem de vino conducendo eam cum nuntio monasterii nostris expensis usque in monasterium uestrum; de oleo quidem et omni alio fructu ex eis habito similiter septimam partem uobis dabimus et si de aliquo fructu ex eis

habito, recenti uel secco, uendiderimus, septimum denarium uobis dabimus. Et si ficus recentes domum portauerimus ad comedendum cum sporta uel cum alio uase, septima uice cum eodem uase uobis portabimus. Et si de fraude contra uestram iustitiam uel eorum, qui in predicto uestro territorio Çerodoli habuerint vineas, fuerimus inculpati, coram aduocato monasterii uestri nostram rationem monstrabimus. Et si tunc conuicti fuerimus, uobis sex yperperos nomine pene pacabimus. Si uero ullo tempore nos uel heredes nostri ipsas vites uendere uoluerimus, primo illam uenditionem debeamus uobis uel uestris successoribus declarare. Et si eas emere uolueritis dando nobis illud pretium, quod ab uno et ab alio habere poterimus, uobis eas dabimus et non alii(!) homini. Si uero eas emere nolueritis, tunc liceat nobis eas uendere cuicumque uoluerimus saluo semper omni iure uestro, hoc est habendo uos annuatim septimam partem omnium fructuum, ut predictum est. Verum tamen dictas uites nulli monasterio nec ecclesie, nec religioni, nec dabimus, nec uendemus, nec pro anima indicabimus, nisi uestro monasterio sancti Grisogoni. Vnde omnia que dicta sunt rata et firma sint inter uos et successores uestros et nos nostrosque heredes in dicto monasterio in perpetuum. Si uero sine herede obierimus, dictas nec donare nec pro anima indicare alicui possimus, sed absolute ad uestrum monasterium debeant deuenire. Quam quidem terram uos cum uestris successoribus nobis et nostris heredibus ab omni homine eam calumpniante excalumpniare et defensare teneamini super uos et omnia bona uestri monasterii presentia et futura. Actum est hoc et firmatum coram his uocatis et rogatis testibus, scilicet: Damiano de Slurado et Martino filio condam Grissogoni de Dumyno.

*(Drugi rukopis.)*

† Ego Jacobus Çadulinus examinator manum misi.

Ego Vitus Jadrensis archidiaconus et notarius interfui rogatus, ut audiui hanc cartam scripsi roboraui et signo consueto signaui.

*(Monogram not.)*

*(Original u gubernijalnom arkivu u Zadru. Odio samostana sv. Krševana caps. XVII. mas. S. no. 13.)*

## 192.

**1277. U Zagrebu.**

*Pred kaptolom zagrebačkim izmjenjuju svoja zemljišta Gardun knez i braća njegova, te Gjuro Branić i braća njegova.*

Nos capitulum ecclesie Zagrabiensis significamus vniuersis quibus expedit presencium per tenorem, quod comite Gardun filio Gardun cum Wlkuzlao fratre eiusdem a parte vna, ex altera vero Georgio filio Branich, cum Mark, Fyle, Selk, Stephan et Pows fratribus suis coram nobis personaliter constitutis, iidem retulerunt fecisse tale concambium super quibusdam ipsorum possessionibus inter ipsos; videlicet quod dictus Georgius et fratres sui prenominati terram ipsorum in capite fluuii Lona existentem cum castro in eadem terra existenti et omnibus aliis vtilitatibus et pertinenciis eiusdem terre dedissent et contulissent predictis comiti Gardun et Wlkuzlao fratri eiusdem et per eos suis heredibus heredumque successoribus iure perpetuo possidendam, sub eisdem signis et terminis, quibus eam hactenus possederunt. In cuius terre seu possessionis sue concambium predicti Gardun comes et Wlkuzlaus frater eiusdem de consensu et assensu proximorum suorum tres villas ipsorum: Vztricha, Prisnicha, Risicha uocatas similiter cum omnibus vtilitatibus et pertinenciis ipsarum villarum predictis Georgio et fratribus suis prenotatis dederunt et contulerunt sub eisdem signis et terminis, quibus hactenus predictas villas possederunt in filios filiorum pleno iure in perpetuum possidendas. Verum quia possessio Georgii et fratrum suorum maioris erat valoris, iidem Gardun comes et frater suus antedicti triginta marcas denariorum banalium predictis Georgio et fratribus eiusdem superaddiderunt, quas confessi sunt singulas cum singulis quinque pensis computatas ab eisdem plenarie recepisse. Interuenit eciam, quod si aliquam parcium super possessionibus partis alterius processu temporis per quempiam impeti uel molestari contingeret, pars altera expedire tenebitur propriis laboribus et expensis. Vt ergo huiusmodi concambium robur optineat perpetue firmitatis, presentes ad instanciam parcium concessimus litteras sigilli nostri robore communitas. Datum anno domini M°CC°LXX° septimo.

*Original u kr. ug. drž. arkivu u Budimu M. O. D. L. no. 989. (Stara signatura N. R. A. fasc. 689. no. 8.) — Na listini visi o svilenoj vrvci ljubičaste i crvenkaste boje prilično dobro sačuvan ovalno-šiljati*

*pečat kaptola. — Na hrptu rukom prve pole XIV. vijeka »Pro comite Gardun filio Gardun et fratre suo contra Georgium filium Branich et fratres suos super quodam concambio facto inter ipsos litera capituli Zagrabiensis«.*

*Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont. IX. 183—184. — Kukuljević Reg. no. 1225.*

## 193.

**1277.**

*Kraljica Elizabeta vraća i potvrdjuje Aladaru, sinu Čeče, posjed Orjavicu u županiji požeškoj.*

Elyzabeth dei gracia regina Hungarie vniuersis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam tam presencium quam futurorum harum serie volumus peruenire, quod nos consideratis et inspectis meritoriis obsequiis et obsequiosis meritis magistri Aladarii filii Cheche fidelis nostri et eiusdem obsequia grata et in lucem reuocare cupientes que a primeuis puericie sue annis domino B(ele) socero nostro et postmodum domino Stephano consorti nostro karissimis et pie memorie quondam serenissimis regibus Hungarie et regno fideliter exhibuit et deuote se et sua propter nos diuersis casibus fortune submittendo, pro quibus de reginali magnificencia maiora et ampliora in largicionibus reginalibus debuisset promereri, licet minima videantur que ad presens agimus. Respectu eorum que facere intendimus eidem in futurum, quandam terram Oryauicha vocatam in comitatu de Pasaga sitam, quam Petrus filius Chelleus de donacione regia tenuit et possedit et per mortem ipsius sine heredis solacio decedentis ad manus nostras de approbata regni nostri consuetudine deuolutam, que ipsi magistro Aladario primo per socram nostram karissimam dominam M(ariam), quondam serenissimam reginam Hungarie, que ipsam terram conferendi et donandi ius habebat, collata fuerat, de permissione et consensu predicti domini B(ele) quondam regis et donata pro eo, quod primicias gaudiorum natiuitatis karissimi filii nostri regis Ladizlai eidem detulerat magister Aladarius antedictus et per dominum Stephanum consortem nostrum karissimum eo, quod contra ipsum magistrum Aladarium motus extiterat. Reuocata et translata ad dominium diuersarum personarum de voluntate et consensu eiusdem karissimi filii nostri regis Ladizlai et omnium baronum regni nostri reddidimus et restituimus, ymo damus et conferimus ipsi magistro Aladario et per

cum suis heredibus heredumque suorum successoribus iure perpetuo et irreuocabiliter possidendam in eadem consuetudine et libertate, quibus aliorum nobilium de Pasaga de genere quondam Borych bani terre et possessiones possidentur et sub eisdem metis limitibus et circumstanciis subscriptis, quibus fuerat primitus limitata, hoc expressim annotato quod omnia instrumenta et priuilegia vel quecunque munimenta, que super donacione, collacione et translacione memorate terre Nicolao filio Laurencii vel aliis quibuscunque de incolis regni nostri quocunque modo, ingenio vel ordine vsque datam presencium emanassent, cassa et irrita habeantur et uiribus careant et uitentur, solo presencium tenore litterarum circa presentem donacionem et collacionem nostram sepedicto magistro Aladario factam uigorem, robur et fortitudinem optinente Ceterum concessimus et concedimus, quod si dictum magistrum Aladarium, quod absit, heredis solacio destitui contingat, dictam terram legandi, donandi a se alienandi vel distrahendi cuicunque voluerit in uita vel in morte, liberam et absolutam habeat facultatem Cursus autem metarum predicte possessionis Oryauicha prout comes Geleth homo noster et testimonium capituli sancti Petri de Pasaga per nos transmissi presentibus vicinis et commetaneis eiusdem possessionis ambicione et limitacione tempore statucionis eiusdem, contradiccione quorumlibet non obstante, ipsi magistro Aladario facta nobis in registro detulerunt, hoc ordine distinguntur. Prima siquidem meta ipsius possessionis Oryauicha incipitur ab aquilone in quodam berch supra capellam in honore beati Luce ewangeliste constructam et deinde ex parte occidentali in eodem berch videlicet ex parte Oryauicha castrensi peruenit ad quoddam harazth ad partem meridionalem, sub qua est meta terrea et deinde adhuc versus meridiem descendendo per semitam paruam peruenit ad magnam arborem piri, ab hinc flectitur versus occidentem vltra fluuium Oryauicha et ascendit in quadam valle et transit quoddam berch tendendo quodam modo ad meridiem et peruenit ad arborem berekyne, sub qua est meta terrea et ab inde versus meridiem tendendo peruenit ad quemdam riuulum Zwynzkpotok nominatum et ab inde versus occidentem tendendo cadit in quoddam fluuium Krywachapotoka nuncupatum et inde per siluam in magno spacio quodam modo inter partem meridionalem et occidentalem tendendo cadit in quoddam kalysta in medio silue Book et inde directe eundo peruenit ad fluuium Chernech ad quandam clausuram Pasagaragya dictam et ab hinc directe eundo cadit in fluuium Zawa et deinde in cursu fluuii Zawa eundo exit de eodem fluuio Zaue vbi Oryauichapotok cadit in Zawam et deinde flectitur versus orientem et peruenit in Precopa, vbi per fossatum fluuius Oryaue cadit in Oryauichapotoka sepedictum et ab hinc tendendo ad aquilonem in bono spacio peruenit ad arborem

populeum sub qua est meta terrea que separat a possessione Dragouch et deinde adhuc ad aquilonem tendendo peruenit ad fluuium Jelseuyk, adhuc versus aquilonem eundo peruenit ad quoddam berch et deinde iuxta terram Garadpotoka ad aquilonem tendendo peruenit ad quandam dirutam terram in quodam berch Omlas dictum in wlgari et deinde ad occidentem reflectendo descendit ad fluuium Oryauicha ibique terminantur. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis patris Phyllippi episcopi Wachyensis aule nostre cancellarii comitis Neugradiensis fidelis nostri, anno domini millesimo CC septuagesimo septimo.

*Original u kr. ug. drž. arkivu u Budimpešti M. O. D. L. 33.854. Stara signatura N. R. A. fasc. 1532. no. 35. — Na listini visi šuta zelena svilena vrvca bez pečata.*

*Kukuljević Reg. no. 1224.*

## 194.

**1277.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski izuzimlje posjed Trnavu ispod vlasti župana zagrebačkoga, te ga podjedno oslobadja od plaćanja kunovine, poreza banskoga i inih daća.*

Ladizlaus dei gracia Vngarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in salutis largitore. Inesse debet regibus iuste consulens liberalitas et pie suadens benignitas, ut singulis et vniuersis, qui de extera nacione aduenientes que sua sunt reliquerunt, regio pro fauore in suis crescant beneficiis alios ad consimilia inuitando. Hinc est, quod cum magister Gerardus, dilectus et fidelis fysicus noster, vniuersas possessiones suas et sua patrimonia ad regalem confisus prouidenciam pro dominis Bela auo nostro et Stephano patre nostro karissimis illustribus regibus Vngarie felicissime recordacionis, reliquisset et eosdem sine aliqua imbecillitate corporum in bona sospitate conseruasset, donec iidem deo propicio et eodem uolente nature debitum persoluissent, ac demum circa nostram preseruacionem et curam cum omni feruore fidelitatis periciam sue artis exibuisset. Nos qui ex officio sus-

cepti regiminis metiri debemus merita singulorum et unicuique iuxta meritum respondere, consideratis eximiis fidelitatibus et meritoriis obsequiis ipsius magistri Gerardi predictis progenitoribus nostris et nobis indesinenter, exibitis et inpensis, que longa essent enarari per singula suo modo, in aliqualem recompensacionem seruiciorum suorum, cum multo plura et maiora debuisset promereri, quandam terram castri Zagrabiensis Tornoa uocatam ex certa sciencia et mera liberalitate cum omnibus utilitatibus suis, uineis videlicet, molendinis, siluis, fenetis et aliis pertinenciis suis uniuersis, eidem magistro Gerardo et per eum suis heredibus heredumque suorum successoribus dedimus, donauimus et contulimus iure perpetuo et irreuocabiliter possidendam; prout eciam illud idem in priori priuilegio nostro exinde confecto plenius continetur et ipsum magistrum Gerardum in corporalem possessionem dicte terre, consilio, suasione, uoluntate et consensu Johachyni bani tocius Sclauonie dilecti et fidelis nostri, per magistrum Manfredum hominem nostrum, sub testimonio capituli Zagrabiensis conuocatis omnibus commetaneis et uicinis presentibus et ipsis ac aliis non contradicentibus fecimus introduci Terram eandem a iurisdiccione comitis Zagrabiensis et marturinis ac collectis antiquis seu de nouo inpositis et inponendis et septem denariis annuis bano debitis, omnimode et plenarie omnium baronum nostrorum consilio eximendo et penitus liberando. Mete eciam terre prefate, prout in litteris dicti capituli uidimus contineri, hoc ordine distinguuntur: prima scilicet meta incipit a parte meridionali a quadam arbore ylicis et protendit per quendam riuulum et peruenit ad quendam truncum castanearum, ubi regirat ad meridiem et per quandam semitam graminosam protendit directe uersus ecclesiam quandam sitam in honore virginis gloriose, deinde reuertitur ad orientem et peruenit ad quasdam arbores piri, quas arbores transiens per medium currit per dumos spinarum et peruenit ad quandam arborem ylicis cruce signatam, deinde descendens peruenit ad alteram arborem ylicis, unde procedens uenit ad magnam uiam, per quam uiam currens supra peruenit ad quoddam uirgultum, ubi sunt due mete terree, inde procedens peruenit ad uiam alteram et per eandem uiam peruenit ad aquam Blizyna uocatam, per quam aquam iens supra peruenit ad quandam uiam in qua et per quam uiam ascendit supra in montem ad quoddam uirgultum, ubi est arbor ylicis magna, deinde descendens peruenit ad metam primam et sic cursus metarum terminatur. Vt autem hec nostra donacio robur optineat perpetue firmitatis et ne processu temporum per quempiam ualeat retractari aut aliquatenus reuocari, presentes concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis viri magistri Demetrii, Albensis ecclesie prepositi, aule nostre vicecancellarii

dilecti et fidelis nostri. Anno domini M. ducentesimo septuagesimo septimo, regni autem nostri anno quinto.

*Original, na kojem na crveno-zelenoj svilenoj vrvci visi pečat. U arkivu kaptola fasc. 23. br. 84.*

*Tkalčić Monum. episcop. Zagr. I. 188—189. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 196—8. — Kukuljević Reg. no. 1223.*

## 195.

**1277.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski poklanja biskupu zagrebačkomu Timoteju i njegovim nasljednicima za vječna vremena županiju garešničku.*

Ladizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in uero salutari. Et si quibuslibet corone regie fidelibus et deuotis aperire debeamus munificencie nostre manus, illis tamen et maxime prelatis ecclesiarum tenemur ardencius et specialius respondere, quos videmus nostri et regni nostri negociis insistere fideliter et deuote, presertim quia per hoc et honor accrescit regius et salus attenditur animarum. Proinde ad vniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod gratam et commendabilem fidelitatem ac meritoria et multiplicia obsequia venerabilis patris Thymotei miseracione diuina episcopi Zagrabiensis dilecti et fidelis nostri, quibus idem in regni nostri negociis et coram nostre maiestatis oculis absque aliquo offensionis scrupulo studuit multipliciter complacere, attendentes uolentesque ob hoc eidem digne remuneracionis beneficio respondere, licet respectu eius, quod ad presens sibi conferimus, pociora mereretur, in aliqualem tamen recompensacionem fidelium obsequiorum eiusdem episcopi et baronum nostrorum consilio et assensu, contulimus sibi et per eum episcopatui Zagrabiensi comitatum de Guersence cum collecta marturinarum et septem denariorum tenendum, habendum et possidendum perpetuo et irreuocabiliter pacifice et quiete in illa et eadem libertate, qua possessiones et dicti populi episcopatus Zagrabiensis a temporibus sanctorum predecessorum nostrorum illustrium regum Ungarie gratulantur. Statuentes, quod nec banus Sclauonie racione collecte marturinarum et septem denariorum ac zulusinarum et similiter magister tauarnicorum nostrorum racione eiusdem collecte septem de-

nariorum de ipso comitatu de Guersence prouenіencium, predictum episcopum et successores suos presumant uel debeant molestare. Et insuper uniuersi populi in eodem comitatu de Guersence existentes nec bani nec iudicum suorum iudicio in quouis articulo debeant subiacere, cum ipsum comitatum non ut honorem, sed in possessionem perpetuam episcopatui Zagrabiensi contulerimus irreuocabiliter possidere In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus literas dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magisiri Demetrii prepositi Albensis aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri. Anno domini MCCLXXVII., regni autem nostri anno quinto.

*Liber privileg. eppatus zagrab. list. 33.*

*Tkalčić Monum. episc. Zagr. I. 190—191. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 190.—1. — Kerchelich Hist. eccl. Zagrab. 89. — Farlati Ill sacr. V. 371.—8. — Katona Hist. crit. VII. 721. — Kukuljević Jura regni I. 87. — Kukuljević Reg. no. 1221.*

## 196.

**1277.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski oslobadja podložnike crkve zagrebačke kod sv. Martina u Vaškoj ispod vlasti župana šomogjskoga, a ujedno i od plaćanja kojekakvih daća.*

Ladizlaus dei gracia Ungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in omnium saluatore. Inherentes uestigiis predecessorum nostrorum et sanctorum progenitorum nostrorum bone rei dare consultum et si in omnibus feliciter animo gestiamus, potissimum tamen in ecclesiis et rebus et possesssionibus earumdem deffensandis, conseruandis et promovendis damus operam, ut presentis vite subsidium et eterne remuneracionis premium possimus merito expectare. Hinc est quod ad vniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod venerabilis in Christo pater Th(ymotheus) dei gracia episcopus Zagrabiensis dilectus et fidelis noster ad nostram accedens presenciam postulauit: vt Zagrabiensem ecclesiam tam in capite quam in membris, in terris, possessionibus, villis, opidis, tributis, iudiciis et omnibus iuribus suis eo priuilegio eaque libertate uti, frui, gaudere

faceremus, quo et quibus sanctissimi progenitores nostri a tempore cuius non extat memoria dotata et dicata est et conseruata per eosdem inconcussa. Maxime terram sancti Martini prope Waska iuxta Drawam, quia est inter Ungariam et Sclauoniam et in temporibus karissimi aui nostri Bele regis, felicissime recordacionis, prout in eiusdem priuilegio continetur, eadem libertate dotata fuit, qua villa, iobagiones et populi de Waska gauisi sunt ab antiquo, tam in iudiciis quam in collectis, taliis et exaccionibus cuiuscunque generis preter solucionem marturinarum, ut immunitate et plena gaudeat libertate. Nos autem eiusdem venerabilis patris videntes peticionem condignam, inspecto eciam priuilegio karissimi aui nostri Bele regis memorati pleno admisimus cum fauore, uolentes, ut nullus comitum nostrorum Symigiensium pro tempore constitutorum predictos populos de sancto Martino, cum ab eorum sint iurisdiccione et potestate exempti, ad sua uel officialium suorum iudicia pertrahere presumant, uel aliquatenus molestare, nec collectores dimidii fertonis, uictualium uel cuiuscunque generis exstiterint ipsos dicare audeant aut in suis iuribus et libertatibus perturbare. Ad cuius facti perpetuam firmitatem litteras nostras dupplicis sigilli nostri munimine concessimus roboratas. Datum per manus venerabilis viri magistri Demetrii, prepositi Albensis, domini pape capellani et subdyaconi, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri. Anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, regni autem nostri anno quinto.

*Originalna potvrda kaptola Stolnobiogradskoga iste god. 4. jula. Sa bijelo-crvenih vrvca pečat otpao. U arkivu kaptola zagrebačkoga.*

*Liber privileg. eppatus. Zagrab. list. 7. i 49.*

*Tkalčić Monum. episc. zagrab. I. 189—190. po Liber privileg. — Wenzel Cod. dipl. Arp. XII. 199. no. 166. donosi regest — Kukuljević Reg. no. 1222.*

## 197.

**1278, 10. januara. U Budimu.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski oslobadja grad Zagreb od banske prisjelice.*

Nos Lad[izlaus] dei gracia rex Hungarie significamus universis quibus expedit presencium per tenorem, quod fideles cives nostros de monte Grecensi, cupientes in suis antiquis libertatibus conservare et intendentes ex animo relevacioni eorumdem, ipsis civibus ex speciali

gracia duximus concedendum, quod banus Sclauonie ad presens constitutus et eiusdem successores super dictos cives descensum non possint nec debeant facere aliqualem, cum iidem cives inopiam et destrucciones ac gravamina plurima hoc discriminis tempore sint perpessi. Datum Bude, tercio die octavarum nativitatis domini, anno eiusdem MCCLXX. octavo.

*Original u arkivu jugoslavenske akademije. Pečat na hrptu otpao. Tkalčić Mon. civ. Zagrab. I. br. 64. — Kukuljević Reg. br. 1229.*

## 198.

**1278, 13. januara. U Zadru.**

*Cernja sin Kileov prodaje s dozvolom samostana sv. Krševana svoj vinograd u Cerodolu Vojnu i ženi mu Deši.*

In Christi nomine. Anno incarnacionis eius millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, mense ianuario, die terciodecimo intrante, indicione sexta, Jadre, temporibus domini Jacobi Contareni incliti ducis Venecie et magistri Laurencii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Jacobi Theupolo egregii comitis. Ego Cergna filius condam Chyleę cum meis heredibus et successoribus per hoc presens scriptum fatio(!) manifestum, quia uendo uobis Voyno Batiglario et Desse coniugibus atque Stoyace sorori dicte Desse habitatoribus Jadre uestrisque heredibus et successoribus pro libris quindecim uenetorum paruorum, quas a uobis confessus sum integre suscepisse et plenarie habuisse, omnes uites meas et arbores plantatas in territorio monasterii sancti Grisogoni de Jadra ad Çerodol· a parte austri iuxta vineam Gregorii Taglapera, a parte bore iuxta vineam quondam Peruoslaue relicte Draguli, a parte trauerse iuxta vineam Slauco fratris mei et a parte quirine iuxta terram monasterii suprascripti, cum uoluntate et assensu honesti et religiosi viri dompni Johannis abbatis eiusdem monasterii, ita quod quilibet uestrum habeat terciam partem de vitibus et arboribus supradictis; amodo cum plena uirtute et potestate intromittendi, habendi, tenendi, possidendi, uendendi heredibus dimitendi, cum omnibus suis habenciis et pertinenciis tam subtus terram quam supra terram et cum omni suo iure nemine uobis in perpetuum contradicente, saluo semper omni iure dicti monasterii sancti Grisogoni scilicet septima parte omnium fructuum inde habenda. Verum tamen sciendum est, quod si ullo tempore ipsas vites uendere uolueritis, primo illam uenditionem predicto domino abbati uel succes-

soribus suis teneamini declarare et si eas emere uoluerit dando uobis illud quod ab uno et ab alio habere poteritis, eas sibi dabitis et non alii homini; si uero eas emere noluerit, tunc liceat uobis eas uendere cuicumque uolueritis, saluo predicto iure monasterii prelibati; sed dictas vites et arbores non est vobis licitum nec potestis alicui alteri monasterio uel ecclesie seu regioni dare uel uendere seu pro anima indicare, nisi predicto monasterio sancti Grisogoni, si autem absque herede decesseritis, dictas vites nec donare nec pro anima indicare alicui possitis, sed absolute ad predictum monasterium debeant deuenire. Quas quidem vites et arbores ego dictus Cergna cum meis heredibus et successoribus uobis predictis coniugibus et dicte Stoyace sorori et cognate uestre uestrisque heredibus et successoribus ab omni homine eas calumpniante excalumpniare et defensare debeo et teneor super me et omnia mea bona presencia et futura. Actum est hoc et firmatum coram his uocatis et rogatis testibus, scilicet Nasse plebano sancti Stephani et Stoyco presbitero ecclesie sancte Anastasie.

*(Drugi rukopis).*

† Ego Maurus Grisogoni Mauri examinator manum misi.

Ego Vitus Jadrensis archidiaconus et notarius interfui rogatus, ut audiui hanc cartam scripsi, roboraui et signo consueto signaui.

*(Monogram not.)*

*(Original u gubernijalnom arkivu u Zadru (odio samostana sv. Krševana kaps. XVII. no. 398.)*

## 199.

**1278, 14.(?) januara. U Zadru.**

*Sud izmed samostana sv. Krševana i sinova Drusacijevih radi kuće.*

In Christi nomine. Anno incarnacionis eius millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, mense ianuari, die quarto [decimo?], indictione sexta, Jadre. Temporibus domini Jacobi Contareni incliti ducis Venecie et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Jacobi Theupolo egregii comitis. Cum nos Johannes Maripetrus Jadre consiliarius, Andreas de Cotopagnis, Cosa Saladinus et Gregorius comitis Helye, arbitri, arbitratores et amicabiles [compositores] electi ab utraque parte de questione seu questionibus, que inter honestum et religiosum virum [dompnum Johannem] abbatem monasterii sancti Grisogoni de Jadra suumque conuentum ex una parte, prouidum et discretum virum

Andream Drusacio filium condam Johannis Drusacio de Venecus, nunc habitatorem Jadre suo et Jacobi fratris sui atque Constancie sororis eorum nomine ex altera, occasione cuiusdam domus iuxta predictum monasterium posite cum duobus molendinis in eadem domo positis, concesse et assignate in perpetuum predicto Johanni Drusacio, eorum patri libellario nomine ad renouandum usque ad uiginti nouem annos, per predecessorem ipsius abbatis suumque conuentum, sicut ex instrumento publico inde confecto euidenter apparet, coram nobis predictis arbitris uerterentur. Habentes super hoc ab utraque parte plenam et liberam potestatem, quod quicquid super questione dicte domus per sententiam, laudum et arbitrium seu amicabilem compositionem exinde diceremus, pars utraque sub pena ducentarum librarum irrefragabiliter obseruaret. Auditis igitur allegationibus et iuribus utriusque partis et cum diligentia inquisitis . . . . nos deliberatione habita diligenti dicimus, sententiamus et pronunciamus, nullo nostrum super hoc in aliquo discrepante . . . quod dictus abbas cum suo conventu pro dicta domo cum toto suo laborerio tam de lignamine, quam de [muro] Andree recipienti pro se fratre et sorore suis supradictis ad presens centum libras uenetorum paruorum in pecunia numerata debeant exhibere predictis Andree, Jacobo et Constancie supra predicta domo, seu omnibus successoribus . . . possent dis . . . . . sione dicte domus quocunque modo uel ingenio silencium perpetuum imponentes, quam quidem pecuniam dictus dominus abbas cum suo conventu dedit et assignauit predicto Andree, sicut predictum est, recipienti pro se fratre et sorore suis predictis nobis presentibus integraliter numeratam. Cui sententie, arbitrio laudo seu amicabili compositioni utraque pars expresse consensit eamque approbauit, ratam habuit et recepit. Actum est hoc et firmatum coram his uocatis et rogatis testibus, scilicet Mauro de Calcina, Grisogono filio condam Vic . . . . . s de Petriço, magistro Gerardo de Clugia et aliis.

*(Slijede različiti rukopisi).*

Ego Johannes Malipetro consiliarius Jadre manum misi.

Ego Andreas de Cotopagna manum misi.

Ego Cosa Saladinus iudex manum misi.

Ego Gregorio de comite Elie iudex manum misi.

Ego Jacobus Çadulinus examinator manum misi.

Ego Vitus Jadrensis archidiaconus et notarius interfui rogatus, ut audiui hanc cartam scripsi, roboraui et signo consueto signaui.

*(Signum notarii.)*

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru. odio sv. Krševana Capsula IX. Masso T. no. 7.*

## 200.

**1278, 14. januara. U Zadru.**

*Sinovi Drusacija izjavljuju da su namireni za kuću od samostana sv. Krševana.*

In Christi nomine amen. Anno incarnacionis eius millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, mense ianuario, die quartodecimo intrante, indictione sexta, Jadre, temporibus domini Jacobi Contareni incliti ducis Venecie et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Jacobi Theupolo egregii comitis. Andreas et Jacobus Drusacio filii quondam Johannis Drusacio de Veneciis nunc habitatores Jadre et Constancia eorum soror filia dicti condam Johannis Drusacio de uoluntate Cerneche de Curtisia viri sui ibidem presentis et consencientis fuerunt confessi et manifesti se recepisse et habuisse a religioso et honesto viro dompno Johanne abbate monasterii sancti Grisogoni de Jadra eoque conuentu libras centum uenetorum paruorum in pecunia numerata occasione cuiusdam domus posite iuxta predictum monasterium sancti Grisogoni, cum duobus molendinis in eadem domo positis, concesse et in perpetuum assignate dicto Johanni Drusacio eorum patre libellario nomine ad renouandum usque ad uiginti nouem annos per predecessorem, ipsius abbatis suique conuentus secundum sententiam latam per nobiles uiros dominos Johannem Maripetrum consiliarium Jadre, Andream de Cotopagnis, Cosam Saladinum et Gregorium comitis Helye arbitros super hoc ab utraque parte electos, scriptam manu mei notarii infrascripti, quam quidem pecuniam predictus Andreas de uoluntate predicti Jacobi fratris sui et Constancie sororis sue eodem Cernecha uiro suo sibi consenciente habuit et recepit. Vnde dicti Andreas, Jacobus et Constancia superscripto viro suo ei consenciente, fecerunt per se suosque heredes et successores, predicto domino abbati suoque conuentui de predicta domo et toto ipsius laborerio tam de lignamine quam de muro, ac etiam de omnibus et super omnia que possent dicere occasione dicte domus, quocunque modo uel ingenio plenam et irreuocabilem securitatem, finem, quietacionem et remissionem omnimodam et pactum de ulterius non mouendo aliquam questionem, omne ius suum quod habent uel habuerunt hactenus, in eodem predicto monasterio totaliter refutantes, promittentes sub pena quinque librarum auri predicte securitati in aliquo uel aliquibus nullatenus contraire super se et omnia bona sua presencia et futura. Actum est hoc et firmatum coram his uocatis et rogatis

testibus, scilicet Designa archipresbitero Jadrensi et Nasscio plebano sancti Stephani.

*(Drugi rukopis).*

† Ego Jacobus Çadulinus examinator manum misi.

Ego Vitus Jadrensis archidiaconus et notarius interfui rogatus, ut audiui hanc cartam scripsi roboraui et signo consueto signaui.

*(Signum notarii).*

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru odio sv. Krševana. Capsula IX. Masso T. no. 6.*

## 201.

**1278, 24. januara. U Zadru.**

*Dobroje, sin Vukoja Čudomirića prodaje vinograd u Čudomiršćini Damjanu sinu Dobroja.*

In Christi nomine. Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, indicione sexta, die octauo exeunte mense ianuario, Jadre, temporibus equidem domini Jacobi Contareni incliti ducis Venecie et magistri Laurencii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Jacobi Teupolo egregii comitis. Manifestum facio per hoc presens scriptum ego quidem Dobroy filius condam Volcoy de Çudomirichys, quomodo do, dono, vendo atque transacto tibi namque Damiano filio Dobrii de Be . . . . . [cim] Jadre tres meas pecias terre quas habeo in Çudomyrrschyna cum vigesima parte nemoris ipsius contrate. Prima quarum peciarum est prope terram Priuoslaui versus boream, de austro est . . . . . . . de trauersa est terra Radini et de quirina est terra Bogdani Myrinich. Secunda pecia est in ea[dem] contrata, cui de borea est terra Marini de Çudomyrichis, de austro est terra predicti Radini, [de] trauersa est via publica et de quirina est terra Tollani. Tercia pecia est in ipsa contrata, cui de borea est terra Viti de Cerna, de austro via publica, de trauersa est terra Juanus et de (trauersa est terra) Dominçii Brathcouich et terra Dominici Sagay; ita ut a modo in antea tu prenominatus Dam[ianus cum] tuis heredibus et successoribus plenam potestatem habeas et virtutem ipsas tres pecias terre c[um v]igesima parte dicti nemoris habendi, tenendi, gaudendi, possidendi, vendendi, donandi pro anima et corpore indicandi omnemque aliam tuam voluntatem et vtilitatem libere faciendi, nemine tibi uel tuis heredibus aut successoribus in perpetuum contradicente uel molestante. Precio cuius vendicionis ego prenominatus Dobroy plene habui et recepi a te prenominato Damiano libras dena-

riorum uenetorum paruorum decem, quas mihi dedisti et integre persoluisti. Vnde cum meis heredibus et successoribus teneor et promitto ipsas tres pecias terre cum vigesima parte dicti nemoris excalumpniare et defensare tibi tuisque heredibus et successoribus in racione ab omni homine et persona super me et omnia bona mea in hoc seculo habita et habenda cum omnibus suis certis terminis, pertinenciis, confinibus et habenciis ipsis tribus peciis terre et vigessime parti dicti nemoris tam subter terram, quam supra terram in integrum pertinentibus uel que pertinere tibi possunt. [Actum] est hoc et firmatum coram his vocatis et rogatis testibus, scilicet Petro [filio] condam domyni Pilosi Jadre et Chreycho de Çudomyrichis et aliis.

*(Drugi rukopis).*

† Ego [M]aurus Grisogoni Mauri examinator manum misi.

[Ego] Henricus imperiali auctoritate notarius et Jadrensis iuratus his interfui et rogatus scripsi et roboraui.

*(Signum not.)*

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru (odio samostana sv. Krševana capsula XXII.) no. 542.*

## 202.

**1278, 28. januara. U Čazmi.**

*Pred kaptolom čazmanskim biva prodaja zemlje u Gariču.*

Nos capitulum Chasmensis ecclesie tenore presencium significamus vniuersis, quod Bogdozlou et Pousa filii Zoriani a parte vna, ab altera autem Jacobus filius Stepk iobagiones castri de Garig coram nobis personaliter constituti, iidem Bogdozlou et Pousa terram eorum hereditariam in Garig, inter terras ipsius Jacobi et fratrum suorum Alexii filii Zouk, Bogdani filii Ztoik, et Stephani filii Stephani existentem ipsos, ut dixerunt, proporcione contingentem totaliter et omnino cum duabus vineis una videlicet in eadem existente, alia vero super terra dicti Stephani constituta, ac omnibus aliis vtilitatibus attinentiis suis confessi sunt uendidisse eidem Jacobo suisque per eum heredibus pro decem marcis plene coram nobis acceptis iure perpetuo possidendam et habendam. Cuius terre mete, sicut homo noster, quem ad faciem ipsius miseramus, nobis recitauit, presentibus commetaneis et uicinis pacifice et quiete erecte taliter distinguntur. Videlicet prima meta incipit a parte orientali iuxta terram filiorum Stepk predicti in capite unius sicce vallis, ubi est meta terrea; inde ad uiam usque procedens uenit in caput vallis Ztermech uocate, ubi est

meta terrea; inde procedit iuxta siluam uersus meridiem, deinde iuxta arbores bik uenit ad metam terream, inde procedens uersus partem occidentis peruenit ad uiam, iuxta quam est meta terrea, inde directe procedens inferius cadit in fluuium Diuich dictum, commetaneo actenus predicto Alexio existente; inde procedens superius exit ad vallem Kasnidol uocatam, in qua procedens uenit ad caput eiusdem vallis ad unam uiam, in qua procedens uersus occidentem in magno spacio uenit ad aliam uiam, super qua itur ad locum fori de Garig ibique est meta terrea, commetaneis actenus Bogdano et Chernel existentibus, inde iuxta terram dicti Stephani procedens uersus septemtrionem in predicta uia in silua exit ad metam terream; inde declinat ad caput fluuii Graduch ibique mons seu berch Gradech uocatus cedit dicto Jacobo, terra dicti Stephani a parte occidentali remanente; inde in eodem fluuio procedens inferius relinquit terram ipsius Stephani et uicinatur terre filiorum Stepk, ac cadit in fluuium Meduega nuga, in quo procedens superius uersus meridiem exiensque de ipso fluuio procedit uersus partem orientis in siluis bik et uenit ad priorem metam, ibique terminatur. Astiterunt eciam coram nobis personaliter Stephanus filius Stephani et Alexius filius Zouk, qui huic vendicioni et empcioni in nullo contradicentes fauorabilem consensum prebuerunt et assensum. In cuius uendicionis testimonium et robur presentes concessimus sigilli nostri patrocinio communitas, feria sexta ante festum purificacionis Beate Virginis anno domini M°CC° septuagesimo octauo.

*Original u arkivu knezova Batthyany s visećim pečatom na svilenoj vrvci bijelo, ljubičaste i zelene boje. A. V. L. I. no. 48.*

*Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont. XII. 241—242. — Kukuljević Reg. no. 1230.*

## 203.

**1278, 20. februara. U Zadru.**

*Prvoslava prodaje dozvolom samostana sv. Krševana Vojnu i drugovima vinograd u Cerodolu.*

In Christi nomine amen. Anno incarnationis eius millesimo ducentesimo septuagesimo, indiccione sexta, die vigesimo februari, Jadre, temporibus domini Jacobi Contareni incliti ducis Venecie et magistri Laurencii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Jacobi Teupulo egregii comitis. Ego Preuoslaua relicta Dragulli habitatrix in Blata et[1]

[1] Očevidno ispušteno ispred et do.

transacto uobis Voyno Batiglario habitatori Jadre et uxori eius Desse et Stoyce cognate eius omnes vites et plantationes meas quas habeo in Cerodolo in Draga sancti Grisogoni, de consensu domini Johannis abbatis monasterii eiusdem sancti Grisogoni. Ab austro possides tu Voynus predictus, a borea Jurgus Chilcich et a trauersa Sclauco frater condam predicti Draguli; que vites et plantaciones reddunt septimum monasterio predicto uini et aliorum fructuum conducti ad tuas expensas ad monasterium memoratum cum nuntio abbatis; a modo in antea cum plena uirtute et potestate intromittendi, habendi, tenendi, possidendi, dandi, donandi, vendendi et pro animabus indicandi, saluo quod si vendere volueris, denunciare debes et dare monasterio pro precio quod ab altero habere posses; et si emere noluerit, liceat tibi postea vendere sicut melius potes et saluo iure dicti monasterii, semper in dicto terratico percipiendo secundum usum et saluis nichilominus omnibus condicionibus et iuribus, que idem monasterium habet in terris de Cerodolo, precio cuius venditionis recepi a vobis predictis emptoribus libras denariorum venetorum paruorum quindecim. Vnde promitto cum heredibus et successoribus meis dictam venditionem defensare et excalumpniare vobis et vestris heredibus et successoribus ab omni persona super me et omnia mea bona habita et habenda. Et ego Sclauco frater condam supradicti Dragulli constituo me pleçium et peccatorem de excalumpniatione predicta uobis supradictis emptoribus pro dicta Preuosclaua cognata mea super me et omnia mea bona habita et habenda. Actum est hoc coram hiis rogatis testibus Stoyche presbitero cantore sancte Anastasie et Vulcina de Sabbe.

*(Drugi rukopis).*

† Ego Jacobus Çadulin examinator manum misi.

Ego Nicolaus Feltrensis sacri palatii notarius et Jadrensis iuratus hiis interfui et rogatus scripsi et roboraui.

*(Signum not.)*

*Original u arkivu gubernij. u Zadru. (Odio samostana sv. Krševana caps. XVII. mat. S. no. 18.*

## 204.

**1278, 2. marta. U Ratovu.**

*Pred Gjulom dvorskim sudcem ustupaju sinovi Rolanda bana Matej i Ratold svojoj majci posjed Orjavice u županiji požeškoj.*

Nos Giula comes iudex curie domini regis vniuersis quibus expedit significamus presencium per tenorem, quod Matias comes et magister Ratoldus filii Rolandi bani bone memorie fratris nostri karissimi coram nobis personaliter constituti confessi sunt uina uoce, quandam possessionem ipsorum Arauicha uocatam in Posoga constitutam cum suis utilitatibus secundum continenciam litterarum ipsius Rolandi bani domine matri ipsorum relicte Rolandi bani dimisisse perpetuo possidendam. Datum in Ratobo in die cinerum anno domini M⁰CC⁰LXX⁰ octauo

*Original u kr ug držav. arkivu u Budimpešti M. O. D. L. no. 33,727. (Stara sign. N. R. A. fasc. 1532. no. 17.).*

*Na listini visi o bijeloj i ljubičastoj svilenoj vrvci (vlakanca) dobro sačuvani pečat (U štitu tri lista, okolo napis).*

*Wenzel Cod. dipl. arp. cont XII. 234. — (po istom izvoru). u IX 209. donosi regest ove listine iz komor. ark. u Budimu. — Kukuljević Reg. no. 1231.*

## 205.

**1278. 12. marta. U Zadru.**

*Križan sin Mihajla Draginića zalaže svoju zemlju u Draganiću Ivanu de Nosdrogna.*

In Christi nomine amen. Anno incarnacionis eius millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, indicione sexta, die duodecimo marcii, Jadre, temporibus domini Jacobi Contareni incliti ducis Venecie et magistri Laurencii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Jacobi Teupulo (!) egregii comitis. Ego Crisane filius condam Michaelis Dragnich manifestum facio me recepisse a te Juano de Nosd[r]ogna Jadratino libras denariorum uenetorum paruorum viginti, pro quibus denariis do et concedo tibi quadraginta gognay de terra mea posita in confinibus Dragnich habendos et usufructuandos dictos quadraginta gognay ad totam tuam voluntatem et utilitatem a festo sancti Michaelis de septembri proxime venturo usque ad octo annos cum vineis, pratis, pascuis,

gaiis et nemoribus et aquis et cum omnibus pertinenciis suis. Promitto huiusmodi concessionem dicte terre defensare et excalumpniare cum heredibus [et] successoribus meis tibi et tuis heredibus et successoribus usque ad terminum nominatum super me et omnia mea bona habita et habenda Et si accideret, quod propter gerram non posses dictam terram usufructuare per aliquod spacium temporis intra dictum terminum, quod per tantum dicti temporis spacium pacis tempore eam usufructuare valeas et habere. Et ego predictus Juanus concedo tibi supradicto Crisane, ut possis laborare et regere terram predictam per manum meam usque ad terminum memoratum, reddendo mihi singulis annis recte quartum tocius fructus inde prouenientis. Et ego predictus Crisane promitto laborare et regere dictam terram fideliter per manum tuam usque ad iamdictum terminum et tibi singulis annis quartum reddere supradictum et supra (dictam) terram non bene laboraravero aut tuam racionem fraudavero potestatem habeas dictam terram aliis locandi, sicut de tua processerit voluntate. Actum est hoc coram hiis rogatis testibus: Thoma de Figassolo et Cresa filio Dragosclaui.

*(Drugi rukopis.)*

† Ego Jacobus Çadulinus examinator manum misi.

Ego Nicolaus Feltrensis sacri palacii notarius et Jadrensis iuratus hiis interfui et rogatus scripsi et roboraui.

*(Signum notarii).*

*Original u arkivu gubern. u Zadru (odio samostana sv. Krševana capsula XV.)*

*Na hrptu savremena bilješka. »Carte super terris in Draganigh nuper reperte None«.*

## 206.

**1278, 17. aprila. U Budimu.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski daruje banu Stjepanu Haholtovu Lindvu i Nempču za velike zasluge.*

Nos Ladislaus dei gratia Hungarie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex memorie commendantes tenore presentium significamus quibus expedit universis, quod et si regum principumque summa liberalitas in omnes fideles maxime bene meritos generaliter diffundantur, expedit tamen, ut illos quorum preclara virtute generosi sanguinis titulo fidei integritate thronus principantium largius illustratur, etiam donativis liberalioribus et favoribus complectatur

Considerando itaque fidem fidelitatem et servitiorum merita fidelis nostri dilecti magnifici Stephani filii condam Haholth regni nostri Sclavonie bani, que nostre maiestati sub locorum et temporum varietate et sacre regni nostri corone in diversis tum scilicet gravibus necessariisque, huiusmodi legationibus cum in bellicosis et aliis rerum arduarum et expeditionum generibus fidei sue creditis variis fortune casibus se submittendo, neque etiam amplissimis impendiis, neque corporis et animi sui defatigationibus pro nostri nominis gloria et exaltatione parcendo, cum omni fidelitatis constantia prudenter viriliterque et utiliter, ac indefessa sollicitudine exhibuit, ita ut in ipsius laboribus, sudoribus optime quieverimus semper et refecti fuerimus. Volentes igitur eundem pro tam fidelibus et meritoriis, ac aliis quam plurimis laude dignis obsequiis suis que presentibus propter suam prolixitatem inserendo essent toediosa, regii favoris nostri et gratie plenitudine prosequi et amplecti, castra diruta Lindua et Nempthy vocata iuxta fluvium Kereka [al. Czereka] et oppida et possessiones, villasque Csernecsszegh vocatas ad eadem pertinentes in Szaladiensi, Simigiensi et Crisiensi comitatibus existentes et habitas cum omnibus suis utilitatibus videlicet, terris cultis et incultis, vineis, sylvis, nemoribus, virgultis, foenetis, pratis, molendinis locisque molendinorum, stagnis, piscinis, piscaturis fluvio Kereka, ac aliis aquis aquarumve decursibus nec non quibuslibet aliis fructibus, usibus, iuribus, proventibus et pertinentiis universis, ad eadem castra Lendua et Nemphty (!) villasque pretactas spectantibus quovis nominis vocabulo vocitatis et in superficie earumdem existentibus sub antiquis metis et terminis, quibus ab olim per priores suos possessores habite et possesse extiterunt, ac eo iuris titulo et ea plenitudinis quantitate, ad quemamodum ad nostram regiam collationem dignoscuntur pertinere, eidem magistro Stephano bano filio condam predicti Haholth, ipsiusque heredibus heredumque suorum successoribus ac posteritatibus utriusque sexus universis ex certa nostra scientia et animo deliberato consensuque et beneplacita voluntate nostra ac dominorum prelatorum et baronum regni nostri ad id accedente consilio de manibus nostris regiis libere dedimus, donavimus et contulimus, perpetuo et irrevocabiliter tenendam, possidendam pariter et habendam salvo iure alieno harum nostrarum vigore et testimonio litterarum mediantibus. Datum Bude in festo resurrectionis domini. Anno MCCLXXVIII. regni autem nostri anno II. [VII.]

*Iz diplomatske zbirke Daniela Cornidesa u narod. muzeju u Budimpešti (sig. 2220. fol. lat.). Kolekcija nije kronološki poredana, pak za to se u tih 7 ogromnih svezaka ova listina nije mogla pronaći.*

*Fejér Cod. dipl. V. 2, 430—432, V. 2, 478—481.*

## 207.

**1278, 20. aprila. U Dubici.**

*Stjepan ban i braća sklapaju mir s Ivanom banom slavonskim i drugima.*

Nos Stephanus banus filius comitis St[ephani] de Vodyche significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis, quod nos pro nobis, pro comite Rad[izlao] fratre nostro, Nicholao filio Baboneg, Farcasio et Vlchota filiis Jelenk, filiis Arlandi, Gardon, Irso et Grobysse filiis Stephani de Lapuch comisimus super omnibus causis seu articulis per quos inter nos fratres et socios nostros a parte vna, item magistrum Johannem, N[icolaum] banum tocius Sclauonie et comitem Henricum fratrem eorundem ac socios eorundem ab altera discordia fuerat suscitata et exorta, spontanea uoluntate, prestito sacramento, data fide factoque sacro ligno viuifice crucis ad arbitrium proborum virorum et honestorum videlicet capitanei et marescalci milicie domini regis Karoli, ac fratris G[irardi] magistri domorum milicie Templi per Vngariam et Sclauoniam, qui data fide, interposita quoque diligenti et sollerti cura inter nos huiusmodi pacem, ordinacionem seu concordiam ab vtraque parte fratrum et sociorum vtriusque firmiter assumpmentibus et obseruare uolentibus ordinarunt, quod idem magister Johannes fratres et socii sui nobis fratribus sociis et cognatis nostris annuerunt, vt quicquid nos fratres et socii nostri vniuersi tempore guerrarum quibusdam nocuimus, penitus est indulsum et omnino relaxatum, ita quod super nocumentis hactenus perpetratis contra nos nec questio nec iudicium esse potest. Preterea idem magister Johannes fratres et socii sui pro morte Joachini bani bone memorie seu possessionibus ipsius aut fratrum suorum contra nos fratres et socios nostros, nec in iudicio, si forte fieri contigeret per aliquem, nec in aliis aliquibus causis se intromittent vllo modo, nec fratres dicti J[oachini] bani contra nos adiuuabunt nec partem ipsorum confouebunt, si etiam ad premissa exercenda eis a domino rege uel regina eueniret mandatum speciale; immo si forsitan fratres predicti J[oachini] bani potencialiter aut armata manu insurgerent contra nos, extunc idem magister Johannes cum fratribus et sociis suis, nos fratres et socios nostros tamquam sibi subditos totis viribus proteget et tuetur ac similiter deffensabit nos contra omnes homines, qui nobis nocere aut molestias inferre niterentur. Ceterum obsides et captiuos, quos de societate nostra habent, penitus sine precio remittent; nos eciam e conuerso obsides et captiuos quos habemus tempore guerre captos et receptos

similiter sine precio remittemus preter obsides magistri Nicholai fratris dicti J[oachimi] bani et preter castrum suum Stenichnak vocatum, quia de presenti ordinatione factum eorundem est penitus pretermissum. Insuper prefatus magister J[ohannes] cum fratribus et sociis suis omnes possessiones nostras hereditarias videlicet empticias et de iure acquisitas habendas et possidendas nobis permiserunt pacifice et quiete, prout easdem hactenus dignoscimus tenuisse, possessiones uero nobilium uel aliorum quorumlibet seu iura ducatui uel banatui spectancia remittemus ad ius et consuetudinem penitus obseruatam, nec ulterius ad ea que tempore guerre potencialiter detinuimus occupata extendemus in aliquo manus nostras. Ad hec, vt nos cum fratribus et sociis nostris eidem magistro J[ohanni] fratribus et sociis suis commodius contra omnes societatem valeamus obseruare partemque ipsorum valide confouere semper et ubique, idem magister J[ohannes fratres et socii sui nobis, fratribus, cognatis et sociis prefatis duos comitatus de Pezeth, item comitatus de Guerce, de Gay, de Dressnik et de Nouo castro ac villam Pet[ri ne ad peticionem capitanei contulerunt ad percipienda iura consueta eorundem tenendos et habendos et id nobis ex uoluntate et consensu domini A[ndree] ducis contulerunt. Insuper ut pax sic ordinata inuiolabiliter im perpetuum perseueret, nos et Farcasius de societate nostra dedimus filios nostros et dictus magister J[ohannes] de parte sua dedit filium suum ad manus dicti capitanei retinendos vsque ventur[am] pascam; ita tamen quod obsides iamdictos prefatus capitaneus extra terminos regni regis Vngarie deffere non valeat, set eosdem conseruet uel conseruari faciat intra fines regni antedicti. Item extitit per eosdem arbitros ordinatum nobis, sponte assumpmentibus, vt si que parcium premissam ordinacionem preteriret uel paci contrairet, periura publice habeatur et nichilominus pena duorum millium marcarum aggrauetur; cuius pene dimidietas scilicet mille marce ipsi capitaneo detentori obsidum et ordinatori pacis, residue uero mille marce parti pacem obseruanti debent prouenire. Dicimus etiam], quod adueniente pascha iidem obsides remittentur parentibus suis, si nos et pars aduersa prefatam pacem obseruabimus; si uero non, extunc obses partis pacem obseruantis remittetur, obses autem discordantis et concordiam rumpentis pro ipsa tota pena per eundem capitaneum detinebitur, donec ipsa pena, videlicet duo millia marcarum modo prescripto plenarie persoluatur. Et si ipse capitaneus medio tempore, antequam obsides remittantur, de regno ipsius domini nostri regis aliquo casu discederet, extunc obsides ipsos in hoc regno commode collocabit, vbi commodius et vtilius considerabit, secum non transducens extra regnum, prout ad fidem et humanitatem suam id assumpsit. Item idem magister J[ohannes] pro se et N[icolao] fratre suo

bano assumpsit et compromisit pura fide, vt ad factum castri Ozol contra nos se nullatenus et iuxta naturam intromittet et neminem adiuuabit, immo pocius, si qui potencialiter insurgerent contra nos super facto dicti castri, extunc nos et fratres et socios nostros contra nos potencialiter insurgentes adiuuabit toto nisu Preterea ordinatum est, quod quicquid filii Arlandi tempore guerre in societate nostra quibuslibet nocuerunt, eisdem penitus est indultum preter factum comitis P[er]cini, quod ad arbitrium proborum virorum iidem filii Arlandi et comes Percinus predictus commiserunt. Item nos fratres et omnes socii nostri ipsum magistrum J[ohannem] fratres et socios suos contra omnes homines de[fende]ndo totis viribus adiuuabimus et partem ipsorum confouemus. Item prefati arbitri ordinarunt, vt viri discreti capitulum Zagrabiense, idem magister milicie Templi et comes Percinus super singulis causis inquisitores veritatis habeantur et iuxta ipsarum assercionem preterita, que per hanc ordinacionem sunt sopita, occasione nocumenti in posterum perpetrati non valeant suscitari, nec etiam ea que per quempiam postea fient occasione preterito ad nichilum aliquatenus contra iusticiam deducantur. In cuius rei perpetuam stabilitatem presentes tradidimus nostro sigillo auttentico communitas. Datum in Dobice quarta feria proxima ante festum sancti Georgii martiris anno domini MCC. septuagesimo octauo.

*Iz izvorne potvrde kralja napuljskog Karla od 1278. 21. augusta u kr. ug. drž. arkivu u Budimu D. L. 38.477. (Porpetto no. 5.)*

*Thallóczy-Barabás 24—27, br. 13. — Kukuljević Reg. no 1236. (vrlo kratko.)*

## 208.

**1278, 26. maja.**

*Ban Nikola popisuje slobode i prava Turopoljaca.*

Nos Nicolaus banus tocius Sclauonie significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis, quod cum tercia feria proxima ante ascensionem domini congregacionem regni Sclauonie Zagrabie haberemus generalem, vniuersi iobagiones castri Zagrabiensis ad nostram accedentes presenciam in communi concilio predicto condiciones libertatum ipsorum antiquas nobis exposuerunt sub hac forma, quod persolutis commutacionibus descensuum ex parte ipsorum prouenientibus, nec viceiudex noster aut curialis comes eiusdem descensum facere possent inter ipsos, si vero descensum facerent, eo facto a debito commutacionis descensus iidem

iobagiones castri essent expediti, si vero descensum non facerent, extunc semel in anno saltem circa festum sancti Martini racione eiusdem descensus comiti nostro decem et octo pensas iidem iobagiones castri dare tenerentur Et sub eadem forma racione descensus nostri in festo predicto nobis octo marcas soluere teneantur et quidem nec iudex noster nec curialis comes ipsius in eundo versus Gwozd vel redeundo descensum facere possent inter ipsos vel familia eorundem aut nostra. Item quantum in habita composicione aduerse parti darent, tantundem iudici dare tenerentur, nec aliquis possessionatus racione alicuius debiti deberet captiuari. Si quis uero ex ipsis contumacia ductus usque septimum terminum iuri parere negligeret, penam eiusdem terrestris comes iudicis nostri predicti recipere teneretur et receptam ipsi comiti nostro assignare, nec aliquis inter ipsos terrestris comes esse possit, nisi de communi consensu eorundem et euoluto termino anni terrestrem comitatum renouandi haberent facultatem. Subiunxerunt eciam, quod nullus collectorum iobagiones in curia eorundem iobagionum castri existentes dicandi haberent opcionem. Nec racione iudiciorum exercitus ipsos possemus aggrauare, nisi eadem collecta emergerentur per regnum supradictum. Curialis vero comes Zagrabiensis predictus nullo vnquam tempore posset descensum facere inter ipsos. Nos itaque auditis et intellectis libertatibus supradictis, volentes plenius certificari de eisdem, vniuersos nobiles regni, quorum multitudo adherat copiosa, requisiuimus, qui vnanimiter retulerunt, quod iidem iobagiones castri a tempore cuius memoria non extat, in libertatibus predictis permansissent. Vnde nos per nobiles regni certificati de libertatibus supradictis, easdem, ne in futurum per quempiam possint irritari, presentibus duximus roborandas In facti memoriam et cautelam ampliorem presentes contulimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum Zagrabie in ascensione domini anno ab incarnacione eiusdem MCCLXX. octauo.

*Original na ljubičastoj vrvci visi satrti pečat — U arkivu općine Turopolja. Prepisao to ban Mikac god. 1326. Potvrda kralja Ladislava god. 1279. opetovano potvrdjena po kralju Sigismundu god. 1436. i Vladislavu god. 1516.*

*Fejer Cod. dipl. V. vol 2. 498. — Kukuljević Jura regni I 8788 — Kukuljević Reg. no. 1239. — Laszowski Spom Turopolja I. 30—31.*

## 209.

**1278, 27. maja. U Kéthidu.**

*Andrija herceg hrvatski daje povlasti narodu crkve vesprimske.*

Andreas dei gratia dux totius Sclavoniae, Dalmatiae et Croatiae, omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in omnium salvatore. Ad universorum notitiam tenore presentium volumus pervenire, quod quum per fideles nostros venerabile capitulum Vesprimiensis ecclesie vehemens eiusdem destructio eidem ecclesie et notoria nobis extiterit medullitus declarata, cordis nostri precordia non sine ingenti molestia penetravit et quasi nostrae mentis intentionem subtilius demulcendo coelestis principe militiae, Michaele scilicet archangelo, gubernante ad ea non sollicite perduxit, per quae eadem ecclesia suae reparationis antidota recipiat opportuna. Inter illa namque omnia nostrae largitionis donativa, quibus dictam ecclesiam affectuose ditare volumus et dotare, principaliter hanc specialem ipsi ecclesiae Vesprimiensi nostrorum ducti baronum consilio salubri gratiam duxerimus faciendam· quod prefate ecclesie populi universi in ambitu comitatus Simighiensis, Vesprimiensis et Szaladiensis in quibuscunque locis constituti ab omni iurisdictione et iudicio comitum seu curialium comitum Simeghiensis, Vesprimiensis et Szaladiensis constitutorum per eosdem habeantur prorsus expediti et liberaliter sint exempti, prout per alios reges, proavos et predecessores nostros ipsi Vesprimiensi ecclesie indultum fuerat et concessum, annuentes magnifice seu volentes, quod a modo nullus comitum seu curialium comitum predictorum comitatuum ipsos populos suo adstare iudicio compellat, seu compellere presumat, nostri in omnibus dumtaxat iudicii experientiae relinquendo. Si qui vero huic nostre concessioni feliciter admissae voluerint contraire, vindictam sentient. Datum apud Kedhida circa festum ascensionis domini sexto kalendas iunii, anno millesimo ducentesimo septuagesimo octavo.

*Katona VII. 758. — Fejér Cod. dipl. V. 2. 471—2. — Kukuljević Reg. no. 1240*

## 210.

**1278, 6. juna. U Čazmi.**

*Pred kaptolom čazmanskim biva prodaja zemlje Gumčine.*

Nos capitulum Chazmensis ecclesie tenore presencium significamus quibus expedit vniuersis, quod Egidio (filio) Raguyn et Dominico filio Iwan a parte una, ab altera autem comite Odouich filio Gurgus tam pro se quam pro Elya fratre suo coram nobis personaliter constitutis, idem Egidius vineam suam super terra Gumzyna filii Wecherini, quam idem a Mark filio Iwan comparasse dinoscitur existentem, inter vineas eiusdem Guemzyna (!) sitam pro tribus marcis plene acceptis, prout dixit. Item aliam 'vineam suam iuxta Zaposchycha super terra dicti Guemzyna constitutam pro una marca confessus est uendidisse eisdem comiti Odouich et Elye irreuocabiliter habendas et iure perpetuo possidendas. Item idem Dominicus uineam Iwanch ad ipsum ex parte dicti Egidij deuolutam super terra ipsius Gumzyna inter uineas eiusdem existentem confessus est vendidisse predictis comiti Odouich et Elye pro (sex marcis), prout retulit, iam acceptis irreuocabiliter habendam et iure perpetuo possidendam. Astitit eciam coram nobis personaliter Guemzyna supradictus, qui (dictis) uendicionibus uinearum in nullo contradicens, fauorabilem consensum prebuit et assensum. Vt igitur prescriptarum vendicionum series robur perpetue firmitatis (obtineat), nec per quempiam processu temporis ualeat retractari seu in irritum reuocari, sed semper salua et inuiolabilis in perpetuum perseueret, presentes concessimus sigilli nostri patrocinio communitas Datum secunda feria proxima post festum pentecostes anno domini millesimo ducentesimo LXX⁰ octauo.

*Po originalu u arkivu knezova Batthyána u Körmendu. Na crvenožutoj svilenoj vrvci nekoć visio pečat, sada ga nema. Listina na desnom pregibu vrlo oštećena i zamrljana. A. IV. L. VIII. no. 266. — Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont. XII. 239—240. — Kukuljević Reg. no. 1251.*

## 211.

**1278, 12. juna. U Kosku.**

*Ivan tavernik Andrije hercega hrvatskoga obećaje držati privilegij podijeljen kaptolu vesprimskomu.*

Nos Joannes magister tavernicorum domini Andreae inclyti ducis totius Sclavonie et comes Szaladiensis memoriae commendantes signifi-

camus tenore presentium universis, quod reverendi nostri capitulum ecclesiae Vesprimiensis, per suos procuratores speciales fecerunt nobis exhibere privilegium domini nostri Andreae, magnifici ducis totius Sclavoniae, Dalmatiae atque Croatiae, in cuius tenore comperimus evidenter, quod idem dominus noster et dux calamitatibus et pressurae ecclesiae Vesprimiensis compatiens admodum, eandem ecclesiam reformare salubriter cupiens hac inter cetera libertatis praerogativa sublimavit; quod praefatae ecclesiae populi universi in comitatu Zaladiensi, quocunque locorum constituti comitum seu curialium Zaladiensium pro tempore constitutorum in praesentia super nullis articulis adstare a modo teneantur, dans nobis firmiter in mandatis, ut populos memoratae ecclesiae contra formam privilegii nec molestaremus nec molestari per quoslibet pateremur. Verum cum nos in his et aliis domini nostri ducis praeceptum velimus minime praeterire, ecce nostras nostrorumque officialium manus a iurisdictione et iudicatu universorum populorum praedictae ecclesiae retrahimus et sedamus, volentes et declarantes, quod quicunque dictos populos convenerint, non in nostri vel officialium nostrorum praesentia, sed coram eodem domino nostro duce experiri debeant cum eisdem et qui uero secus aliquid attentaverint vel attentare voluerint, quantum poterimus illis resistemus praefatos populos illaesos per omnia conservando. Datum Koszko in octavis pentecostes, anno 1278.

*Fejér Cod. dipl. Hung. V. 2, 472—3. — Kukuljević Reg. no. 1243*

## 212.

**1278, 13. juna. U Cazmi.**

*Kaptol čazmanski svjedoči o prodaji zemalja u Garešnici.*

Capitulum Chasmensis ecclesie vniversis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in domino sempiternam. Ad universorum noticiam serie presencium volumus pervenire, quod Tiburcio Capitoso, Martino filio Kuchk, Iwan filio Dragchyn, Stephano filio Bodou, magistro Walentino, Damyano magistro et Johanne filio Stephani dicti Boorh iobagionibus castri de Gresenche, a parte una et Benedicto filio Martini coram nobis personaliter constitutis ab altera, idem Tiburcius vineam suam super terra ipsius Benedicti comitis iuxta vineam eiusdem existentem pro sex marcis pleno acceptis, sicut dixit, item Martinus et Iwan predicti quandam vineam eorum super faciem terre ipsius comitis Benedicti super Pomlew constitutam pro tribus marcis et dimidia, prout re-

tulerunt iam acceptis. Item predictus Stephanus unam vineam suam pro una marca, magister Walentinus predictus quandam vineam suam similiter pro una marca, magister Damianus prefatus unam vineam suam pro duabus marcis et Johannes prescriptus quandam vineam suam pro duabus marcis et dimidia ex integro acceptis, ut dixerunt, super terra dicti comitis Benedicti seriatim constitutas et existentes confessi sunt vendidisse eidem comiti Benedicto et suis per eum heredibus irreuocabiliter habendas et iure perpetuo possidendas. In quarum vendicionum memoriam pleniorem et robur presentes concessimus sigilli nostri patrocinio communitas. Datum et actum in crastino octavarum pentecostes, anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo octavo.

*Cod. dipl. patrius VII. 166—7. no. 125. Po originalu u arkivu grofova Erdödya u Glogovcu.*

## 213.

**1278. 24. juna. U Čazmi.**

*Pred kaptolom čazmanskim biva prodaja zemlje.*

Capitulum Chazmensis ecclesie vniuersis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam serie presencium volumus peruenire, quod Iwan filio Beryzlay a parte vna, ab altera autem magistro Blasio seruiente comitis Elye Saxonis vice et nomine eiusdem domini sui, coram nobis personaliter constitutis, idem Iwan porcionem terre sue in Polychna ipsum, sicut dixit, concernentem cum siluis et vniuersis aliis attinenciis ac vtilitatibus suis, sub metis, terminis et signis infrascriptis confessus est, ex permisione et beneplacito Martiny et Dominici fratrum suorum uendidisse eidem comiti Elye et suis per eum heredibus pro triginta et tribus marcis plene acceptis, sicut dixit, irreuocabiliter habendam et iure perpetuo possidendam. Item Isan filius Guerden coram nobis personaliter constitutus quandam particulam terre sue, adiacentem terre eiusdem Iwan, uendidit eidem comiti Elye pro una marca coram nobis accepta iure perpetuo possidendam et habendam. Mete autem terre per dictum Iwan vendite et particule terre vendite per Isan prescriptum, sicut homo noster, quem ad faciem earundem miseramus, nobis recitauit, presentibus et consencientibus commetaneis et vicinis, quorum nomina inferius exprimuntur, pacifice et quiete erecte hoc ordine distinguntur: videlicet prima meta incipit a parte orientis in commetacione terre Stephani filii Ste-

phani ab arbore gartan cruce signata meta terrea circumfusa, inde ad fluuium Blanycha, in quo procedens inferius uersus partem occidentis in magno spacio exit ad metam terream in qua est dumus jawor, inde in una ualle uersus meridiem tendens exit ad metam terream sitam iuxta uiam; inde in eadem via declinat uersus partem occidentis et peruenit ad magnam uiam, ubi est meta terrea, ibique commetatur particule terre uendite per Isan prefatum; inde in eadem magna via uersus meridiem procedens exit ad arborem ihor cruce signatam meta terrea circumfusam, inde directe procedens uenit ad arborem haas cruce signatam meta terrea circumfusam, sitam iuxta fluuium Charna reka; inde in eodem fluuio procedens inferius iuxta terram magistri Moys in magno spacio uenit ad locum, ubi quidam riuus Dobouech uocatus cadit in dictum fluuium Charna reka, ibique est arbor gartan cruce signata, sub qua est meta terrea; inde in eodem riuo Dobouech, iuxta terram dicti Iwan, ac Dominici fratris eiusdem procedens superius uersus partem septemtrionis in magno spacio exit ad metam terream sitam iuxta uiam, inde in eadem uia procedens in magno spacio uenit ad metam terream, inde in alia uia procedens uenit ad viam cruce signatam, inde in uia declinat ad metam terream sitam iuxta fluuium Jawarawa, in quo procedens superius in medico spacio uenit ad quendam riuulum, in quo tendens superius iuxta terram filiorum Guerden exit ad metam terream, inde iuxta siluam uersus partem orientis procedens uenit ad arborem haas cruce signatam, meta terrea circumfusam, inde ad aliam arborem haas cruce signatam, inde per siluam procedens uersus septemtrionem uenit ad arborem bik cruce signatam; inde directe uenit ad metam terream, inde ad siluam, in qua procedens per continuas arbores cruce signatas iuxta terram predicti Stephani in magno spacio uenit ad arborem ihor cruce signatam meta terrea circumfusam, ubi uicinatur terre Jacobi filii Stepk; inde uersus partem orientis per arbores cruce signatas procedens uenit ad arborem gartan cruce signatam; inde in commetaneitate terre dicti Stephani per continuas arbores cruce signatas in magno spacio uenit ad priorem metam, ibique terminatur. In cuius uendicionis memoriam pleniorem et robur presentes concessimus sigilli nostri patrocinio communitas. Datum in festo beati Johannis Baptiste anno Domini M°CC°LXX octauo.

*Original u kr. ug. drž. arkivu u Budimu D. L. no. 1005. (Stara sign. N. R. A. fasc. 935 no. 4.) — Na listini visi na svilenoj vrvci crvene, modre, zelene i bijele boje posve istrošeni pečat.*

*Wenzel Cod. dip. Arpad. XII 237—9. — Kukuljević Reg no. 1244*

## 214.

**1278, 30. jula. U Viterbi.**

*Nikola III. papa magistru Gerardu, da novce sabrane u Poljskoj i Ugarskoj za potporu svete zemlje odnese u Zagreb ili Senj.*

Nicolaus episcopus servus servorum dei dilecto filio magistro Girardino de Mutina, subdiacono et scriptori nostro, collectori decime in Ungarie ac Polonie partibus terre sancte subsidio deputate salutem et apostolicam benedictionem. Cum, sicut accepimus, propter turbationem et guerrarum discrimina, que frequenter in Ungarie ac Polonie partibus suscitantur, collecta per te in partibus ipsis pecunia, ratione decime terre sancte subsidio inibi deputate non possit cum securitate servari, provideri super hoc per sedem apostolicam postulasti: nos itaque tuam in hac parte sollicitudinem commendantes, ac omne submoveri cupientes obstaculum, per quod prefatum subsidium quovis modo diminui valeat, vel etiam impediri, compellendi archiepiscopos et episcopos, ac abbates Cisterciensis et sancti Benedicti ordinum, aliosque prelatos ecclesiarum, necnon magistros et preceptores domorum militie templi et hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani illarum partium, cuiuscumque dignitatis, ordinis, conditionis seu gradus existant, de quibus videris expedire, quod huiusmodi pecuniam, tam collectam, quam etiam colligendam, cum per te super hoc fuerint requisiti, ad Zagrabiensem vel Signensem civitates suis periculis deferant et expensis, tibi eam ibidem per ipsos fideliter assignandam, plenam et liberam concedimus tibi auctoritate presentium facultatem. Non obstante, si aliquibus a sede sit indultum eadem, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras dicte sedis, non facientes plenam expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia prefate sedis indulgentia, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat vel differri. Datum Viterbi III. kal. augusti, pontificatus nostri anno primo.

*Theiner Mon. Hung. I. br. 543. str. 327. Iz reg. orig. an. I. ep. 128. — Katona Hist. crit. VII. 769. — Fejer Cod. dipl. V. 2, 461. — Potthast Reg. pontif. no. 21.368.*

## 215.

**1278, 1. augusta. U Čazmi.**

*Pred kaptolom čazmanskim ustanovljuje se prodaja zemlje knezu Ruhu i brati njegovoj.*

Capitulum Chasmensis ecclesie Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit universis salutem in domino sempiternam. Ad universorum noticiam serie presencium volumus pervenire, quod Vrbano, Benedicto sacerdote et Isep filiis Bogdani a parte una, ab altera autem comite Ruh pro se et Stephano, Jacobo et Benedicto fratribus suis coram nobis personaliter constitutis, iidem Vrbanus, Benedictus sacerdos et Isep de terra eorum in Prybenesech ipsos, ut dixerunt, contingenti, quandam particulam terre ipsius Roh (!) comitis contiguam et conterminam, quo metis et terminis distingitur infrascriptis. Item sextam partem silue aquose, quam priuilegium regale circuit et concludit, que quidem sexta pars silve ipsos, sicut retulerunt, proporcione contingit, confessi sunt uendidisse eidem comiti Ruh et fratribus suis predictis pro sex marcis iure perpetuo possidere et habere. Diximus quidem, quod iidem comes Ruh et fratres sui de ipsa terra unum fertonem solvere tenebuntur annuatim. Cuius particule terre mete, sicut homo noster, quem ad faciem eiusdem miseramus, nobis recitavit, presentibus commetaneis et vicinis pacifice et quiete erecte, taliter distinguntur. Videlicet prima meta incipit a parte septemtrionis in conmetacione terre Thome filii Eze a fluvio Pribenesech. Inde in una sicca valle procedens versus meridiem exit ad arborem iawor cruce signatam, meta terrea circumfusam. Inde versus partem orientis procedens, venit ad arborem tul cruce signatam, meta terrea circumfusam. Inde ad vallem in qua est fluvius Koledyn et in eadem procedens superius iuxta terram Pouko filii Bethlen exit ad arborem gartan cruce signatam meta terrea circumfusam, ubi conmetatur terre venditorum. Inde pertransiens unum Cherech procedensque iuxta silyam venit ad arborem ihor cruce signatam meta terrea circumfusam. Inde in una modica valle procedens superius venit ad viam, ubi est meta terrea. Inde in eadem via tendens versus partem occidentis venit ad viam cruce signatam, ubi est meta terrea, ibique conterminatur terre Blasii filii Demetrii. Inde in uno termino procedens cadit ad caput fluvii Pribenesceh, ubi conmetatur terre eiusdem comitis Ruh. Inde in eodem Pribenesech procedens inferius in magno spacio venit ad priorem metam ibique terminatur. In cuius vendicionis memoriam et robur presentes

concessimus sigilli nostri patrocinio communitas. Datum in octavis beati Jacobi apostoli, anno domini M°CC°LXX° octavo.

*Cod. dipl. patrius. VIII. 178—9. no. 139. — Po originalu u arkivu grofova Erdődya u Glogovcu. Pečat otpao vrvce svilene raznobojne ostale. Kukuljević Reg. 1245.*

## 216.

**1278, 4. augusta. U Viterbi.**

*Papa Nikola III. blagosivljujuć red Franjevaca želi, da budu Židovi zaštićeni od neopravdanih navala.*

Nicolaus episcopus servus seruorum dei dilectis filiis (fratri Michaeli de Jadera) ministro ordinis fratrum Minorum in Sclavonia salutem et apostolicam benedictionem. Vineam Sareth velut electam plantavit dextera dei patris et omne semen verum seminavit in ipsa, angelica custodia sepivit illam, lapidos nocivos eiecit ex ea. Hanc de Aegypto in luto et latere sub iugo Pharaonis oppressam in signis et prodigiis transferens, dux itineris eius existens, in terram promissionis adduxit. Vinea enim domini exercituum domus Israel est et viri Juda delectabile germen eius. Hanc sic mire translatam quasi adhuc rudem campum vomere legali proscindens prophetali doctrina sulcauit, ut ipsam ad maturam frugem, id est ad regenerationis gratiam prepararet. Sed proh dolor, peccatorum spinis obsita, nullum ymbrem gratiae spiritualis excipiens quae sperabatur, ut uvas educeret, labruscas eduxit. Unde sperabatur iudicium, processit iniquitas. Unde iustitia, inde clamor. Hec est vinea, in qua fici arbor scilicet sinagoga Judeorum plantata evangelica veritate describitur, cuius plantator Christus, coetus apostolicus cultor extitit. Hec triplici tempore quasi tribus armis, ut fructum produceret, expectata infructuosa reperta cultori succidenda predicitur. Nam nec tempore circumcisionis anime non querebat, nec sanctificata per legem, quia per eam tantum carnalia sequebatur, nec tandem iustificata per evangelii gratiam, quia gratiam recipere noluit, quin potius latorem gratie iustum iniuste peremit et quodam modo indurationem Pharaonis excedens, omne curantis et cure refutavit antidotum, adeo ut nec verbis, nec signis, nec sacramentis, quinimo nec ipsa Christi et dei corporali presentia molliretur. Multipharie enim multisque modis olim deus loquens antiquis ipsius sinagoge patribus in prophetis, novissime in fine temporum locutus est ipsis et vobis in filio, quem constituit heredem universorum,

per quem fecit et secula. Sub omnem escam abominata est anima eius et idcirco iuste, iuxta dei iudicio reprobatam, exterminavit eam aper de sylva et singularis ferus depastus est eam. Ablata est sepis eius, prosternata maceries et in direptionem deposita ut deserta, nec inventus est in terris amplius locus eius. Verum quia miserationes dei super omnia sua opera predicantur, qui omnes salvos fieri et neminem vult perire, qui se ipsum pro nobis et ipsis hostiam salutis exhibuit deo patri, qui exaltatus a terra expansis in cruce manibus ad se cuncta trahere evangelica voce predixit. Nos licet immeriti vices eius tenentes in terris, qui etiam iudaicam perfidiam a sua misericordia non repellit, libenter pro illius populi obsecracione labores appetimus, ut effectum nostrum divina prosequente clementia, cognita veritatis luce que Christus est, a suis tenebris eruantur. Porro quia Judeorum ipsorum, quasi per universum mundum divino iudicio, previsa dispersio ipsos ad recipiendum sacramenta fidei ad doctrinam comode in unum convenire non patitur, necessitate nos voluntarios urgente, compellimur per diversas mundi partes diversos seminatores eligere, per quos semen verbi dei, prout possibile est, spargamus in singulos, quorum salutem universaliter et singulariter affectamus. Ad te igitur inter alios, sub spe divine gratie, mentis nostre oculos convertentes, cum tui ordinis claritate reluceas et credaris ubilibet per opera utilia ex[1] exempla laudabilia fructuosus, et ex data tibi divinitus gratia sane te confidamus et posse fructus uberes in domo domini germinare, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quantum confidens in illo cui proprium est spirituales gratias elargiri, tales umbrarum tenebris obcecatos in commissa tibi provincia per te et alios fratres tui ordinis quos, ad hoc honestate morum experta scientia, probatis virtutibus, circumspectione provida et experientia comprobata, ydoneos cognoveris et quorum industria atque doctrina divinis donis a domino fecundata, intrepide per catholicam fidem reluceat et in sui claritate non titubet, sed tenebrosas mentes radiorum repercussione clarificet et obstinatas cervices reprimat perversorum. Judeos eosdem in terris et locis in quibus abitant generaliter et singulariter convocando, semel et pluries ac totiens repetitis instanciis, quoties proficere putaberis, prout melius fieri poterit predicationibus, salutaribus monitis et discretis inductionibus, evangelicis doctrinis informans, ipsos studeas iuxta datam tibi a domino gratiam, fugatis tenebrarum nubibus, ad viam reducere claritatis, ut renati fonte baptismatis reluceant in lumine vultus Christi et exinde corus angelicus delectetur. Tu quoque ac alii, quos ad prosecutionem tanti negotii dignos . . . . . . . . . . . . . boni premium, nostram

[1] Jamačno et.

quoque benedictionem et gratiam vobis de bono in melius reducetis et ut affectum, quem ad salutem status ipsorum gerit mater ecclesia, percipiant per effectum. In illos ex eis quos ad susceptionem sacri baptismatis gratia divina perduxerit, prelatis ac dominis locorum, in quibus tales habitare contigerit, ex parte nostra affectuosissime recomendes, ut deo gratias in recuperata ove perdita et filio prodigo redeunti, vitulum exaltationis et gaudii exhibentes, eas caritative foveant, favoribus muniant, benigne pertractent, nec ipsos in personis aut rebus per Judeos aut alios indebite molestari permittant; quin potius in omnibus favorabiliter ipsis assistant auxiliis opportunis. Sed si forte, quod absit, aliqui in eorum obstinata perfidia perdurantes et velut aspis surda suas aures incredulas obturantes, ne tui et illorum, quos ad hec salutis opera deputabis, vocem audiant, ut de tenebris ad lucem exeant incantantium, sapienter tuas et per te ad hoc deputandorum fratrum salutares convocationes aspernanter effugerent, de istis si tales inveneris, qui sint in quibus locis, et sub quorum dominio commorentur nobis rescribere non omittas ut circa pertinaces huiusmodi de salutari eorum remedio, sicut expedire videbimus, cogitemus. Ut antem de premissis avidis nostris conceptibus iuxta nostra desideria satisfiat, frequenter nobis intimare studeas, qualiter commissum tibi negotium prosperetur et qualem fructum seminata semina repromittant. Datum Viterbii II. nonas augusti, pontificatus nostri anno primo.

*Ripolli Bullarium praedicat. I. 558. no. 7. — Bullarium Rom. ed. Taur. IV. 45. no. 3. — Fabijanić Storia dei fratri minori. I. 417—20. — Potthast Reg. pontif. no. 21.388. — Kukuljević Reg. no. 1418.*

## 217.

**1278, 12. augusta.**

*Matija i Bartol, knezovi Krbavski, prodaju zemlju u Kruševu Kosi Saladinu, pa Damijanu i Grguru de Slorado.*

Nos comes Matheus de Crebaua (!) et Bartholomeus fratres filii condam comitis Grubesse Gussich confithemur(!) per hoc presens scriptum et facimus manifestum, quomodo de nostra pura libera et spontanea uoluntate damus insimul uendimus et donamus atque transactamus tibi namque nobili viro domino Cose Saladino totam ueram et integram medietatem totius terre nostre possite(!) ad Cruseuam pro indiuiso et alteram medietatem pro indiuiso ipsius terre uobis nobilibus viris Damiano et Gregorio fratribus filiis Barthi de Slorado. Cuius totius terre

nostre hii sunt confines: De trauersa est Chopriua, de austro ecclesia sancte Marie de Crusseua, de quirina est Ribniça et uersus boream est terra que uocatur Chotissina; ita, ut a modo in antea tu prenominatus Cosa Saladinus unam medietatem dicte terre et uos Damianus et Gregorius fratres aliam medietatem cum plena uirtute et potestate possitis cum uestris heredibus et successoribus intromittere, habere, tenere, gaudere, possidere, dare, donare, uendere pro anima et corpore indicare omnemque aliam uestram uoluntatem et utilitatem exinde libere facere cum omnibus suis certis terminis, pertinenciis, confinibus et habenciis, pascuis, arboribus et boschis seu nemoribus, tam subtus terram quam supra terram in integrum pertinentibus uel que pertinere sibi possunt. Precio cuius vendicionis nos suprascripti comes Matheus et Bartholomeus plene habuimus et recepimus a te supradicto Cosa soluente pro tua medietate dicte terre libras denariorum uenetorum paruorum centum; et a uobis prenominatis Damiano et Gregorio fratribus pro altera medietate eiusdem terre alias centum libras denariorum uenetorum paruorum, quas nobis dedistis et integre persoluistis. Vnde cum nostris heredibus et successoribus tenemur et promittimus totam supradictam terram nostram excalumpniare et defensare uobis suprascriptis emptoribus uelque heredibus et successoribus ab omni homine et persona super nos et omnia nostra bona presentia et futura. Ad cuius rei noticiam et maioris nexum firmitatis, ut maior fides sit manifesta, omnibus cum sigillis cereis pendentibus fratrum predicatorum de conuentu Jadre et sancti Gregorii de Aurana ac sigillo mei supradicti comitis Mathei in medio apposito presentem paginam fecimus comunire. Currente anno ab incarnacione domini nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo septuagesimo octauo, indicione sexta, die duodecimo intrante mense augusto.

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru odio sv. Dominika br. 2159.*

*Na listini nalaze se 3 uzice od pergamene, samo na jednoj visi pečat (samost. sv. Dominika).*

*Na hrptu kasnija bilješka (konac XIV. vijeka). Istud priuilegium continet quedam confinia comitatus Yadriensis.*

## 218.

**1278, 28. augusta. Kod jezera Pensilskoga.**

*Karlo, kralj napuljski potvrdjuje mir Stjepana bana, brače mu s Ivanom, banom Nikolom itd. (1278. 20. aprila).*

Karolus dei gracia rex Jer[uso]l[i]m(i) et Sicilie, ducatus Apulie, principatus Capue, alme vrbis senator, princeps Achaye, Andag[auensis,

prouincie Fourgualr[ensis] et Tournord[ensis] comes, ac romani imperii in Tuscia per sanctam romanam ecclesiam vicarius generalis, vniuersis presentes litteras inspecturis salutem in domino. Nouerint vniuersi, quod, cum inter filios Henrrici bani barones de Hungaria ex vna parte et Stephanum banum, Radizalaum, Nicholaum et Farcasium nobiles de Hungaria ex altera, guerra et discordia orta esset, iidem de predicta guerra seu discordia mediantibus domino Jacobo de Boursona capitaneo tunc temporis ad Vngariam per nos misso, domino Guilelmo Brunello marescalco atque fratre Girardo de Sanseto magistro milicie templi generali per Hungariam et Sclauoniam constituto, ad pacem seu concordiam venientibus, de ipsorum communi concordia per eorundem nuncios instanter a nobis humiliter petiuerunt, quatenus de ipsorum pace atque concordia nostrum priuilegium donaremus. Cuius pacis tenor talis est:

*(Slijedi listina Stjepana bana od 1278. 20. aprila).*

Nos igitur de profectu et statu regni Vngarie gratulantes, pacem prefatam ad honorem regis et regine Vngarie et bonum statum regni sui exist[er]e intendentes, prefatas eorum peticiones exequi uolumus et compleri, super hiis nostrum priuilegium concedentes, antedictam pacem sub eodem tenore quo utraque parcium se altari obligauit, integre confirmantes. Volentes insuper, ne predicta pax per aliquam parcium in aliquo uioletur, promittimus, quod, si altera alteri uiolaret, contra uiolantem cum altera parte uiriliter insurgemus. Datum apud lacum Pensilem anno domini millesimo CC⁰ septuagesimo octauo, vicesimo primo mensis augusti.

*Original pisan po učini u kr. ug. drž. arkivu u Budimu: D. L. 38.477 (bivši ark. frank. u Porpettu no. 5.). — Na listini vide se rupe, kuda su išle uzice za viseći pečat.*

*Na hrptu rukom XV. vijeka: »Littera Karulis regis Jerusolim super concordiam inter Stephanum comitem de Vodicha et Johannem fratrem eiusdem.*

*Thallóczy-Barabas Cod. Blagay. 28—29. no. 14. — Spominje je Kukuljević Reg. no. 1236.*

## 219.

**1278, 22. septembra. U Viterbi.**

*Nikola III. papa šalje svoga legata u Ugarsku, Hrvatsku, Poljsku i susjedne zemlje.*

Nicolaus episcopus servus servorum dei venerabili fratri Philippo episcopo Firmano, apostolice sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem. In eminenti sedis apostolice specula, disponente domino, constituti, domui Israel, universis videlicet christianis, qui fidei oculis deum vident, quantum nobis ex alto conceditur, oportunum speculatoris officium impertimur et cum indulgetur a divina clementia, reverenter ad cor altum accedimus, ut nomen domini sanctissimum tam in remotis extolli partibus, quam in vicinis etiam procuremus, apponentes manum nostre possibilitatis ad operam, quam speramus in excelsis fore placidam et in terris novimus oportunam Summus quidem orbis opifex et universe conditor creature terrestrem patriam disposuit sub provida discretione regnorum, eaque consulte voluit dirigi et salubri regimine gubernari, ne creaturam humanam paulo minorem angelis, que sui creatoris ymaginem et similitudinem representat, tempestuosa fluctuatione mixtaque confunderent et sue quietis beatudinem impedirent; quinimmo ut omnibus sub iuris et honestatis regula limitatis, singuli vita pacifica viverent et ab offensis alterutrum abstinerent, suumque factorem affectu naturali cognoscerent, cognitum colerent et reverenter divino imperio subiacerent. Demum vero idem pater altissimus ex alto prospiciens populum, quem curaverat, prothoplasti delicto dampnationis sententiam incurrise, suum dilectum unigenitum misericorditer in mundum pro ipsius redemptione populi destinavit, qui carnem nostre mortalitatis indutus, eundem popolum ab eterno cruciatu mortis eriperet et redemptum suo pretioso sanguine salvaret Nos igitur in hac terrestri patria quatenus possimus exequentes vices ipsius, levamus vigilis more pastoris tam corporeos quam mentales oculos in circuitu, visuri, quid gregi commisso nobis expediat et quid operis impendi debeat circa ipsum, ut illius fulti presidio, cuius sunt terre cardines,cui cogitationes hominum preparantur, quique fortium arcus superat et infirmos robore potenter accingit, nostri partes officii salubriter et utiliter exponamus, ad ea presertim, que fidelibus populis necessario expedire viderimus et noverimus profutura. Verum licet universis et singulis regionibus deo et apostolice sedi devotis favorem apostolicum, quotiens necessitas ingruit, impendere tene-

amur, nosque ad eas nostre considerationis diffundamus intuitum: nunc tamen nobilis regni Ungarie necessitates apostolice sedi frequenter expositas precordialiter intuemur, auditas recolimus, non sine cordis amaritudine sepius contemplamur. Condolemus enim tumultuosis motibus et seditiosis tumultibus illius, qui vel per dissidia simulctatum alterutrum dissident, vel congressus mutuos et bella plus quam civilia immaniter colliduntur, ex quibus inter alia dono pacis mortalibus cunctis accomodo libello dato repudii graviter solium regale deprimitur, eiusque depresso regimine non solum in regno ipso vastantur bona fidelium, sed iura ecclesiarum et aliorum piorum locorum in direptionem veniunt, et libertas ecclesiastica dampnabiliter conculcatur, animarum quoque subsecuntur deploranda pericula, nefanda personarum excidia et alia fere innumera detrimenta Quare non immerito accenditur zelus noster et ignis in nostre meditationis anxietatibus exardescit, dumque cogitationibus profundis immergimur et laboriosis vigiliis fatigamur, querentes anxie oportunum in tante necessitatis articulo remedium adhibere; licet desideremus interdum, quod si cum honore dei et ecclesie ac salubri statu ceterorum fidelium nostram possemus illic exhibere presentiam et quo mente ferimur, ibi personaliter existentes divina fulti potentia per evidentiam operis proprios explicaremus affectus; verumtamen quia id conditio nostra non patitur, quia ingruentium undique negotiorum immensitas sive varietas non permittit, ad te ut fortem mittamus ad fortia et tuis robustis humeris onera grandia imponamus, nostre convertimus diliberationis intuitum et in tuarum considerationem virtutum habuntanter tibi a domino concessarum, de concedentis affluenter et non improperantis omnipotentia et immensa benignitate sperando, nostre fluctuationis super hiis anxietas conquiescit nam cum sicut experientie probatione didicimus, dederit tibi dominus os et sapientiam linguamque adiecerit eruditam, ut scias, quando debeas proferre sermonem, cum etiam in te vigeat rectitudo iudicii, consilii providentia, in zelo sobrietas, in agendo strenuitas et experientia in arduis approbata, speramus nec immerito, quod actus tuos, illo dirigente, qui novit prava in directa et illo adiuvante, qui potest aspera in vias planas convertere, ac in predictis per tue circumspectionis industriam utili providentia et utilitate provida congrue consuli poterit et salubriter subveniri. Nos itaque tam ingenti et periculosa necessitate premissorum attente pensata, te de cuius claris meritis et probata industria plenam in domino fiduciam obtinemus, ad regnum ipsum tibi legationis officio plene commisso in eodem regno, ac Polonie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Lodomirie, Galitie et Cumanie partibus illi conterminis, ut in eis evellas et destruas, dissipes et disperdas, edifices et plantes in nomine domini, sicut videris

expedire, de fratrum nostrorum consilio velud pacis angelum destinamus, iniuncto tibi nichilominus, ut in regno ipso inter eundem regem et regni personas, necnon tam ibidem, quam in provinciis memoratis inter ecclesiasticos et mundanos viros et universos alios cuiuscumque condicionis, preminentie sive status agere studeas et tractare, que ad cultum dei, apostolice sedis honorem, observantiam canonice sanctionis, reintegrationem ecclesiastice libertatis, robur status regii, honestatis cultum, reformationem pacis, relevationem ecclesiastice libertatis, robur status regni, honestatis cultum, reformationem pacis, relevationem pauperum ac animarum salutem et tranquillitatem corporum pertinebunt. Et ut circa legationis officium, quod in eodem regno Ungarie tibi duximus committendum, eo possis prosperari facilius, quo solitis legatorum, qui missi de latere 'mare transeant, adornatus insigniis personam nostram quodammodo presentabis, de speciali gratia apostolica tibi auctoritate concedimus, quod eisdem insigniis infra predictum Ungarie regnum dumtaxat et terras dominio eiusdem regis subiectas uti libere valeas, predicte legationis officium prosequendo; ita tamen quod premissis insigniis in aliis commissis tibi partibus, provinciis et locis aliquatenus non utaris, et quod id, quod in hac parte tibi pro evidentibus necessitatibus et utilitatibus regni predicti et terrarum earumdem conceditur, ad aliquam consequentiam pretextu huiusmodi in regno et terris eisdem propter hoc imposterum non trahatur. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatenus iniunctum tibi onus laboris huiusmodi pro divina et nostra reverentia devota suscipiens, illud sic sollicite, sic viriliter et laudabiliter iuxta datam tibi a deo providentiam exequaris, quod de tuis studiosis laboribus, celesti favente clementia, fructus sperati prodeant et sollicitudinis tue ministerium eam, que pias causas gerentibus pro retributione impenditur, palmam glorie feliciter mereatur. Datum Viterbii X kal. octobris, pontificatus nostri anno primo.

*Theiner Mon. Hung. I. no. 544. str. 327—8. Iz reg. orig. an. I. ep. 309. — Raynaldi Ann. ad a. 1278. §. 23. — Kollar Historia iuris patron 17 — Fejér Cod. dipl V. 2, 485. — Wenzel Cod. dipl. Arp c. IV. 110. — Potthast Reg. pont. no. 21. 412*

## 220.

**1278, 22. septembra. U Viterbi.**

*Nikola III. papa kralju, kraljici i hercegu hrvatskomu, da dostojno prime njegova legata.*

Nicolaus episcopus servus servorum dei carissimo in Christo filio Ladizlao regi Ungarie illustri salutem et apostolicam benedictionem. In eminenti sedis apostolice benedictionem, etc. Quocirca serenitatem regiam rogamus et obsecramus in domino Jesu Christo, quatenus eundem episcopum, quem pro suarum virtutum insigniis interne complectimur brachio caritatis, immo potius personam nostram in ipso, cum illuc deo duce peruenerit, benigne recipiens et honeste pertractans, sibi tamquam apostolice sedis legato pro ipsius sedis et nostra reverentia te constituas verbo benivolum et vultu serenum eius salubribus monitis et consiliis, ne hiis que tibi ex parte nostra suaserit, ita efficaciter intendendo, quod episcopus ipse regio fultus auxilio in exequenda sollicitudine legationis ei credite possit cum adiutorio dei prosperari facilius, nosque tuam celsitudinem dignis laudum preconiis proinde merito attollamus. Datum Viterbii X. kal. octobris, pontificatus nostri anno primo.

In eodem modo nobili viro Andree, duci Sclavonie.

*Theiner Mon. Hung. I. br. 546. str 329. — Ex reg. orig. a. 1. ep. 310. — Potthast Reg. pontif. br. 21.414, 21.417.*

## 221.

**1278, 23. septembra. U Melfi.**

*Karlo kralj napuljski propušta provoz ladje u Trogir.*

Carolus I. rex Siciliae, iustitiario capitanate iubet, ut, quemadmodum, »per Guillelmum de Brueriis intellexit«, quam in portu Manfredoniae detinet navim, libere permittat discedere Tragurium.

*Registri Angioini a. 1268. O. fol. 2.*
*Rački Arkiv VII. 13.—14.*

*

## 222.

**1278, 26. septembra. U Melfi.**

*Karlo kralj napuljski propušta provoz žita u Trogir.*

Carolus I. rex Siciliae magistris procuratoribus Apuliae mandat, ut Sergio Picto permittant ducentas salmas ordei et 100 salmas frumenti, in duobus vaselis onerari et assignari Guillelmo de Brueriis et iudici Ade de Vigiliis, deferenda per eos ad vendendum apud Tragurium vel alia loca ipsarum partium.

*Registri Angioini 1278. O. fol. 2.*
*Rački Arkiv VII. 14.*

## 223.

**1278, 2. novembra. U Fogii.**

*Karlo napuljski kralj šalje svoga maršala i Ivana trogirskoga biskupa u Ugarsku.*

Scriptum est eidem. Quia executionem duorum mandatorum nostrorum patentium tibi pridie directorum, que per tuas litteras recepisse scripsisti, nostre celsitudini reser(v)asti et te soluisse scripsisti pro receptis pannis et pennis emptis per Rogerium de Camera familiarem nostrum, de consilio et cogniuentia Philippi de Sancta Cruce et Galgani de Marsa de Barulo, nostrorum fidelium pro robbis capitanei et marascalli et octo militum de comitiua eorum, qui de mandato nostri culminis olim in Vngariam accesserunt; nec non pro robbis venerabilis patris Johannis Traguriensis episcopi in Vngariam similiter tunc de nostro beneplacito protecturi, subscriptis mercatoribus subscriptam pecunie quantitatem, videlicet stabiliendo, de cuius significatione pecunie solute per te, in omnibus supradictis habere nostras licteras responsales humiliter supplicasti, tuis supplicationibus clementer admissis, significatione huiusmodi presentes maiestatis nostre licteras responsales tibi duximus remittendas; cuius pecunie quantitatem predictam solvisse scripsisti per predictas licteras tuas predictis mercatoribus de pannis et pennis, emptis predictis infra mensem augustum, V indictionis proxime preteritum, sicut predicte tue lictere continebant. Datum Fogie die II. novembris, VI. indictionis.

*Fejér Cod. dipl V. 2, 451.—452. Imade ovu notu: »E regesto Neapolitano anno 1278 notato inter diplomata et litteras vaticanas p. 5 P*

*33 leguntur etiam eiusdem Caroli litterae, quibus significat, se ad expugnandum Bellogradum ducentos armigeros equites cum equis quadringentis, ballistarios, pedites de novo receptos centum viginti addidisse ac misisse etc.*

*Wenzel Acta extera I. 60.—61.*

## 224.

**1278, 6. novembra. U Zagrebu.**

*Timotej biskup zagrebački, Matija palatin i priori cistercitski i templarski čine mir izmedju velikaša hrvatskih.*

Nos Timotheus miseratione divina episcopus Zagrabiensis, Matheus palatinus comes Symigiensis, Supruniensis et iudex Cumanorum, frater Matheus abbas Toplicensis ordinis Cystersiensis et frater Gyrardus magister domus militie templi per Ungariam et Sclavoniam, ac frater Hugo preceptor de Pucruch vice et nomine magistri domus hospitalis, magister Michael prepositus Zagrabiensis et magister Gyraldus archidiaconus de Zana, Dobycha et Vrbaz, magister Mamfridus archidiaconus de Guercha et magister Gregorius canonici ecclesie nostre vice et nomine capituli nostri Zagrabiensis, mediatores per dominum nostrum Ladislaum dei gratia illustrem regem Ungarie inter partes deputati, memorie commendantes significamus quibus expedit universis presentium per tenorem, quod cum super inimicitiis et hostilitatibus ac iniuriis universis, que inter magnificos viros, videlicet Nicolaum banum totius Sclavonie, Stephanum comitem Musoniensem iudicem curie domini nostri regis et magistrum Paulum fratres eiusdem, filios Stephani bani ac totam societatem et generationem eorundem ex una parte, Stephanum banum et comitem Radyslaum filios comitis Stephani, Nicolaum et Stephanum ac fratres eorundem filios comitis Babonyg, comitem Farcasium et Welsetham filios Jhelenk, comitem Gardun filium Gardun et Johannem filium Arlandi ac totam generationem eorundem et societatem ex altera, super morte Joachym bani felicis recordationis in area et communi congressu belli per eundem Stephanum banum et suos interempti orte et suscitate extiterant inter eos, partes nostras ex regio mandato pro bono pacis cum diligentia interposuissemus ad huiusmodi inimicitias et controversias sedandas et reformandas, quamquam huiusmodi tractatus pacis inter partes diutius fuisset protractus, tandem idem Nicolaus banus cor et animum paci applicans, ne per huiusmodi dissensiones, hostilitates et exercituum incursus regnum Sclavonie hinc inde ad exinanitionem ex-

treme virtutis deduceretur, sicut nudiustertius commissum extitit, factum seu etiam attemptatum, ultro et voluntarie pro se et fratribus suis ac tota generatione sua cessit et renunciavit omni questioni hostilitatis et inimicitiarum ac actioni suscitande in futurum pure et simpliciter; et ut huiusmodi pacis ordinatio firma, inviolabilis et inconcussa perseveret, castrum suum Stenesnak vocatum existens in terra Hutyna, quod eidem Stephano bano per nostras literas et fratrum nostrorum capituli vide licet Zagrabiensis, fratris Mathei abbatis de Toplicza similiter in forma compositionis prius inter eos habite pro summa mille marcarum et penis excrescentibus propter omissionem terminorum pecunie supra dicte pignori extiterat obligatum; et ut maior inter ipsos dilectio et amicitia propagaretur, terram sufficientem ad septem aratra iuxta idem castrum cum tributo et omnibus aliis utilitatibus et pertinentiis eiusdem terre de voluntate fratrum suorum dedit, reliquit et tradidit cum dicto castro Stephano bano et per eum suis heredibus, heredumque successoribus irrevocabiliter iure perpetuo possidendam et habendam et e converso idem Stephanus banus terram et possessionem Zlat vocatam cum omnibus utilitatibus suis et pertinentiis similiter propter bonum pacis resignavit et reliquit possidendam et habendam Nicolao bano et suis fratribus memoratis. Item castrum Jhezera in forma predicte ordinationis relictum extitit per ipsum Nicolaum banum et fratres suos comiti Farcasio et Wlseta fratri eiusdem, filiis Jhelenk cum omnibus suis utilitatibus et pertinentiis, quod castrum ex regia donatione dixerunt eisdem fuisse et esse collatum et ex titulo huiusmodi collationis per eos habitum, possessum et obtentum, cauto, quod ipsos tempore ipsius Nicolai bani super eodem castro turbari non continget. Item possessiones, quas dicti Stephanus banus et comes Radislaus ac filii Babonyg, comes Farkasius et Wlseta filii Jhelenk ac tota generatio ipsorum tam in Podgoria, Zana et alibi existentes emptitias, donativas seu et acquisitas habuerunt et habent, super quibus domini regis, capitulorum et aliorum iudicum literas habent, quibus merito astari possit et valeat, cedent eisdem et per eos eorum heredibus, heredumque successoribus perpetuo possidendas. Item possessiones Azarias filii Ludegares, fratris Stephani de Lapuch existentes iuxta aquam Hun, preter quartam partem eiusdem possessionis, quam idem Azarias in morte sua, ut fertur, reliquerat sorori sue, uxori videlicet Turde comitis, et alibi existentes reliquit, cessit et remisit pro se et fratribus suis dictis Gorbysa et Juphsa filiis Stephani de Lapuch et per eos eorum heredibus possidendas perpetuo et habendas, renuncians idem Nicolaus banus tam pro se, quam pro fratribus suis ac tota generatione et societate sua pure et simpliciter omni actioni, que super hoc eisdem in futurum competere possent in hac parte, super

quibus et iidem filii Stephani literis domini Ladislai illustris regis Ungarie se esse munitos affirmabant et eosdem predictus Nicolaus banus secundum formam prefate ordinationis tempore sui banatus assumpsit et promisit conservare in eisdem. Intervenit etiam in ipsa ordinatione, quod si tempore ipsius Nicolai bani Stephanum banum vel comitem Radislaum fratrem eiusdem, Nicolaum et Stephanum filios Babonyg, Farcasium vel Wlsetam fratrem suum ac cognatos ipsorum, populos et iobagiones ac alios pertinentes ad eosdem, quorum nomina in literis capituli Zagrabiensis exinde confectis plenius exprimuntur, per quospiam in iudicium trahi contingeret, non in presentia(m) ipsius Nicolai bani vel comitis Zagrabiensis et aliorum officialium suorum, sed dumtaxat in presentiam Timothei episcopi Zagrabiensis vel fratrum eiusdem videlicet capituli loci eiusdem evocentur. Commissa nichilominus nocumenta, huiusmodi articulis inimicitiarum pendentibus, regno per eosdem et perpetrata pro abolitis et non commissis habeantur. Item predictus Nicolaus banus vel sui comites et officiales in populis et iobagionibus ipsorum Stephani bani, comitis Radislai filiorum Babonyg, Farcasii et Wlseta ac generationum ipsorum pro eo, quod pendente predicta guerra possessiones eorum et populi ubique existentes per Ioachynum banum et suos exspoliati fuerint et destructi ratione descensus vel occasione collecte septem denariorum ac aliarum contractionum, que pertinent ad banatum, non possint vel debeant aggravari et si quos dicti Stephanus banus et comes Radyslaus ac alii prenotati in presentiam prefati Nicolai bani vel comitis seu officialis eiusdem convenire voluerint, eosdem in presentia dicti venerabilis patris vel capituli ac hominum eorundem, quos ad hoc deputaverint, debeant iudicare. Nec hoc pretermittimus, quod possessiones seu comitatus Drasnek et due partes duorum comitatuum Pset, Vlbywar et Gercha ac Petrina vocate remanserunt eisdem habende pacifice et tenende, prout tempore domini Andree ducis totius Sclavonie felicis recordationis et per literas magistri Johannis ac Nicolai bani, filiorum Heinrici bani per eosdem fuerant habite et possesse. Ceterum ordinatum extitit per nos inter partes, laudatum seu etiam arbitratum, quod questio super sanguinis effusione in ipso congressu belli commissa hinc et inde penitus sit abolita et sopita, nec super hoc ulterius per alterutrum partium in futurum moveri contingat questionem. Adjicimus etiam, quod ordinationem et compositionem prehabitam inter partes ad maiorem rei certitudinem et cautelam, ne per aliquam partem articuli prefati in recidive questionis scrupulum relabantur, idem Nicolaus banus literis privilegialibus domini nostri Ladislai illustris regis Ungarie ac baronum eiusdem videlicet Mathei palatini et Stephani comitis Posoniensis, filiorum magistri Mathei, Ugrini magistri tavarnicorum domini

regis et Fynta voyvode Transsilvanensis, qui procuratores seu nuncii prefati Stephani bani et comitis Radislai tenentur, impetrare et etiam venerabilium patrum dominorum Timothei Zagrabiensis, Dionysii Jauriensis et Lodomerii Waradiensis episcoporum ac capitulorum eorundem, item capitulorum Strigoniensis, Zagrabiensis, Albensis et Budensis ecclesiarum tenebitur confirmare. Intervenit etiam, quod si qua partium prioris machinationis carbones reaccendere attemptaverit, per quod predicte pacis et ordinationis effectus tam pie et salubriter ordinate possent violari, retractari vel infringi tam per se, quam per suos vel etiam extraneos aut forenses, ex tunc cum Dathan et Abyron, quos terra vivos absorbuit, accipiant portionem et nichilominus condigna regie severitatis animadversione plectantur et hoc idem dominus noster rex propter conservationem predicte pacis ad maiorem rei cautelam bona fide, exacta diligentia exequatur, preveniendo alterutrum partium, ut promisimus, si quam resilire contigerit de ordinatione pacis promisse vel eandem violare et insuper dictus venerabilis pater episcopus Zagrabiensis candelis accensis et extinctis et pulsatis campanis in ecclesia sua cathedrali violatores predicte pacis denunciabit in scriptis publice excommunicatos et faciet eosdem ab omnibus arctius evitari omnibus diebus dominicis et festivis, secundum quod ex consensu et voluntate partium utrinque condictum extitit et iuratum seu etiam ordinatum et expresse per partes cautum, inpactum et deductum. Nec hoc pretermittimus, quod si per quospiam in premissis offensam inferri contigeret citra consensum aliorum, non alii, sed tantummodo cum pena suas actiones tenere debeant, offendentes seu etiam transgressores dicte pacis puniantur, quos culpabiles reperiri contigerit in premissis, innocentes vero nocentibus se adversarios manifeste constituant et infestos. Promisit etiam idem Stephanus banus pro se et fratribus suis ac tota generatione et societate sua data fide, tactis lignis vivifice crucis et sacris reliquiis premissa omnia attendere et servare, et facere attendi per suos et servari; et e converso idem Nicolaus banus data fide, tactis lignis vivifice crucis et sacris reliquiis pro se et fratribus suis prenotatum Stephanum banum, comitem Radislaum ac alios sepedictos omni amore complecti et favore et premissa omnia attendere et servare et facere per suos attendi et seruari. Et quia propter viarum impedimenta mercatores et allii transire non poterant versus Senniam vel abinde versus Zagrabiam et exinde regno non exigua dampna proveniebant, idem Stephanus banus, comes Radislaus et societas eorundem obligaverunt (se) et commiserunt tacto ligno vivifice crucis, quod ulterius viarum amfractus et transitus securi patebunt omnibus transeuntibus et mercetoribus per terras et possessiones eorundem salvis rebus et personis, et quod per ipsos et ad ipsos spec-

tantes ipsorum voluntate, facto vel consilio et mandato eisdem dampnum inferri non continget vel regno et regnicolis noceri per eosdem, et onus huiusmodi conservationis itinerum et affidationis securitatem transeuntibus et mercatoribus positum prestitam super se assumpserunt Ad maiorem etiam rei certitudinem et inite pacis inter partes plenam conservationem prelatus Nicolaus banus dabit et statuet pro parte sua et suorum fideiussores quatuor barones domini nostri regis, videlicet Matheum palatinum, Stephanum comitem Posoniensem filios magistri Mathei, comitem Dionysium et Petrum filios comitis Georgii ac sex nobiles de regno Sclavonie, quorum nomina in literis capituli Zagrabiensis exinde confectis exprimuntur; et e converso idem Stephanus banus pro se et comite Radislao fratre suo filiis Babonyg ac tota generatione et societate sua dabit magistrum Ugrinum, Fyntam voyvodam, Nicolaum banum et comitem Heinricum filios Heinrici bani vel saltem duos ex eis et similiter sex nobiles de regno Sclavonie, quorum etiam nomina in literis dicti capituli exprimuntur, super eo scilicet, quod promissam ordinationem per se et suos ac eorum heredumque successores, dum vivunt, observabunt et ordinabunt bona fide et sine fraude post mortem observari. Et si dictus Stephanus banus memoratos quatuor fideiussores nominatos de baronibus pro parte sua statuere non posset et hoc liquere possit versimiliter, ex tunc eundem Stephanum banum reatu periurii notari non continget. Adiicimus etiam, quod habitis literis domini Ladislai illustris regis Ungarie, venerabilis patris domini Philippi dei gratia episcopi Firmanensis apostolice sedis legati per Hungariam, episcoporum et capitulorum ac baronum prefatorum, idem Stephanus banus debet restituere duos filios Nicolai bani et unum filium Alexandri bani in manus dicti venerabilis patris domini Timothei episcopi Zagrabiensis, fratris Mathei abbatis Toplicensis et fratris Gerardi magistri domus militie templi per Ungariam et Sclavoniam conservandos et tenendos, donec litere sedis apostolice super confirmatione premissorum articulorum impetrate perveniant et assignentur in manus Stephani bani memorati, que quidem debent procurari, haberi et impetrari infra tres menses ab octavis Pasche proximo venture computando et si dicte litere domini pape per incuriam et negligentiam ipsius Nicolai bani fraude, dolo vel aliquo malo ingenio impetrari omitterentur et hoc constare possit prefatis venerabili patri domino Timotheo episcopo Zagrabiensi, fratri Matheo abbati Toplicensi et fratri Gerardo magistro militie domus templi evidenter, ex tunc eosdem obsides restituere tenebuntur in manus Stephani bani memorati. Hoc etiam non obmittimus, quod inter eosdem extitit ordinatum et patenter exceptum, quod alter alterius servientes recolligere vel sue familie aggregare in preiudicium alterutrius

non possit vel presumat. Et hec omnia premissa et singula premissorum per virtutem iuramenti hinc inde a partibus iam prestiti tractata ac in arbitrium deducta pari, communi voluntate et consensu partium extiterunt ordinata In cuius facti memoriam et pleniorem certitudinem rei ac maiorem evidentiam, ne per aliquam partium predicta omnia et singula tractu temporum valeant retractari, temerari, turbari vel infringi, presentes sigillis nostris et partium prefatarum videlicet Nicolai bani totius Sclavonie, Stephani comitis Musoniensis iudicis curie domini regis et magistri Pauli fratrum Nicolai bani, filiorum Stephani bani et Stephani bani, comitis Radislai filiorum comitis Stephani, Nicolai filii comitis Babonyg et comitis Farcassi pendentibus fecimus communiri Datum et actum apud Zagrabiam, anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, dominica proxima ante festum sancti Martini, septimo idus novembris.

*Thallóczy-barabas Cod. Blag. 29—35. no. 15. — Kukuljević Reg. no. 1252. izadc iz Notae Johannis Lucii Bullettino di arch. i stor. Dalmata a IV. 1881 no. 5. p. 71. potvrdu ovoga mira po kralju Vladislavu.*

## 225.

**1278, 6. novembra. U Zagrebu.**

*Nikola ban nalaže sudcima i pobiračima daća, da kunovinu i zalazinu nipošto ne utjerivaju u županiji garešničkoj.*

N[icolaus] banus tocius Sclauonie vniversis iudicibus, collectoribus marturinarum et zulusmarum pro tempore constitutis salutem et graciam. Cum dominus noster Ladizlaus illustris rex Vngarie comitatum de Guersenche cum premissis collectis marturinarum, septem denariorum, zulusmis, iudiciis, iurisdiccionibus ac aliis redditibus et prouentibus eiusdem venerabili patri domino Thymotheo dei gracia episcopo Zagrabiensi perpetualiter duxerit conferendum, prout per priuilegium ipsius domini nostri regis nobis patuit euidenter, vobis firmiter precipientes mandamus: quatenus de huiusmodi collectis et iudiciis vos nullomodo intromittere presumatis, ymo uolumus, quod omnino et expresse manus uestras retrahatis, aliud facere nullatenus presumatis. Datum Zagrabie, die dominico proximo post festum omnium sanctorum, anno domini MCCLXXVIII.

*Liber privileg. eppatus zagrab. list. 46.*

*Tkalčić Monumenta episc. Zagr. I. 191. — Farlati Illyr. sacr. V. 378. pod god. 1277. — Wenzel Cod. dipl. Arp. XII. 235 6. — Kukuljević Reg. no. 1220. po Farlatu i no. 1249. po Tkalčiću.*

## 226.

**1278, 22. novembra. U Spljetu.**

*Desa udovica prodaje svoje zemlje samostanu sv. Nikole na Visu.*

In nomine domini nostri Jesu Christi amen. A nativitate eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, indictione decima tertia[1], Spaleti, die martis nono exeunte novembris, regnante domino nostro Ladislao serenissimo rege Hungarie temporibus domini Johannis venerabilis archiepiscopi Spalatensis, domini Mladeni filii quondam comitis Stepconis de Breberio illustris comitis Spalatensis, domini Viti Cerni Mergne de Jadria egregii Spalatensis potestatis et comitis Brazze, ac dominorum Duymi Michaci, Leonis Kazette et Josephy Petri iudicum. Dessa uxor quondam Rady Raineri, vendidit et tradidit iure proprio et in perpetuum dompno Prodano abbati monasterii sancti Nicolai de Lesa nomine ipsius monasterii suscipientis omnes vites suas bannitas publice in plathea per riuarium comunis, quas habebat in paludo sitas in terra sancti Silvestri ad habendum, tenendum, possidendum, vendendum, donandum et quicquid ex iis dicto abbati atque successoribus deinceps placuerit faciendum, cum vitibus, omnibus arboribus inter dictas vites sitas omnique iure et actione, usu seu aquisitione sibi ex dictis vitibus vel pro eis modo aliquo pertinente sive expectante pro pretio sex librarum et dimidie de pecunia venetorum parvorum; quod precium totum ipsa Dessa fuit confessa se a dicto abbate Prodano accepisse et sibi ab eo integre datum atque solutum esse, promitens per se suosque ipsi abbati per se et dicto monasterio ac suis successoribus stipulanti dictas vites dicto monasterio ac suis successoribus ab omni homine defendere et excalumpniare cum bonorum suorum omnium mobilium et immobilium habitorum et habendorum obligatione Actum in loçça communis presentibus domino Duymo Michaci, Leone Kazette predictis iudicibus communis et aliis.

Ego Jacobus Dobre canonicus examinavi.

Ego magister Franciscus Anconitanus imperiali auctoritate notarius et nunc autem notarius civitatis Spalati hiis omnibus interfui et a sepedicta Dessa rogatus eius voluntate scripsi et roboravi.

*(Monogram not.)*

*Original u arkivu kaptola hvarskoga po prepisu prebendara Vučetića. Listina je taninom tako uništena, te više nije moći gotovo ništa razabrati. Indikcija se ne podudara podnipošto s god 1278. (morala bi*

[1] valjda sexta.

*biti VI. ili VII. (ind. bed.); te je prema njoj datum zatvra između 1270.—1285.*

*Nu ako sporedimo ovu našu listinu s listinom spljetskom od 1278. 11. decembra, vidjet ćemo, da se one u protokolu sasvim podudaraju. Po tom će biti indikcija nevaljala, a godina dobra, što potvrdjuje i dan mjeseca (novembra 22.), koji pada u utorak.*

## 227.

**1278, 6. decembra. U Zadru.**

*Kreste sin Stjepana Ruye uzima u najam neku zemlju na otoku Pašmanu od Mihe de Martinusso, zadarskog gradjanina.*

In Christi nomine anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, indiccione septima, die sexto intrante mense decembri, Jadere, temporibus equidem domini Jacobi Contaren[i] incliti ducis Venecie et magistri Lau[rentii] venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Marci Michael[is] egregii comitis. Manifestum facio per hoc presens instrumentum ego quidem Creste filio (!) Stephani Ruya habitator in insula Pisseman, quomodo habui et recepi a te namque Micha de Martinusso ciue Jadrensi ad pastinandum vnum tuum derrum cum oliuis positum in ipsa insula Pissemano cum quadam tua terra boscosa tenente se simul cum ipso derro, quibus de bore[a] est terra condam plebani sancte Marie maioris, de trauersa est vinea Stançii, de austro est terra monasterii sanctorum Cosme et Damiani et de quirino est mons, tali quidem pacto et condicione, quod tenear et debeam usque ad octo annos proximos venturos plantare et pastinare cum vitibus tres partes de ipso derro et duas partes de ipsa terra boscosa et plantare in eadem terra et derro centum pedes oliuorum usque ad dictum tempus, pastinando annuati[m] de ipsa terra atque derro adminus medium gognay de communi sub pena vnius yperperi et dimidii. Et dum ex ipsis vitibus et arboribus fructum extrahere potero, quartam partem vini et unam integram medietatem olivorum tam de oliuis plantandis, quam plantatis cum quarta omnis fructus tam sicci quam recentis cum meis heredibus et successoribus tibi tuisque heredibus annuatim tenear tibi dare. Et si de fructibus tam recentibus quam siccis aliquid venderem, quartum denarium fideliter tibi dabo sub pena sex yperperorum, quociens manifestam fraudem in tuam comisero racionem; si ficcus recentes domum portauero causa comedendi, non tenebor. Si per aliquod tempus

vendere voluero ipsas meas vites et racionem uel mei heredes, tunc tibi uel tuis heredibus ipsas vites dare et vendere tenear pro illo precio, quod ab aliis potero invenire, si emere volueris vel heredes tui, alioquin si emere nolueris, vendam cui mihi placuerit, saluo tamen semper omni iure tuo; quam uero terram et derrum mihi meisque heredibus teneris cum tuis heredibus excalumpniare et defensare in rac[ione] ab omni homine et persona super omnia bona tua. Actum est hoc coram hiis rogatis testibus Lamp[re]dio de Paulo et Barthe filio domni Grisogoni de Mauro Jadrensi.

*(Drugi rukopis).*

Ego Candi de Ragno examinator manum misi.

Ego Henricus imperiali auctor[itate notarius et Jadrensis iuratus hiis interfui et rogatus scripsi et roboravi.

*(Signum not.).*

*Original u arkivu jugoslavenske akademije u Zagrebu Documenta a. 1278.*

## 228.

**1278, 11. decembra. U Spljetu.**

*Kaptol spljetski daje Večenu Dragiarteru zemlju u Pansanu, da nasadi vinograd.*

In nomine domini nostri Jesu Christi amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo octauo, indictione sexta, Spaleti, die dominica vndecima intrante decembri, regnante domino nostro Ladislao serenissimo rege Hungarie, temporibus domini Johannis venerabilis archiepiscopi Spalatensis, domini Mladeni filii quondam comitis Stepconis de Birberio illustris comitis Spalatensis, domini Vite Cerni Mergne de Jadria egregii Spalatensium potestatis et comitis Bracçe, ac dominorum Duymi Michaci, Leonis Kaçette et Josephy Petri iudicum. Dompnus Lucas Rilli et dompnus Sergius canonici ecclesie beati Domnii, procuratores tocius capituli dicte ecclesie et de uoluntate atque assensu ipsius capituli locauerunt atque dederunt ad pastinandum Veccino Dragiarterii quandam terram ipsius dicti capituli positam in Pansano super terram monasterii sancte Marie de Taurello et sub terra eiusdem dicti capituli, quam terram totam dictus Veccen promitit et obligauit se absque diuino uel iusto impedimento pastinare hinc ad duos annos pro-

xime uenturos, et postquam fuerit pastinata, eam, donec uites fuerint laborande, anno quolibet et decenti tempore absque diuino uel iusto impedimento infirmitatis uidelicet, guerre uel famis bene et fideliter colere et laborare ad usum et bonam consuetudinem ciuitatis Spaleti; semel uidelicet in anno potare et uicibus çappare duabus; et de omnibus fructibus tam uini quam ficuum, quam cuiuslibet alterius generis fructuum, quos in dicta terra et in uitibus atque arboribus, quas in ea ipse Veccen pastinauerit, deus ei dederit, integre medietatem in dicta uinea bene paratam ipse Veccen dicto capitulo dare et assignare promisit et sibi aliam medietatem tantummodo detinere. Et insuper promisit et obligauit se dictus Veccen dare eidem dicto capitulo de sua propria parte musti dicte uinee postquam tota uinea fructare inceperit, anno quolibet, donec uites durauerint et fuerint laborande, unum tinarium musti. Hoc etiam superaddito de parcium uoluntate, quod si dictus Veccen totam dictam terram absque diuino uel iusto impedimento non pastinauerit, ut dictum est, quod licitum sit dicto capitulo totum mustum dicte uinee per unum annum quemcumque uoluerit in se suscipere et habere. Et hec omnia et singula supradicta dictus Veccen per se suosque heredes dictis dompnis Luce et Sergio pro dicto capitulo stipulantibus attendere et obseruare promisit sub pena que in capitulari communis continetur et suorum bonorum obligatione. Actum in plathea placati presentibus Dobro Mathei Verbule, Johanne Dragi Sciriççi, Micha Dobri Madii testibus et aliis

*(Drugi rukopis).*

Ego Junius Dragi Vulcine conscius examinaui.

Ego magister Franciscus Anconitanus imperiali auctoritate notarius et nunc autem notarius ciuitatis Spaleti hiis omnibus interfui et a sepedictis dompnis Luca et Sergio atque Vecceno rogatus eorum omnium uoluntate scripsi et roboraui.

*(Monogram not.).*

*Original u arkivu kaptola u Spljetu a. 1278. (XVI. 1. 29.).*

## 229.

**1278. 29. decembra. U Kuleseru.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski nalaže kaptolu čazmanskom, da podijeli zemlju Ladislava, koji je umro bez nasljednika, izmedju Tiburcija Glavatoga i Jakoba sina Budunina.*

Ladizlaus dei gracia rex Hungarie fi[delibus nostri]s capitulo Chasmensi salutem et graciam. Cum inter Tiburcium capitosum ab vna parte et magistrum Jacobum filium Budona, qui possessionem Ladizlai sine herede decedentis a nobis petiuerat sibi dari super eadem possessione, ex nostra permissione per barones nostros, Moys magistrum tauarnicorum domine regine consortis nostre karissime et Stephanum banum, iudicem curie nostre, comitem Musiniensem secundum formam composicionis seu arbitrii extiterit ordinatum ita videlicet, quod medietas predicte possessionis Ladizlay et vtilitatum suorum vinearum, videlicet satorum, domorum et iobagionum in eadem existencium versus vicinitatem seu commetaneitatem terre predicti magistri Jacobi cedere debet eidem magistro Jacobo et fratri suo pretaxtu(!) nostre colacionis, alia medietate eiusdem possessionis et vtilitatum suarum cum omnibus seruis suis et ancillis memorati Ladizlai Tiburcio consanguineo ipsius remanente. Prout hec omnia in nostris priuilegiis vtrique parti datis sunt expressa, volumus et fidelitati uestre precipiendo mandamus, quatenus cum Paulo fratre Pangracii homine nostro vnum ex uobis ydoneum transmitatis, qui predictam possessionem Ladizlai iuxta continenciam priuilegiorum nostrorum vtrique parti datorum inter ipsos magistrum Jacobum et Tiburcium diuidant et separent certis metis, amoto de eadem et excluso Theodoro et alio quolibet detentore Dando partibus litteras vestras, secundum quod diuisio fuerit inter ipsos, hoc autem specialiter exprimi volumus, quod serui et ancille predicti Ladizlai qui cum domibus eorum Tiburcio remanserunt, memorata in diuisione nullatenus deducantur. Datum in Kuleser quinto die octauarum natiuitatis domini.

*Iz otpisa kaptola čazmanskog g. 1279. 15. marta. Ovaj otpis uzet iz prijepisa istoga kaptola od god. 1345. 4. marta.*

*Potonji prijepis (od g. 1345.) u arkivu jugoslavenske akademije u Zagrebu. Diplomata a. 1278.*

*Godina te listine nužno je 1278. jer kaptol čazmanski ovršava zapovijed u martu 1279.*

## 230.

**1278.**

*Rudolf car čestita kralju Ladislavu, što se je izmirio s bratom Andrijom hercegom hrvatskim.*

Grandem cordi nostro materiam exultationis induxit, quod quiescente iam intumescentiae spiritu, quem inter vos et inclytum filiae nostrae sponsum, fragor horride tempestatis invexerat, eius disponente clementia, qui post nubilum dat serenum, eidem sic estis votivae reconciliationis in osculo et fraterna dulcedine eo uniti,[1] quod utique sicut vobis ad gloriam sic subiectis fidelibus cedet ad exoptatae quietis augmentum. Verum ex eo admirationis causa precordiis nostris infunditur: quod nuncii nostri ad vestram iam dudum transmissi presentiam, super matrimonio consummando tam longam et diuturnam moram in vestra curia contraxerunt, quos quidem finaliter petimus expediri. Et quia nostri fideles in Austria, diris adversantis aemuli quatiuntur insultibus et amaris persecutionum intentationibus impetuntur, serenitatem vestram, de qua stabili fide confidimus, ampliori qua possumus precum instantia deposcimus, quatenus inuasores eorum ab illo latere tam viriliter quam potenter invadere satagatis. Nos enim in digito dei confisi, qui causae nostrae iustitiam comitatur et dirigit, eos ab isto latere taliter impugnare ac expugnare conabimur in virtute Germanici potentatus, quod invasores predicti inter malleum et incudem, sera ducentur poenitudine patratorum. Sic autem non solum ademptos vobis avitos recuperare poteritis terminos, sed ad ampliora funiculos extendetis. Unde si placet mox visis presentibus, nobis insinuetis expressius, quid super his in vestro proposito geritur et in beneplacito continetur.

*Gerberti Cod. epist. Rudolphi I 56. — Fejér Cod. dipl. Hung. VII, 2, 65—66. — Kukuljević Reg. no. 1259*

## 231.

**1278, U Zagrebu.**

*Pred kaptolom zagrebačkim prodaje Aleksander i Matej od plemena Okiča zemlju svoju Planinu biskupu zagrebačkom.*

Capitulum Zagrabiensis ecclesie vniuersis presencium (tenorem) inspecturis salutem in domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam

[1] Jamačno couniti.

harum serie volumus peruenire, quod constitutis coram nobis Alexandro filio Petri et Mathey filio Blasey fratris eiusdem de genere Ocha ex parte una, et discreto viro magisto Stephano archidiacono de Camarcha socio nostro vice et nomine domini nostri T[ymothe]y dei gracia episcopi Zagrabiensis ex altera, iidem confessi sunt quandam terram suam Planina nuncupatam, cuius mete et termini inferius distinguntur, de beneplacito et consensu cognatorum ac commetaneorum suorum vendidisse, ne eosdem erumpnose famis inedia et ad ipsos spectantes affici uel periclitari contingeret, dicto domino nostro episcopo et ecclesie sue et per eum suis successoribus pro viginti marcis denariorum zagrabiensium singulis quinque pen(sis) computatas, quarum quinque pense tunc temporis marcam faciebant, quas ab eodem plenarie recepisse, habuisse et numerasse sunt confessi cum omnibus utilitatibus suis, videlicet fenetis, siluis, montanis, submontanis, terris arabilibus, campis, vineis, nec non consentes(!)[1] aliis que wlgo souskuth nuncupatur et aliis vniuersis quohorenciis(!) et appendiciis in eisdem existentibus et inclusis, habitis et habendis. Assumpmentes per se et heredes suos dictum dominum nostrum episcopum et ecclesiam suam ac successores eiusdem expedire ab omnibus impetitoribus, si qui forsan tractu temporis super ipsa terra mouere attemptarent questionem, in futurum suis propriis laboribus et expensis. Interfuerunt autem huiusmodi contractui uel uendicioni terre pretacte Pothola et Petrus filii Burch de genere eorundem, qui hui(us)modi vendicioni pro se, fratribus suis et cognatis ac tota generacione sua plenum suum consensum prebuerunt et assensensum (!). Renunciauerunt eciam iidem pure simpliciter et expresse excepcioni pecunie non numerate, non habite, ponderate uel recepte et aliis cauillacionibus vniuersis, per quas effectus huiusmodi contractus uel uendicionis posset turbari uel eciam impediri in futurum. Et ut iidem maiori zelo et feruore deuocionis ad ecclesiam accendantur, assumpsit at recepit idem dominus noster episcopus una nobiscum i specialem proteccionem suam eosdem heredes eorundem ac heredum successores per se et suos successores confouendos, promittens una nobiscum ipsos et ipsorum heredes prosequi incremento ulterius amplioris sue dileccionis et fauore. Ad hec constitit nobis ipsis nobilibus referentibus, quod ad maiorem rei cautelam coram magistro Gregorio socio nostro archidiacono de Bexin, quem ad instanciam parcium super faciem ipsius terre ad inspiciendum et distinguendum terminos et cursus metarum direxeramus, villicum de Chichuria(!) nomine Mlatk uice et nomine eiusdem domini nostri episcopi in possessionem ipsius terre introduxerunt corporalem. Termini autem ipsius terre, prout

[1] Tkalčić po lib. privileg. ima: conseptis.

idem magister Gregorius nobis retulit, tali ordine distinguntur, videlicet: prima meta incipit a parte septemtrionali iuxta magnam uiam que ducit versus Worosdin[um], ubi sunt due arbores magne iuxta se posite seu coniuncte, videlicet arbor fagi et arbor abietis crece(!) signate; unde procedens per ipsam viam versus occidentem peruenit ad magnam arborem quercus, ubi regirat versus semptemtrionem per quandam semitam in culmine eiusdem montis et procedens peruenit ad triuium, ubi commetatur terra capituli Zagrabiensis inter duas arbores cherasa[rum]; ab inde procedit similiter in culmine eiusdem montis, per eandem semitam uenit ad magnam arborem fagi cruce signatam; deinde currens per ipsam semitam spacio competenti peruenit ad aliam arborem fagi similiter cruce signatam, ubi declinans versus orientem, diuidens terram ipsius Alexandri, desscendit,[1]) in uallem per medium silue et peruenit ad co[r]nu lapideum in latere ipsius montis, ubi est arbor fagi c[ru]ce signata, deinde desscendens(!) directe in ualle in latere ipsius montis peruenit ad quendam fluuium currentem in ruptura aque pluuialis ab ipso monte desscendentem, ubi est arbor abietis similiter cruce signata, ubi transiens ipsum fluuium procedens similiter ad arborem abietis cruce signatam; ab inde procedens ad alium fluuium desscendentem de montibus similiter in ruptura pluuiali, ubi est arbor fagi cruce signata; vnde procedens peruenit ad arborem gerthean dictam cruce signatam, deinde tendit ad arborem abietis cruce signatam et sic procedens peruenit ad fluuium magnum currentem per medium ipsius uallis, ubi est arbor abietis similiter cruce signata, quem fluuium transiens directe asscendens peruenit ad arborem fagi, deinde asscendens per spacium competens ab ipsa ualle peruenit similiter ad arborem abietis; vnde asscendens peruenit similiter ad arborem habietis(!) cruce signatam; vnde procedens peruenit ad arborem [ca]stanearum cruce signatam, abinde asscendens peruenit ad culmen ipsius montis ad uiam magnam vbi est arbor castanearum cruce signata et ibi commetatur terra comitis Radizlay filii Stephani, vbi regirat in orientem per eandem uiam et procedens peruenit ad arborem sorbello[rum] cruce signatam, deinde peruenit ad arborem pomi similiter cruce signatam, abinde per eandem viam in culmine ipsius montis peruenit ad biuium, vbi est meta terrea et procedens per viam a parte septemtrionali iuxta terram comitis Radizlay memorati peruenit ad magnam arborem fagi cruce signatam, vbi exiens ab ipsa uia in partem septemtrionis curre[n]s in latere ipsius montis peruenit ad arborem cherasarum, abinde procedens in eodem latere montis peruenit (ad arborem) iaur(!) dictam cruce signatam; vnde procedens peruenit ad que[n]dam fluuium currentem in ruptura aque pluuialis, vbi est arbor ilicis cruce signata et transiens directe ipsum fluuium uenit ad arborem

abietis cruce signata[m]; vnde procedens peruenit ad arborem fagi cruce signatam, vbi separatur [terra] Radizlay comitis antedicti et commetatur terre filii Wlchina de genere Acha(!); circa cuius terram procedens peruenit ad duas arbores nir uocatas; vnde in eodem latere iuxta terram eiusdem Ditrici procedens peruenit ad arborem ilicis cruce signatam; abinde procedens per spacium competens peruenit ad arborem fagi cruce signatam, vbi desscendens in uallem peruenit ad magnam uiam, quam uiam transiens directe peruenit ad caput fontis Casna: ab inde regirat per ipsam magnam uiam versus meridiem, que uia est pro meta, currens directe per longum spacium peruenit ad metam primam, ubi cursus metarum terminantur. In cuius rei memoriam, ut huiusmodi uendicio robur perpetuum optineat ad instanciam parcium presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo octauo.

*Original vrlo lijepo pisan (kao kraljevske suvremene listine) u kr. ug državnom arkivu u Budimpešti: Dl, 35.835. (bivša zbirka Kukuljevićeva, koji ga je stekao: »Ex collectione fam. Vojković« [moderna bilješka].)*

*Na listini visi svilena vrvca zelene i ljubičaste boje; pečata nema više. Savremena bilješka na hrptu pismom knjiga: »Planina circa Chugeriam«. Bilješka koncem XV. vijeka, koja kako se čini imitira pismo XIII. vijeka: »Terre iuxta Chuchuriam empte ab Alexandro et Matheo MCCLXXVIII.«*

*Tkalčić Mon. episc. Zagr. (po liber privilegiorum) I. 195. — Wenzel Cod. dipl. Arpad. XII. 246 (po Tkalčiću). — Kukuljević Reg. no. 1253.*

## 232.

**1278. U Zagrebu.**

*Pred kaptolom zagrebačkim prodaju Andrija i Ivan Zlojna svoju zemlju Rakarje knezu Ivanu Miroslavovu.*

Capitulum ecclesie Zagrabiensis vniuersis presens scriptum inspecturis salutem in domino. Ad vniuersitatis vestre noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod Iwan comite filio Miruzlay a parte vna et Endre filio Zloyna cum Iwan fratre eiusdem, item Iwan filio Voyha (!) iobagionibus castri Zagrabiensis ab altera, coram nobis personaliter constitutis, idem Endre et alii prenominati dixerunt et confessi sunt, particulas terre ipsorum Rakarya vocate porcionem ipsorum contingentis vendidisse et tradidisse Iwan antedicto et per eum suis heredibus heredumque successoribus iure perpetuo possidendas, Endre videlicet cum fratre suo prenotato porcionem ipsorum pro duabus marcis, Iwan vero filius

Woyhna (!) antedictus porcionem suam similiter pro duabus marcis, quas summas pecunie predicti venditores confessi sunt a Iwan memorato habuisse et plenarie recepisse, obligantes se expedituros sepedictum Iwan et eius heredes ab omni que racione dictarum terrarum contra eundem processu temporis oriri contingeret questione. Mete autem prescriptarum terrarum, prout partes nobis retulerunt, tali ordine distinguntur. Primam metam a parte orientis habent quendam monticulum pro meta iuxta terram domini N[icolai] bani, Selyni nuncupatam et terram eiusdem Iwan comitis, inde per illum monticulum parumper procedendo perueniunt ad alium monticulum a quo tendunt vnam (!) dumum, quem habent pro meta, inde per paruum spacium descendunt in vnum in Laka, a quo a parte occidentis per longum spacium intrant in maiorem Laka, que nuncupatur Mege mlaka, inde per vnum dumum tendunt ad vnam arborem gymulhynfa meta terrea circumfusam, inde versus occidentem tendunt ad metam terream, que est iuxta magnam viam ubi est meta terrea, inde tendunt ad tres arbores meras[e]as meta terrea circumfusas, inde tendunt ad fluuium Rakarya nuncupatum, vbi est vna salix, inde per eundem fluvium tendunt versus septemtrionem et inde progrediuntur ad terram Iwan supradicti, vbi vna arbor salicis et sic terminantur. Commetanei eciam dictarum terrarum, videlicet Bogdanus filius Borch, Wratizlow filius Inossa, Irazlo filius Prebinegh coram nobis astantes predicte vendicioni suum prebuerunt consensum et assensum. In cuius rei memoriam et perpetuam certitudinem presentes concessimus litteras sigilli nostri robore communitas. Datum anno domini millesimo CC. septuagesimo octauo.

*Prijepis kaptola zagrebačkoga od g. 1393. 10. jula u kr. zem. arkivu u Zagrebu. Doc. med. aevi a. 1278.*

## 233.

**1278. U Zagrebu.**

*Vukovoj i njegova svojta ustupljuju topuskoj opatiji zemlju Broćinu, radi koje su se s njom parbili.*

Capitulum ecclesie Zagrabiensis universis presens scriptum inspecturis salutem in domino. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod Chuck, filio Humerl, pro venerabili viro fratre Matheo abbate de Toplica et conventu eiusdem monasterii a parte una et Wlkouoy filio Dragacha, Dobroteh filio Cherbich, Bogdan filio Zo . et Beck filio Nadanei de generacione Bathei, de villa Mayay ab altera,

coram nobis personaliter constitutis, iidem Wlkouoy et ceteri de parte sua prenotati dixerunt et confessi sunt: terram eorum vicinam grangie eiusdem domini abbatis Brochina nuncupate, existentem iuxta fluvium Adulnak vocatum, a parte orientis ipsius fluvii, super qua [inter] eundem dominum abbatem et Wlkovoy ac ceteros de parte sua prenotatos lis et controversia iam dudum habita fuerat, pro bono pacis et concordie memorato domino abbati et eius successoribus eidemque monasterio de Toplica, tum quia recognoverunt ipsam terram ad idem monasterium quadam proprietate spectantem, cum eciam pro duodecim pensis, quas confessi sunt racione ipsius terre ab eodem domino abbate habuisse, numerasse et recepisse plenarie, dimisisse, tradidisse et assignasse pleno iure in perpetuum pacifice possidendam. Assumentes et obligantes tam pro se quam pro suis heredibus ac aliis cognatis eorum, quod sepedictum dominum abbatem vel eius successores suumque monasterium amplius in iudicio vel extra iudicium racione prescripte terre non impetent vel inquietabunt seu aliqualiter molestabunt, quin ymmo ab omnibus eundem vel eius successores inquietare vel aggravare volentibus defensabunt penitus suis laboribus vel expensis. In cuius rei certitudinem et memoriam ad instanciam et peticionem parcium presentes contulimus literas sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno domini MCC septuagesimo octavo.

*Privileg. monast. B. V. Mariae de Toplica no. XI.*

*Tkalčić Monum. episc. Zagrab. I. 191.—192. — Wenzel Cod. dipl. Arpad. XII. 245. donosi regest. — Kukuljević Reg. no. 1254*

## 234.

**1278. U Banoštoru.**

*Kaptol srijemski uredjuje baštinu iza pokojnoga Gregorija, koji je umro bez baštinika.*

Universis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis capitulum ecclesie de Kw salutem in salutis largitore. Ad universitatis noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod cum Ladizlaus dei gracia rex Hungarie quandam possessionem Laurencii filii Gregorii sine herede decedentis Salamun vocatam, Reg curiali comiti Syrmiensi et Gregorio fratri eiusdem filiis Petri comitis pro fidelibus et meritoriis serviciis eorundem dedisset, donasset et contulisset, sicut in litteris privilegialibus eiusdem domini regis vidimus contineri et quia dimidietatem premisse

possessionis Fylius Kenezius empticio dicitur sibi comparasse et eadem possessio ad ipsum Fylius Kenezium racione uxoris sue aliquatenus spectare fertur et pertinere, tandem ipse Gregorius personaliter et Mychael frater suus pro eodem Reg comite in nostra constituti presencia possessionem Salamun pro sedecim marcis argenti coram nobis persolutis reliquerunt et dimiserunt in forma vendicionis eidem Fylius Kenezio et eius heredibus heredumque successoribus iure perpetuo et irrevocabiliter possidendam, reddiderunt eciam memorati Gregorius comes et Mychael omnes litteras et instrumenta ad cassandum, quibus sepedictam possessionem detinebant, ita ut, si que reddita non fuissent, pro vano et casso haberentur. In cuius rei testimonium presentes pro instancia parcium ad robur perpetue firmitatis sepedicto Fylius Kenezio concessimus sigillo nostro roboratas et alphabeto intercisas. Datum anno domini M°CC°LXX° octavo, Luca preposito, Symone lectore, Jacobo cantore et altero Jacobo custode ceterisque fratribus in ecclesia dei ministrantibus.

*Po originalu u arkivu barona Revay u Ščavnici. Ostatak pečata na svilenoj crvenoj vrvci.*

*Cod. dipl. patrius. VI. 234—5. no. 166.*

## 235.

**1278. U Zagrebu.**

*Budivoj i njegova svojta ispovijedaju pred kaptolom zagrebačkim, da su prodali svoj posjed Pounje i otok Vlkon sa svima pristojalištima samostanu topuskomu za 102 marke banskih dinara.*

Capitulum Zagrabiensis ecclesie, universis presentem paginam inspecturis salutem in omnium salvatore. Ad universitatis vestre noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod venerabili viro fratre Matheo, abbate monasterii de Toplica pro se et conventu eiusdem ecclesie ab una parte et Buduoy filio Budilo, Wlcheta filio Braten, Wlkena filio Mladicha, Gerge filio Tribizlo, Stephano filio Wlkoyn, Zlauen filio Radizlay de generacione Pouona pro se et aliis de eadem generacione ab altera, coram nobis personaliter constitutis, iidem Buduoy et ceteri de parte sua prenotati viva voce dixerunt et confessi sunt: terras seu possessiones ipsorum Pouona vocatas, quarum mete et termini inferius distinguuntur, nec non insulam Wlkom vocatam, cum aliis parvis insulis ad predictas possessiones spectantibus, in flumine Wen existentibus et inclusis, vendidisse et tradidisse eidem domino abbati et suis successo-

ribus eidemque monasterio de Toplica cum omnibus utilitatibus, usufructibus et pertinenciis ipsarum possessionum, videlicet terris arabilibus, fenilibus, vineis, silvis, montanis, molendinis ac aliis pertinenciis et utilitatibus prescriptarum possessionum universis pro centum et duabus marcis denariorum banalium, quarum singule quinque pense marcam tunc temporis faciebant, pleno iure perpetuo et irrevocabiliter possidendas; quam summam pecunie sepedictus Buduoy et ceteri de parte sua prenominati dixerunt a memorato domino abbate habuisse et plenarie recepisse, obligantes et assumpmentes se expedituros per se et suos heredes penitus sepedictum dominum abbatem et eius successores suumque monasterium ab omni questione, quam racione prescriptarum possessionum contra eundem vel eius successores seu memoratum monasterium per quempiam in iudicio vel extra iudicium moveri contingeret in futurum. Mete autem predictarum possessionum, sicut discreto viro magistro Manfredo archidiacono de Guerche ad metas ipsarum circumspiciendas per nos rogatu parcium specialiter destinato referente didicimus, tali ordine distiguntur. Prima meta incipit ab oriente in flumine Wen, ubi cadit rivulus Mutniche vocatus a quo parumper supra ascendit versus aquilonem ad fontem, ubi est arbor salicis, inde ascendit ad cacumen montis ad arborem kercus, ubi est meta terrea iuxta magnam viam et usque hanc metam confinium habet cum predicta generacione. Deinde tendit per medium montis in eadem via iuxta terram filiorum Henzconis versus meridiem, ubi sunt antique mete terree, iuxta quas sunt alie mete terree renovate, deinde parumper procedens per eandem viam declinat ad unam semitam per quam pervenit ad aliam metam terream, a qua rursus tendit ad aliam metam terream Deinde versus meridiem progreditur ad quendam monticulum ubi est meta terrea, a quo descendens inferius directe per quandam vallem ad quendam rivulum Mercosyn vocatum, ubi sunt due mete terree, deinde tendit versus orientem per longum spacium, ubi cadit idem rivulus in alium rivulum Jaronelg nuncupatum, ubi est arbor salicis cruce signata, a qua descendit inferius versus meridiem per longum spacium et cadit in fluvium Syreniche vocatum, a quo descendit per maximum spacium in flumen Woumnam(!), a quo versus orientem progreditur per spacium magnum ad insulam, que fuit Buduoy antedicti; deinde descendit inferius versus orientem per eundem fluvium Wouna usque ad primam metam, ubi cadit rivulus Muthnicha vocatus in eundem fluvium Wouna et sic terminatur. Ut ergo prescriptarum possessionum vendicio firmitatis perpetue robur optineat, nec contingat per quempiam in posterum irritari, nos ad instanciam et peticionem parcium presentes concessimus

literas sigilii nostri pendentis robore communitas. Datum anno domini MCC septuagesimo octavo.

*Privileg. monaster. B. V. Mariae de Toplica, no. XXXI.*
*Tkalčić Monum. episcop. Zagr. I. 192—193. — Wenzel Cod. dipl Arp cont. XII. 246. no. 206. donosi regest. — Kukuljević Reg. no. 1255.*

## 236.

**1278. U Zagrebu.**

*Detrik sin Vučinin i njegova braća prodavaju biskupu zagrebačkomu Timoteju posjed Sekirje za 30 maraka dinara zagrebačkih.*

Capitulum Zagrabiensis ecclesie vniuersis presencium inspecturis salutem in domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod constitutis coram nobis Dethrico filio Wlchyna et Hertelen ac Matheo filiis eiusdem de genere Acha ex parte una, et discreto uiro magistro Stephano archidiacono de Camarcha socio nostro, vice et nomine domini nostri Thymothei dei gracia episcopi Zagrabiensis ex altera, iidem permittentibus suis cognatis Potala uidelicet, Borch et Petro filiis Borch, pro se ac tota generacione sua confessi sunt: se uendidisse quandam partem possessionis seu terre sue, Schekerye nuncupate, contiguam et conterminam terris Alexandri cognati eiusdem similiter de genere Acha, que eisdem iuxta modum diuisionis facte et habite cum generacione sua in porcionem suam cesserat, dicto domino nostro episcopo, ecclesie sue et per eum suis successoribus pro triginta marcis denariorum Zagrabiensium, singulas cum quinque pensis computatis, que tunc temporis marcam faciebant, quas ab eodem habuisse, recepisse et numerasse sunt confessi, cum omnibus utilitatibus suis, siluis videlicet, montanis, submontanis, fenetis, terris arabilibus et campestribus, vineis, locis molendinorum et utilitatibus vniuersis, appendiciis, coherenciis existentibus et inclusis, habitis et habendis in eadem. Assumentes per se et heredes suos dictum dominum nostrum episcopum et ecclesiam suam ac successores eiusdem expedire ab omnibus impetitoribus, si qui forsan tractu temporis super ipsa terra mouere attemptarent questionem in futurum, suis propriis laboribus et expensis. Interfuerunt autem huiusmodi contractui seu uendicioni terre prefate, Putula(!) et Petrus filii Borch, de genere eorumdem, nec non et Jacobus frater Iwanka predialis eiusdem domini nostri episcopi commetaneus eorumdem, qui huiusmodi vendicionem per approbacionem sui consensus ratificantes eidem contractui ipsi suum consensum prebuerunt et assensum

Renunciauerunt eciam iidem Detricus et ceteri pure, simpliciter et expresse excepcioni pecunie non numerate, non habite, non ponderate, nec recepte et aliis cauillacionibus vniuersis, per quas effectus huiusmodi contractus uel uendicionis inpediri posset uel turbari. Et ut iidem maioris zelo et feruore deuocionis ad ecclesiam accendantur, assumpsit et recepit idem dominus noster episcopus vna nobiscum in specialem proteccionem suam eosdem, heredes eorumdem, ac heredum successores per se et suos successores confouendos, promittens vna nobiscum ipsos et ipsorum heredes prosequi incremento ulterius amplioris sue dileccionis et fauore. Ad hec constitit nobis ipsis nobilibus referentibus, quod ad maiorem rei cautelam coram magistro Gregorio socio nostro archidiacono de Becchun, quem ad instanciam parcium super faciem ipsius terre ad inspiciendum et distingendum terminos et cursus metarum direxeramus, villicum de Chucheria, nomine Maltk vice et nomine eiusdem domini nostri episcopi in possessionem ipsius terre introduxerunt corporalem. Termini autem ipsius terre, sicut eodem magistro Gregorio archidiacono de Becchun socio nostro constitit referente, tali ordine distinguntur, videlicet: prima meta incipit in capite fluuii Casna, qui fluuius est pro meta iuxta uiam magnam, que ducit uersus Worosdinum et currens per ipsam uiam uersus septemtrionem, ubi separat terram cruciferorum, dirigens per quandam semitam peruenit ad arborem ylicis byfurcatam et cruce signatam, deinde procedens peruenit ad aliam arborem ylicis similiter cruce signatam, vnde per ipsam semitam peruenit similiter ad arborem ylicis cruce signatam, deinde peruenit ad arborem naar uocatam, vnde procedens peruenit ad biuium, ubi procedens per uiam a parte septemtrionis peruenit similiter ad arborem naar cruce signatam, deinde satis procedens peruenit ad arborem fagi cruce signatam, ubi de ipsa semita exiliens in parte septemtrionis descendit in uallem ubi est arbor ylicis cruce signata, ab inde similiter descendens peruenit ad arborem naar cruce signatam, deinde descendens per ipsam uallem peruenit ad arborem jau(o)r cruce signatam, vnde peruenit ad arborem cerasarum cruce signatam, inde descendens per ipsam uallem uenit ad metam terream, ab inde procedens peruenit ad quemdam fluuium Zekeria nominatum, in quo fluuio regirans in occidentem per ipsum fluuium currens per longum spacium peruenit ad metam terream ubi commetatur terra comitis Jacobi fratris Iwanka, ubi declinat uersus occidentem, per quandam uallem peruenit ad aliam metam terream deinde ascendens in monticulum uenit ad aliam metam terream, ab inde procedens directe peruenit ad fluuium ubi est similiter meta terrea, quem fluuium transiens directe peruenit ad arborem cerasarum cruce signatam, ab inde procedens iuxta terram ipsius Jacobi comitis uenit ad

arborem jau[o]r cruce signatam, vnde peruenit ad frutices spinarum circumfusarum meta terrea, vbi commetatur terra comitis Radizlai, vbi regirat versus meridiem et procedens peruenit ad metam terream, ab inde uenit ad arborem ihor uocatam meta terrea circumfusa(m), vnde procedens per longum spacium peruenit in silvam ad arborem ylicis magna meta terrea circumfusam vnde procedens supra per quendam fluuium peruenit ad alium fluuium Symog uocatum, qui fluuius procedens supra directe per siluam uersus meridiem diuidit terram Radizlai comitis et sic peruenit ad arborem fagi vbi commetatur terra Alexandri filii Petri et sic terminatur. In cuius rei memoriam ad instanciam parcium presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas Anno domini MCCLXXVIII.

*Liber privileg. eppatus. zagrab. List. 45.*

*Tkalčić Monum. episcop. Zagr. I. 193—195. — Wenzel Cod dipl. Arp. XII. 246. br. 207 donosi regest. — Kukuljević Reg. no. 1256*

## 237.

**1278. U Zagrebu.**

*Ivan i cieli rod Surla prodavaju opatu topuskomu svoj posjed Sernov za 33 marke dinara zagrebačkih.*

Capitulum ecclesie Zagrabiensis universis presentem paginam inspecturis salutem in omnium salvatore. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod venerabili viro fratre Matheo abbate monasterii de Toplicha pro se et pro conventu eiusdem monasterii a parte una, et Johanne filio Iwanch, Galcan filio Petri, Drugizlo filio Zibizlai, Wratizlo filio Wulkoyn de generacione Surlo, pro se et aliis de eadem generacione ab altera coram nobis personaliter constitutis, idem Johannes et ceteri prenominati de parte sua dixerunt et confessi sunt: terras seu possessiones eorumdem Sernov vocatas, quarum mete seu termini inferius suo ordine sunt distincti, vendidisse et tradidisse memorato domino abbati et eius successoribus eidemque monasterio de Toplica cum omnibus utilitatibus et pertinenciis terrarum seu possessionum eorumdem, reservatis cum molendinis et vineis in eisdem terris existentibus apud ipsos, exceptis quatuor locis molendinorum et quindecim vineis, in quibus eligendis pro sue voluntatis arbitrio prefatus dominus abbas habebit plenariam optionem pro triginta et tribus marcis denariorum Zagrabiensium singulis cum quinque pensis, receptis plenarie ab eodem pleno iure in perpetuum possidendas. Obligantes se et assum-

mentes per se et suos heredes expedituros sepedictum dominum abbatem et eius successores prefatumque monasterium penitus suis laboribus et expensis ab omni questione, quam racione prescriptarum terrarum contra eundem dominum abbatem vel eius successores per quempiam in iudicio vel extra iudicium moveri contingeret in futurum. Mete autem predictarum terrarum, sicut discretus vir magister Mamfredus archidiaconus de Guerche ad ipsas circumspiciendas per nos specialiter destinatus nobis retulit, tali ordine distinguntur. Prima meta ab oriente incipit in loco ubi cadit Surno in fluvium Gradicha vocatum, ubi est arbor gertheanfa cruce signata, deinde tendit inferius per longum spacium per eundem fluvium Gradycha versus orientem usque ad locum ubi cadit rivulus Ogrageniche in predictum fluvium Gradicha, ubi est arbor cherasi cruce signata; deinde tendit versus occidentem per longum spacium per predictum riuulum Ogrageniche inter montes usque ad fontem, qui est caput eiusdem rivuli, ubi est arbor hasfa cruce signata, iuxta quam sunt due mete terree; deinde parumper progreditur versus aquilonem ad duas arbores kercus cruce signatas, a quibus progreditur superius ad montem ad arborem castanee cruce signatam; inde paululum descendit ad duas arbores bikfa cruce signatas, iuxta quas sunt due mete terree, inde transiens per silvam Lumno nuncupatam tendit per longum spacium ad arborem sorbi cruce signatam, iuxta quam est arbor bikfa similiter cruce signata; deinde descendit ad quemdam rivulum Lumno vocatum, quem transiens ascendit versus septemtrionem ad viam publicam que separat terras nobilium de Blyna a predicta terra, iuxta quam viam sunt due arbores gertheanfa et hasfa vocate cruce signate, iuxta quas sunt due mete terree; deinde tendit per eandem versus occidentem per magnum spacium ad quoddam trivium, ubi sunt due mete terree; deinde ascendit per quemdam monticulum usque ad cacumen ipsius, a quo descendendo tendit ad alium monticulum Kynnk vocatum, in cuius cacumine est arbor cherasi cruce signata; deinde descendendo versus meridiem iuxta arborem piri silvestris tendit per modicum spacium ad alium trivium, ubi sunt due mete terree, inde descendendo versus meridiem progreditur ad caput rivuli Zemo vocati, a quo descendendo per eundem rivulum versus orientem per longum spacium pervenit ad primam metam et sic terminantur. Ut igitur huiusmodi vendicio robur obtineat perpetue firmitatis, ad instanciam et peticionem partium presentes contulimus literas sigillo nostro consignatas. Datum anno domini MCCLXX octavo.

*Privileg. monaster. B. V. Mariae de Toplica, no. XXVII.*

*Tkalčić Monum. episc. Zagr. I. 197—198.* — *Wenzel. Cod. dipl. Arp. cont. XII. 243.* — *Kukuljević Reg. no. 1257.*

## 238.

**1278.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski nadaruje bana Pavla i brata mu Stjepana za velike zasluge.*

Ladislaus dei gratia Hungarie, Dalmacie etc. rex omnibus Christi fidelibus presentibus pariter et futuris presentium notitiam habituris salutem in omnium salvatore. Provida regum circumspectio fideliter sibi famulantibus sic debet antidotorum muneribus obviare, ut alii eorum exemplo incitati ad fidelitatis opera fortius accendantur. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod nos considerantes fidelitates et obsequiosa merita Pauli bani et Stephani fratris eiusdem filiorum Stephani bani, que nobis in diversis expeditionibus regni nostri ubique fideliter et indefesse exhibuerunt famulatus, ob recompensationem servitiorum suorum et ad petitionem eorumdem quamdam particulam terre de terra castri nosti Hacygyssa(?) nuncupata, sub metis infrascriptis distinctam et excerptam dedimus, donavimus et contulimus ipsis Paulo bano et Stephano et per ipsos ipsorum heredibus, heredumque suorum successoribus iure perpetuo et irrevocabiliter pacifice ac quiete possidendam et habendam. Cuius quidem particule terre mete hoc ordine distinguuntur (mete). In cuius donationis et collationis memoriam presentes concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti viri, magistri Bartholomei aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri. Anno domini 1278 regni autem nostri anno XI.(?)

*Iz »Analecta diplom. Caroli Wagner historici regii« vol. A no. 239, p 326—7. Ovaj mss. XVIII. stoljeća prešao ponajprije u zbirku Jankovićevu, a onda u narod. muzej u Budimpešti. (Sig. 1281. 4⁰ lat.).*

*Godina nije odredjena po godini vladanja Ladislavova. Jamačno je naime prepisivač (Wagner) krivo čitao XI mjesto VI.*

*Fejér Cod. dipl. Hung. V. 3, 178.—179.*

## 239.

**1278. i 1279.**

*Poslana su iz Apulije dva broda kruha (prvi put* »ducentas salmas ordei et centum salmas frumenti«, *a drugi put* »centum salmas frumenti et septingentas salmas ordei«) ad vendendum aput Tragurium«.

*Registri Angioini.*

*Makušev: Zapiski XIX. 2. prilož. 3. 52.*

## 240.

**1279, 4. februara. U Čazmi.**

*Kaptol čazmanski svjedoči, da je Beloš sin Belošev isplatio 20 maraka u ime miraza maćuhe svoje, kćeri bana Opića.*

Nos capitulum Chazmensis ecclesie vniuersis Christi fidelibus presencium per tenorem intimamus, quod comes Stephanus filius Belus vice et nomine Belus filii Belus fratris sui a parte vna et comes Mohor ab altera, ad nostram in festo purificacionis beate virginis personaliter accedentes presenciam exhibuerunt nobis litteras domini Nicolai bani tocius Sclauonie, in quibus exponebatur, quod dictus Belus filius Belus racione dotis nouerce sue, filie Apa bani, sororis videlicet ipsius comitis Mohor, quam idem ex permissione ipsius domine supra dictum Belus requirebat, daret et solueret in die cinerum viginti marcas coram nobis. Continebatur eciam in hiisdem litteris bani, vt eodem die et termino idem comes Stephanus cum prefato Belus super eo, quod comes Belus maritus dicte domine duo monilia aurea eiusdem domine pro suis negotiis nominatim non expositis prestare debeat sacramentum. Qui quidem comes Mohor licet coram nobis personaliter astans protestatus fuerit, vt predicte uiginti marce eidem domine per Belus prefatum exintegre date sint et solute; tamen nos, prout expediebat, in argumentum iusticie euidencioris et cautele amplioris nostrum hominem videlicet Thomam sacerdotem chori nostri ad requirendam eandem dominam duximus transmittendum. Qui homo noster postmodum ad nos reuersus dixit, quod predicta domina per ipsum super facto premisse solucionis requisita responderit et publice fuerit confessa; ut sibi per dictum Belus priuignum suum super dote sua, predictis uiginti marcis ab eodem ex integro receptis, per omnia et in omnibus fuisset satisfactum et quod idem Belus super facto duorum monilium, pro quibus, vt premisimus, cum dicto comite Stephano iurare debuit, satisfaccionem sibi congruam et condignam exhibuisset et per omnia super premissis fuerit expeditus. In cuius facti memoriam pleniorem et robur presentes concessimus sigilli nostri patrocinio communitas. Datum sabbato post festum purificacionis beate virginis supradictum, anno domini millesimo $CC^{0} LXX^{0}$ nono.

*Original na blijedo ispisanoj pergameni na kojoj visi o bijeloj i zelenoj vrvci okrugli pečat. U nar. muzeju u Budapešti.*

*Wenzel Cod. dipl. Arpad. IV. 204—5. — Kukuljević Reg. no. 1258.*

## 241.

**1279, 24. februara. U Zadru.**

*Ivan i Mager sinovi Varikaše dozvoljuju naslon na svoju kuću samostanu sv. Krševana.*

In Christi nomine. Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo octauo, indictione septima, die quinto exeunte mense februario, Jadre, temporibus equidem domini Jacobi Contareni incliti ducis Veneciarum et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Marci Michaelis egregii comitis. Manifestum facimus per hoc presens instrumentum, nos quidem Johannes et Magerus fratres filii Raynerii de Varicassis ciuis Jadre, quomodo damus, concedimus et donamus vobis namque dompno Juano abbati monasterii sancti Grisogoni Jadre vestrisque successoribus plenam virtutem et liberam potestatem faciendi, laborandi, ponendi et alligandi culmum seu murum stacionis seu domus predicti vestri monasterii sancti Grisogoni posite in ciuitate Jadre in confinio sancti Stephani super uiam publicam uersus quirinam ad murum seu culmum domus nostre, que est uersus boream et predicta vestra domus seu staciones sunt de austro, ita quod possitis libere alligare predictum vestrum culmum seu murum ad nostrum superscriptum; a uia publica de quirina uersus trauersam usque ad vestrum arcum voltum et in altum quantum volueritis, pro cuius precio et reffunsione plene a uobis suprascripto dompno abbate recepimus et habuimus libras denariorum venetorum paruorum decem et dimidiam, quas nobis dedistis et integre persoluistis, vnde si alcius quam extenditur, predictus noster murus seu culmum laboraueritis, teneamur uobis cum nostris heredibus per medietatem satisfacere opus, quod per uos super ipsum nostrum murum fuerit laboratum; et e conuerso si contigerit nos opus vobis laborare super ipsum murum nostrum teneamini, nobis satisfacere per medietatem, quandocunque ipsum vestrum murum ad nostrum alcius volueritis alligare et nos uobis eciam cum laborare uoluerimus et non ante. De alio autem nostro muro qui est uersus trauersam inter nostram et vestram curiam nobis persoluetis medietatem, si per aliquod tempus vestrum opus ad eum uolueritis alligare. Actum est hoc coram hiis rogatis testibus, Çanino filio Çilii Ragusey et Francisco filio Cebre de Cocalle Jadrensibus et aliis.

*(Drugi rukopis).*

Ego Barte de Jurislauo examinator manum misi.

Ego Henricus imperiali auctoritate notarius et Jadrensis iuratus hiis interfui et rogatus scripsi et roboraui.

*(Signum notarii.)*

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru odio sv. Krševana. Capsulla IX. Masso T. no. 20.*

## 242.

**1279, 15. marta. U Čazmi.**

*Kaptol čazmanski javlja kralju Ladislavu, da je na njegov nalog ovršio diobu zemlje Ladislavljeve Boršanovac izmedju Tiburcija i Jakoba.*

Capitulum Chasmensis ecclesie omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam serie presencium volumus peruenire, quod nos recepimus litteras [Ladislai] regis nobis super facto, quod paulo inferius plenius exprimitur destinatas tenorem huiusmodi continentes:

*(Vidi listinu Ladislava od g. 1278. 29. decembra.)*

Quibus litteris domini regis debito honore, ut tenemur, receptis, cum eodem Paulo homine eiusdem domini regis vnum ex nobis videlicet magistrum Gregorium ad premissa exequenda pro test[imon]io duximus destinandum. Qui postmodum cum eodem homine domini regis ad nos reuersus huiusmodi diuisionem super possessione prefati Ladizlay inter partes predictas factam fuisse recitauit, hiisdem presentibus eandemque diuisionem pro bono acceptantibus et pro grato, videlicet. medietas possessionis prefati Ladizlay a parte terre Borsanouch et dicti magistri equali dimensione, prout metis separatur infrascriptis, cessit eidem magistro Jacobo et Iwan fratri eiusdem cum omnibus vtilitatibus, vineis videlicet et iobagionibus existentibus in eadem; alia dimidietate possessionis eiusdem a parte terre Dyonisii filii Vechereni similiter cum vineis et iobagionibus in eadem existentibus, item cum seruis et ancillis dicti Ladizlai predicto Tyburcio remanente et cedente. Mete autem quibus predicta diuisio distingitur, sicut idem magister Gregorius et partes concordantes retulerunt, tales sunt: videlicet prima meta incipit a parte meridionali in fluuio minoris Gresencha in vicinitate terre dicti magistri Jacobi ab arbore piri cruce signata meta terrea circumfusa, inde in eodem fluuio tendens superius, exit ad arborem gertan cruce signatam meta terrea circumfusam; inde ad berch in quo procedens versus septemtrionem venit ad arborem piri cruce signatam, meta terrea

circumfusam, [inde] ad arborem scil cruce signatam meta terrea circumfusam; inde descendens v[enit] ad tres [arbores] cerasi cruce signatas metis terreis circumfusas; inde procedens intrat in dictum Gresencha minorem, in quo tendens superius per magnam vallem exit et asscendit ad montem ad arborem tul cruce signatam meta terrea circumfusam; inde directe tendens versus occidentem asscendit iterum ad montem, vbi sunt due arbores tul cruce signate metis terreis circumfuse site iuxta viam, quarum vna est dicti magistri Jacobi alia vero Tyburcii prefati desscendens(!) intrat in fluuium Sumecha in quo procedens superius asscendit ad montem ibique commetatur terre Baboneg, vbi est arbor byk cruce signata meta terrea circumfusa; inde in modico spacio procedens vicinatur terre Farkasii filii Danicha, de inde retroflectitur et descendens per metas communes predictas declinat ad vicinitatem terre Dyonisii filii Vechereni in metis antiquis et hinc venit ad arborem nucis cruce signatam sitam in medio cuiusdam vinee; inde descendens versus occidentem venit ad caput putei; inde descendens per riuulum in magno spacio cadit in fluuium minoris Gresencha, vbi commetatur terre filiorum Mykou, inde in eodem minori Gresencha tendens superius in commetaneitate terre dicti magistri exit ad arborem piri videlicet ad priorem metam communem ibique terminatur. Hoc tamen non pretermitimus, quod idem magister Jacobus in terra, que sibi in diuisione cessit existentes vineas et ad eandem spectantes in latere cuiusdam montis a parte septemtrionali inter minorem Gresencha et inter viam, que Auraccha versus castrum Garyg tendit, constitutas, excepta vinea filii Dragun iobagionis sui reliquit et resignauit pro bono pacis Tyburcio supradicto; idem vero Tyburcius duas vineas Drasina et Porbozlay iobagionum ipsius magistri Jacobi super terram, que ipsi Tyburcio cessit constitutas, eidem magistro Jacobo resignauit et reliquit. Vt igitur prefate diuisionis series robur perpetue, firmitatis optineat, presentes concessimus sigillo nostro communitas. Datum et actum quarta feria proxima post dominicam letare, anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono.

*Iz originalnog prijepisa kaptola čazmanskog god. 1345. 4. marta. — Potonji prijepis u arkivu jugoslavenske akademije u Zagrebu: Diplomata a. 1278.*

## 243.

**1279, 20. marta. U Čazmi.**

*Pred kaptolom čazmanskim biva prodaja zemlje u Poljani kraj Križevaca.*

Capitulum Chasmensis ecclesie vniuersis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam serie presencium volumus peruenire, quod Budilou filio Budou, Mathya filio Zlobk et Lourech filio Gmiza iobagionibus castri Crisiensis de Polana a parte vna, ab altera autem magistro Thoma filio comitis Essce pro se et eodem patre suo coram nobis personaliter constitutis, iidem Budilou, Mathyas et Lourech de terra eorum ipsos in Polona(!) titulo hereditario contingenti quandam particulam metis, terminis, limitacionibus et signis infrascriptis distinctam cum pertinenciis, adiacenciis et vtilitatibus suis vniuersis, sine debitis et seruiciis de eadem particula dari et exhiberi consuetis, confessi sunt vendidisse eisdem comiti Essce et magistro Thome eorumque per eos heredibus pro nouem marcis plene acceptis, vt dixerunt, irreuocabiliter habendam et iure perpetuo possidendam in ea libertate, qua nobiles regni Sclauonie perfrui dinoscuntur et censentur. Mete autem partic[ule terre supr]adicte, sicut homo noster, quem ad faciem ipsius miseramus, nobis recitauit, presentibus Jacobus centurione, Iwan fratre eiusdem, Dragula Ch . . . . . osk, Domacha, Zobycha filiis Bela, Guerden, Gerdos filiis Gordyla, Dunce, Wlchynk filiis Brata, Johanne filio Iwanka, Herrico, Adam filiis Oscel, altero Oscel, Gregorio ac Wlko filiis eiusdem, Woyneg filio Myrk, Fabiano fratre dicti Mathia, Farkas filio Chakan, Pribizlo filio Dragyna, Mathya et Mateyk filiis Wenen pacifice et quiete erecte, taliter distinguntur; videlicet prima meta incipit iuxta terram dicti comitis Essce a parte occidentis in meta terrea, inde versus partem orientis procedens venit ad aliam metam terream, inde ad arborem pomi cruce signatam meta terrea circumfusam sitam iuxta fluuium Zdezlauel, inde pertransiens ipsum fluuium venit ad metam terream, inde ad aliam metam terream, inde declinans versus meridiem venit ad metam terream in introitu silue, inde ad viam, in qua procedens in magno spacio venit ad duas arbores gartean cruce signatas metis terreis circumfusas, inde ad arborem scil cruce signatam meta terrea circumfusam, inde procedens cadit in fluuium Prasincha, in quo procedens inferius versus meridiem in conpetenti spacio exit ad metam terream, deinde tendens versus partem occidentis venit ad puteum, inde ad metam terream, inde ad priorem metam ibi-

que terminantur. Vt igitur prefate vendicionis series robur inviolabilis firmitatis optineat, nec per quempiam tractu temporis valeat retractari, presentes ad instanciam dictorum venditorum eisdem comiti Essce et magistro Thome concessimus sigilli nostri patrocinio communitas, hac tamen condicione specialiter obseruata et adiecta, quod iidem venditores assumpserunt et obligauerunt se, quod [si qui] processu temporis racione particule terre vendite contra ipsum comitem Essce et magistrum Thomam insurgerent, ipsi eosdem laboribus propriis et expensis omnibus modis expedire tenerentur, indempnes in hac parte conseruando. Datum et actum secunda feria post dominicam iudica anno domini M° CC° LXX nono.

*Iz prijepisa istoga kaptola od god. 1383. 5. septembra, kod imovinske općine Sv. Jelena-Koruška kod Križevaca.*

## 244.

**1279, 4. aprila. U Zadru.**

*Stjepan sin pokojnog Chreya prodaje Stani kćeri Krestinoj vinograd.*

In Christi nomine anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo nono, indiccione septima, die quarto intrante mense aprili, Jadre, temporibus equidem domini Jacobi Contareni incliti ducis Venecie et magistri Laurencii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Marci Michaelis egregii comitis. Manifestum facio per hoc presens instrumentum ego quidem Stephanus habitator Jadre filius condam Chrey, quomodo cum voluntate et assensu domine Stanne vxoris condam Nassii de Bualdo Jadre ad hoc presentis do, dono, vendo, atque transacto Stanne filie condam Creste habitatoris Jadre filii condam Marini Arbensis quandam meam vineam, quam habeo in maceriis pastinatam super terram dicte Stanne de Nassi que reddit sibi quartum, cui de borea est vinea matris mee Peruche super terram dicte Stanne et de austro est vinea Chraniçi, de trauersa est terra heredum condam Blasii de Soppe et de quirina est vinea ipsius Stanne de Nassi, cum plena virtute amodo in antea cum tuis heredibus et successoribus ipsam vineam habendi, tenendi, gaudendi, possidendi, vendendi, donandi, pro anima et corpore indicandi omnemque aliam tuam voluntatem et vtilitatem libere faciendi cum omnibus suis certis terminis, pertinenciis, confinibus et habenciis ipsi vinee tam subter terram quam supra terram in integrum pertinentibus uel que pertinere sibi possunt, dando, redendo et soluendo annuatim eidem domine Stanne de Nassi suisque heredibus et

successoribus fideliter quartam partem vini et omnium aliorum fructuum ex ipsa vinea et terra proueniencium Precio cuius vendicionis plene a te habui et recepi libras denariorum venetorum paruorum duodecim, quas mihi dedisti et integre persoluisti. Vnde cum meis heredibus et successoribus teneor et promitto ipsam vineam excalumpniare et defensare tibi tuisque heredibus et successoribus in racione ab omni homine et persona super me et omnia bona mea in hoc seculo habita et habenda, saluo tamen sem[per omni] iure dicte domine Stanne de Nassi et suorum heredum. Actum est hoc et firmatum coram hiis vocatis et rogatis testibus, scilicet Juano dicto Sarcho et Radoscio filio Geo[rgii] Jessina Jadrensibus et aliis.

*Original u gubern. arkivu u Zadru (odio samostana sv. Kršcvana caps. XIV.).*

## 245.

**1279, 19. aprila. U Čazmi.**

*Pred čazmanskim kaptolom prodaje Mojtin sin Dragušin svoju zemlju u Klokočevcu za tri marke i tri penze Lovri i Jurju sinovima Bratiše.*

Capitulum Chasmensis ecclesie vniuersis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam serie presencium volumus peruenire, quod Moytin filio Dragusa iobagione castri de Ryuche a parte vna, ab altera autem Georgio filio Bratysa, tam pro se quam pro Laurencio fratre suo coram nobis personaliter constitutis, idem Moitin porcionem terre sue in Kolkocheuch existentem ipsum solum, sicut dixit, contingentem totaliter et omnino confessus est vendidisse eisdem Laurencio et Georgio suisque per eos heredibus pro tribus marcis denariorum et tribus pensis plene acceptis, prout retulit, iure perpetuo possidendam et habendam, quomodo primo Laurencio et Moruch filiis Sauli pignori obligauerat et redemit ab eisdem. Cuius terre mete, sicut partes retulerunt, tales sunt, videlicet prima meta incipit iuxta fluuium ubi est meta terrea, inde versus partem occidentalem procedens venit ad aliam metam terream sitam iuxta viam, inde in via procedens modicum versus partem septemtrionis declinat et directe versus partem occidentis tendens venit ad quatuor arbores cerasi cruce signatas, inde per nemora in quadam semita versus partem septemtrionis tendens venit ad arborem harazth meta terrea circumfusam, inde in quadam via versus partem orientis in modico spacio procedens

venit ad arborem merasi meta terrea circumfusam, inde directe versus septemtrionem procedens in quadam via inter duas arbores nucum cruce signatas venit ad metam terream, inde ad partem orientalem iuxta quedam merasa, deinde ad arborem cerasy, inde ad arborem ffyz (!) cruce signatam, inde in quadam semita ad metam terream, inde iuxta dumus monerorum procedens venit ad arborem cerasi cruce signatam, inde in fluuium Klokocheuech directe in veterem locum molendini et in eodem fluuio Klokocheuech descendit ad metam priorem ibique terminantur. Asseruit eciam idem Moytin, quod predicta terra sua nulli magis quam predictis Laurencio et Georgio conueniat ad emendum, proximitatis et consanguineitatis racione. In cuius facti testimonium presentes concessimus sigilli nostri patrocinio communitas. Datum quarta feria proxima post quindenas pasce, anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono.

*Iz originalnog prijepisa bana Ladislava od Lučenca od g. 1388. 2. marta na papiru u kr. ug. drž. arkivu u Budimpešti: M. O D L. no. 34.631. Stara signatura: »Acta monasterii de Ztreza«. fasc. I. no 15.*
*Kukuljević Reg. br. 1279.*

## 246.

**1279, 23. aprila. U Trogiru.**

*Prodaja kuće radi duga učinjena najmom jedne ladje.*

In Christi nomine amen. Anno eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo nono, indictione septima, die dominico, octauo exeunte aprili, temporibus domini Ladisclaui serenissimi regis Vngarie, domini Johannis Traguriensis episcopi, domini Johannis eiusdem ciuitatis comitis ac dominorum Dese Ambrasii(!), Luce Mathei, Duymi Dominche Traguriensium consulum. Cum coram nobis predictis consulibus et Traguriensi curia Jula Pluçii accessisset et Nicolaum Jacobi Marchi citari fecisset, eidem Nicolao in nostri presencia et curia nominatus Jula pro se et quibusdam suis sociis quandam pecunie quantitatem ab eodem Nicolao petebat, quam dicebat sibi dari deberet pro naulo et debito cuiusdam sue nauis et sociorum suorum, ut ostendebat presens instrumentum Dicto autem Nicolao coram nobis consulibus existente confiteretur, ita verum esse, secundum quod ipse asserebat, Jula tamen allegabat et dicebat, se non habere unde dicto Jula et sociis suis soluere posset debitum memoratum, nisi de bonis suis aliquid venderetur et de vendicione eorumdem bonorum idem Jula sumeret pacamentum debiti pre-

dicti. Et quia dictus Nicolaus longas petebat moras ad soluendum, nos consules memorati de consensu tocius consilii, volentes vnicuique reddere ius suum, domum ipsius Nicolai positam in Tragurio prope domum Marchi fratris sui et versus domum discopertam Vodomiri mediace (!) via, per preconem ciuitatis publica in platea incantari, preconiçari fecimus et banıri Cum per plures dies dicta domus incantata et preconiçata fuisset et nullus foret qui ultra centum et quinquaginta libras de ipsa offeret, Dessa Duymi Mursicafaua libras centum LX o(b)tulit ad incantum. Expectato uero per multos dies et cum aliquis non esset qui eidem Dese incantum ruperet, dictum Nicolaum venire fecimus coram nobis et eidem scire fecimus vniuersa. Quapropter habito[1] consilio diligenti de consensu sepefacti Nicolai dictam domum cum ingressibus et egressibus et cum omnibus suis partium (!) pro CLX libris eidem Dese dedimus, concessimus et tradimus habendam, tenendam et perpetuo posidendam et de ipsa omne uelle suum facere finito precio et vendicione precisa predictorum CLX librarum, de quibus libris Pradda uxor dicti Nicolai fuit confessa presente et consentiente viro suo septuaginta libras ab eodem Desa se recepisse pro dote, quas ad suum peruenerat virum. Vnde nos sepescripti consules cum vniuerso consilio statuimus, uolumus et decernimus, ut de cetero nullus velit ipsum Desam uel suos heredes in dicta domo inquietare, uel sibi uel suis heredibus aliquam facere questionem, nec alicui teneantur penitus respondere et huic vendicioni dictus dominus Nicolaus et uxor eius Pradda prebuerunt assensum. Actum in platea presentibus Marino Casariçe, Bastiano Luce Teodosii, Mauro Stoyche et domino Duymo Dominche examinatore. Ego Duymus Dominche examinaui.

Ego Nasiura de Triuixio imperiali auctoritate notarius et eiusdem temporis totius comunitatis Traguriensis nil addens uel minuens, quod sententiam mutet, de mandato dominorum Dese Amblasii, Luce Mathei, Duymi Dominche tunc consulum dicte terre, ex abreuiaturis Taraçoni scriptoris comunis sigillo publico roborato interfui et scripsi signoque meo sollito pleniter roboraui.

*Diversa cancellariae 1325. u dubrovačkom arkivu. Vidi listinu od 26. aprila 1276. u Trogiru.*

[1] Pisan hiato mj. haito.

## 247.

**1279, 12. maja. U Čazmi.**

*Kaptol čazmanski ustanovljuje prodaju zemalja knezu Ruhu.*

Capitulum Chasmensis ecclesie universis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in (domino) sempiternam. Ad universorum noticiam serie presencium volumus pervenire, quod Emerico et Georgio filiis Wlchata a parte una, ab altera autem comite Ruh coram nobis personaliter constitutis, iidem Emericus et Georgius quandam terram eorum in Decha sub comitatu de Garig existentem, ipsos, ut dixerunt, contingentem, cum vineis et omnibus aliis utilitatibus suis, sub metis, terminis, limitacionibus et signis infrascriptis. Item quandam parvam vineam in monte Korgou super terra Pouka filii Bethlen constitutam confesi sunt vendidisse eidem comiti Ruh suisque per eum heredibus, pro viginti marcis minus una iure perpetuo possidendam et habendam. Cuius terre mete sicut homo noster, quem ad faciem ipsius miseramus, nobis recitavit, presentibus omnibus conmetaneis et vicinis pacifice et quiete erecte hoc ordine distinguntur. Videlicet prima meta incipit in vicinitate terre ipsius comitis Ruh de parte orientali ab arboribus harazth cruce signatis metis terreis circumfusis. Inde in quadam parva valle procedit versus partem meridionalem cadit in magnam vallem, ubi continguatur terre Mortunus filii Chenke. Inde in eadem magna valle procedens superius versus septemtrionem conmetatur tere Nicolay dicti Teutonici, tendensque in predicta magna valle exit ad arborem haas cruce signatam meta terrea circumfusam, sitam in capite eiusdem vallis Inde ad montem ad arborem gartan cruce signatam, meta terrea circumfusam, sitam iuxta viam. Inde in valle procedens cadit in fluvium Deccha(!), ubi vicinatur terre Ivan, deinde in eodem fluvio Deccha tendens inferius versus partem orientis contiguatur terre dicti comitis Ruh ibique terminatur. In cuius vendicionis memoriam pleniorem et robur presentes concessimus sigilli nostri patrocinio communitas. Datum in crastino ascensionis domini, anno eiusdem millesimo ducentesimo LXX. nono.

*Cod. dipl. patrius VII. 171—2 no. 130. Po originalu u arkivu grofova Erdöda. Pečat visi na vrvci ružičasto bijele boje.*

## 248.

**1279, 14. maja. U Zadru.**

*Miha Soppe priznaje za neke zemlje, da pripadaju Grizogonu Šestogizdi.*

In nomine domini amen. Anno incarnationis eius millesimo ducentesimo septuagesimo nono, mensis maii, die quartodecimo intrante, indictione septima, Jadre, temporibus equidem domini Jacobi Contareni incliti ducis Veneciarum et magistri Laurencii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Marci Michaelis egregii comitis. Ego namque Micha de Soppe ciuis Jadre mea bona et gratuita voluntate confiteor, quod quedam terra, tam munda quam inculta, posita in insula infra fines Garme Losigi et Garme Boriche, incipiendo a quodam orticello, lingua sclauonica vertleç nuncupato et eundo in austrum usque ad quandam cernicam olym dicta cernica Vidonge et ab ipsa cernica eundo in quirinam usque ad brigum et uersus trauersam est mare et in quirinam usque ad carsum est tui Grisogoni Scestogisdi ciuis Jadre et est etiam ipsa cernica tua, quam quidem suprascriptam terram cultam et iucultam a te dicto Grisogono habui, et per manum tuam tenui et laboraui, ac ex ea tibi terraticum dari feci. Unde ipsam terram superius terminatam tibi suprascripto Grisogono Scestogisdi tuisque heredibus, per me meosque heredes et successores tamquam tuam propriam libere et precise iure perpetuo relinquo atque dimitto in omnibus et per omnia, me meosque heredes et successores foris ex ea faciendum ab hodierno die. Actum est hoc et firmatum presentibus his vocatis et rogatis testibus, videlicet Volcina Ginnani et Matheo Sergii Dentus. Ego Federicus Grisogoni examinator examinaui.

Ego Vincentius ecclesie sancte Marie maioris clericus et iadrensis notarius predictis interfui rogatus, ut audiui hanc cartam scripsi, roboraui et signo solito signaui.

*(Signum not.)*

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru, odio sv. Krševana. Cassetta V, no. 81.*

## 249.

**1279, 5. juna. U Dubrovniku.**

*Gradovi Dubrovnik i Kotor sklapaju mir i prijateljstvo.*

Salutifere incarnationis domini anno millesimo ducentesimo septuagesimo nono, indicione septima, die quinto intrante mense iunii. Nos Marcus Geno de mandato incliti domini ducis Venetorum comes Ragusii, cum voluntate minoris et maioris consilii et cum laude populi Ragusii in publica concione per sonitum campanarum more solito congregata, super bono statu et reformatione ciuitatis Ragusii diligenti meditatione et debita sollicitudine intendentes, quia per concordiam parve res crescunt et e contra per discordiam maxime dilabuntur et inconueniens ac inhonestum multum est, vt maxime inter conuicinos, domesticos et propinquos, inter quos debet uigere concordia, possit quocumque modo inconciuitas pullulare, post multos et uarios tractatus ad inuicem habitos cum nobilibus et prudentibus viris dompno Triphone archidiacono Catar[ensi], Thoma, Thoma Drag[i], Calixto Pou[er]geni, Johanne de Pribi, Martholo Pascalis, Micha Petri, Di[mi]ne et Johanne Bebezi missis ambassiatoribus, syndicis et procuratoribus per comune et homines Catari, tandem de comuni partium uoluntate ad concordiam deuenimus in hunc modum: Primo statuimus et firmamus, quod inter utramque ciuitatem pacis et concordie firmitas debeat permanere [tali] uidelicet ordine, quod si dominus rex Rassie cum gente sua uoluerit dare comuni Ragusii guerram, comune et homines Catari tenean[tur] [p]ro posse suo turbare dictam guerram et si dictam guerram turbare non possent, sit in optione tam communis Ragusii quam communis C[atari] facere guerram uel non facere, ita tamen, quod illud commune, quod uoluerit facere guerram, teneatur alterum commune diffidare, antequam faceat [guer]ram, et quod ante diffidationem statuatur certus terminus congruus, infra quem commune Catari possit mittere ad dominum regem et missi [a] rege redire ad procurandum et laborandum circa regem et barones, ut pax detur communi Ragusii; et si infra dictum terminum pax non p[ote]rit procurari, dictum commune Catari notificabit communi Ragusii et deinde sit in uoluntate communis Ragusii dandi guerram; ita tamen, quod ante dationem guerre semper diffidatio guerre antecedat. Item uolumus, quod homines Catari possint nauigare et naulizare cum lignis Ragusinorum et habere societates et messitationes ad inuicem tali uidelicet modo: quod si Catarinus in Ragusio faciet aliquod mercatum cum Ragusino de aliquibus mercatoribus et rebus et uoluerit dictas merca-

tiones et res extrahere uel extrahi facere de Ragusio et portare uel mittere ad loca ubi soluitur ius doane, ille Ragusinus, qui uendat Catarino dictas res, soluat doane Ragusii de dictis rebus ad rationem triginta denariorum venetorum grossorum pro quolibet centenario yperperorum, exceptis fostagnis, de quibus soluat dicte doane vnum denarium venetum grossum pro qualibet petia de fostagno, et excepto drappo de lino, de quo soluat dicte doane ad rationem [t]rium denariorum venetorum grossorum et tertie de grosso pro quolibet centenario de drappo. Si autem Catarinus emerit in Ragusio aliquas mer[cationes et res ab aliquo foresterio, ipse Catarinus soluat dicte doane Ragusii id quod predictum est, si illas portauerit ad loca predic[ta] . . . si emerit a Veneto, tunc nichil soluat doane. Et si Catarinus uenerit Ragusium et uoluerit nauigare extra Ragusium cum [ligno] . . . . , ipse Catarinus soluat ius doane Ragusii, sicut soluit Raguseus, si uero ipse Catarinus nauigauerit cum ligno Ra[gusium] et mouerit se de Venetiis uel de Marchia siue de aliquibus locis et iuerit in aliquas terras, pro quibus soluitur ius doane, [soluat] ipse Catarinus doane Ragusii, ut predictum est de rebus, de quibus soluitur ius doane; tamen si Catarinus nauigauerit cum ligno foresteriorum in terras Sclauonie, libere uadat et nichil soluat dicte doane. Si uero ipse Catarinus uenerit in Ragusium cum aliquo ligno tam Ragusinorum quam foresteriorum cum aliquibus mercatoribus et rebus et uoluerit illas portare s[eu] mittere de Ragusio ad aliquas terras, pro quibus soluitur doane, soluat ipse Catarinus ius doane Ragusii, exceptis Veneti[s], cum quibus nichil soluitur doane; saluo si ipsi Catharini(!) non exonerarent dictas mercationes et res in terra, tunc nichil soluant doane, tamen si ipsi fecerint [introitum in] portum et exonerauerint in portu Ragusii de uno ligno in aliud, soluant doane Ragusii, ut predictum est. Et etiam si Catarinus extraxerit de Ragusio seruum uel ancillam, soluat [idem], quod soluit Ragusinus; et si Ragusinus extraxerit de Cataro seruum uel ancillam, soluat id, quod soluit Catarinus. Item uol[umus], quod tam Ragusini, quam Catarini possint facere credentias et reposturas siue deposita ad inuicem in hunc modum. [quod, si] Catarinus fuerit debitor Ragusino, debeat fieri Ragusino in Cataro iustitie complementum, scilicet si debitor non s[oluerit] creditori ad terminum constitutum, mobile debitoris detur creditori, et si mobile non sufficeret ad solutionem debi[ti, debi]tori stabile assignetur, et ille creditor possit uendere dictum stabile sine ulla contradictione usque ad solutionem debi[ti], [et] contra dictam uenditionem non dabitur aliquod impedimentum per commune et homines Catari, immo commune Catari dabit operam qui uendat; et si mobile et stabile non sufficerent ad solutionem debiti, persona debitoris assignetur creditori; et illud idem in

omnibus predictis fiat, si Ragusinus debitor fuerit Catarino; saluo iure in omnibus predictis prioris debiti facti per cartam notarii tam ragusini quam catarini. Item firmamus, quod omnia deposita siue debita facta tempore pacis in Cataro et pertinenciis eius per homines Ragusii debeant esse salua et secura tam a quolibet domino Sclauonie siue rege, quam [a] quolibet alio tam Catarino quam foresterio. Et de debitis et depositis factis tempore pacis extra Catarum per homines Ragusii hominibus Catari, quod debeant saluari per Catarinos. Et hoc idem quod dictum est de assecuratione facienda de debitis et depositis Ragusinorum factis in Cataro et extra Catarum per homines Ragusii intelligimus, quod debeat fieri de depositis et debitis factis in Ragusio et extra Ragusium per homines Catari hominibus de Ragusio tempore pacis, et etiam si aliqui Catarini exierint de Cataro tempore pacis et fuerint extra Catarum in Apuleam uel Venetias uel alio adueniente guerra, si ipsi fuerint intra Culfum, debeant se mouere infra duos menses, postquam guerra fuerit incepta, de locis illis, in quibus fuerit, ad ueniendum Catarum, et non possint mutare uiagium et tunc nullum habeant impedimentum ueniendo Catarum . . . . . . . . . mouerint de dictis locis infra dictum terminum duorum mensium; et si ipsi fuerint extra Culfum, nullum habeant terminum . . . . . [ut redire] possint Catarum, quandocumque eis placuerit, salui et securi sine impedimento. Et similiter si Ragusini fuissent in te[mpore] pacis et adueniente guerra ipsi uenirent Catarum, dicti Ragusini sint salui et securi sine ullo impedimento in persona . . . . . . Item firmamus, si Catarini naulizauerint aliquod lignum tam Ragusinorum quam foresteriorum ad eundum Catarum cum fru[mento sa]le et aliquibus mercationibus, quod Ragusini non possint eos impedire; saluo si non possent haberi in Ragusio quatuor copelli de frumento [pro] uno yperpero, tunc frumentum possit impediri et detineri per Ragusinos. Item volumus, quod Ragusini, si non poterunt se concordare ad uendendum salem communi Ragusii, possint dictum salem portare et uendere Catarum, si commune Catari ad emptionem poterit concordare. Nos autem prenominati ambassiatores, syndici et procuratores communis Catari nomine et uice communis et hominum ciuitatis Catari vobis domino comiti supradicto, [communi] et hominibus Ragusii promittimus omnia infrascripta: primo, quod commune Catari dimittet omnem doanam impositam super homines Ragusii in ciuitate [Catari] et extra; immo si aliquis Ragusinus fecerit mercatum cum Catarino seu foresterio in ciuitate Catari uel extra emendo uel uendendo, libere [habeat] ipsum mercatum ab omni iure doane et nichil soluat ipse Raguseus, siue uendat siue emat, nec qui cum eo contraxerit. Item promitti[mus, quod ci]uitas Catari non faciet tam in ciuitate Catari

quam extra aliquod statutum siue ordinamentum contra commune et homines Ragusii et etiam [homines Ca]tari non facient nec tractabunt aliquid ubicumque fuerint, quod sit contra commune et homines Ragusii; et si aliquod ordinamentum siue statutum fuit uel fiet contra predictos commune et homines Ragusii, sit cassum et nullius ualoris; et illud idem locum habeat, si commune et homines Ragusii fec[erunt uel] facient aliquod statutum uel ordinamentum contra commune et homines Catari, excepto statuto de parentelis non faciendis cum hominibus Catari, quod [in] sua permaneat firmitate. Item promittimus, quod fiet omnibus Ragusinis de patrimoniis eorum que habent in Cataro iustitie complimentum, et si Ragusini uoluerint dicta patrimonia uendere, possint illa uendere quibus uoluerint, et quod huic uenditioni non dabitur impedimentum per commune et homines Catari, immo commune Catari dabit auxilium et operam, ut uendatur; et si aliquis Catarinus aliquod impedimentum dederit uel faciet uenditioni dictorum patrimoniorum, quod Ragusini, quorum fuerint dicta patrimonia, possint agere contra impeditorem et petere rationem suam. Et hoc totum quod dictum est super capitulo de patrimoniis, teneantur facere commune et homines Ragusii Catarinis de patrimoniis eorum que habuerint in Ragusio. Item promittimus et firmamus, quod commune uel homines Catari non citabunt nec citari siue apellari facient commune nec aliquem hominem de Ragusio coram rege nec coram aliquo domino siue officiali Sclauonie pro aliquo debito nec pro aliqua re, set uenient aut mittent Ragusium ad petendum rationem exceptis messitationibus et questionibus, quas haberent ad inuicem stando in Sclauonia, que diffiniri debeant in hunc modum. Videlicet si Catarinus uoluerit petere rationem supra Ragusinum, petat coram duobus iudicibus Ragusinis et Catarinis per utramque partem comuniter electis; et si dicti iudices concordare non possent, Catarini ueniant uel mittant Ragusium ad petendum ius suum. Et similiter faciant Ragusini. Item promittimus et firmamus, quod Ragusini possint portare uinum de eorum propriis uineis in Brisco[u]a sicut et Catarini sine ullo impedimento, et quod tam Ragusini quam Catarini non possint portare uinum forense in Brisco[u]a quoquo modo, et etiam quod tam Ragusini quam [Catarini] non portabunt mel de Ragusio nec de Cataro neque de Chelmo nec de Zenta neque de tota marina in Bris[coua] . . . [Que omnia] et singula suprascripta nos dicti comes, commune et homines Ragusii et nos prenominati ambassiatores, sy[ndici et procurato]res communis et hominum Catari nomine et uice communis et hominum Catari obseruare promittimus sub pena . . . . . . um yperperorum soluendorum qualibet uice, qua fuerit contrafactum a communi, non obseruante predicta com-

muni obseruanti, [que omni]a commune obseruans possit petere, consequi et exigere contra commune non obseruans, quotiens fuerit contrafactum; [et pena] soluta uel non soluta, nichilominus omnia predicta firma permaneant. Et Marinus de Gleda vicarius Ragusii nomine et uice et in animas communis et hominum Ragusii de uoluntate et mandato populi Ragusini, ac etiam Thomas Drag(i) nuntius, syndicus et procurator communis et hominum Catari habens speciale mandatum a communi et hominibus dicte ciuitatis Catari, similiter nomine et uice et in animas communis et hominum Catari, tactis sacrosanctis euangeliis, corporaliter iurauerunt adtendere et obseruare omnia et singula suprascripta sub dicta pena et non contrafacere occasione aliqua seu iure cum obligatione bonorum utriusque communis et hominum utriusque ciuitatis. Et ad certitudinem et euidentiam pleniorem presens scriptum publicatum et roboratum per me notarium infrascriptum [et] sigillis dictarum ciuitatum pendentibus extitit sigillatum.

Et ego presbiter Triphon Petri communis iuratus notarius Catari interfui et de mandato partium rogatus manu propria scripsi, compleui et roboraui.

*(Sign. not.).*

*Original na vrlo dugoj pergameni, oštećen dosta na rubovima u c. kr. drž. arkivu u Beču — rub. Cattaro 163/5.*

*Na listini vise ob uzici od pergamene dva dobro sačuvana okrugla pečata. Dubrovački SIGILUM [COMU]NIS RAGUSII † imade tri spojene kule, na srednjoj sv. Blaž u biskupskom ornatu, lijevo i desno slova S—B (sanctus Blasius). Kotorska legenda nije čitljiva; na pečatu je pod baldakinom s tri bizantinske kupole sveti Trifon na zelenom vosku.*

*Kukuljević Reg. no. 1260.*

## 250.

**1279, 10. juna. U Spljetu.**

*Nadbiskup spljetski Ivan potvrdjuje, da je primio od kaptola i samostana spljetskih novac za papinskog legata Filipa, biskupa firmanskog.*

Nos Johannes dei gracia archiepiscopus Spalatensis ad universorum noticiam uolumus peruenire, quod pecuniam taxatam per venerabilem patrem dominum Philippum Firmensem episcopum et sacrosancte sedis apostolice legatum a capitulo et monasteriis de Spaleto de mandato ipsius domini legati recepimus et illam in nos plenarie habemus, silicet: a capitulo triginta libras denariorum paruorum, a monasterio sancti Ste-

phani duodecim libras, a monasterio sancti Benedicti duodecim libras, a monasterio sancte Marie de insula Solte duodecim libras denariorum paruorum pro qualibet marca argenti. Quam pecuniam totaliter et plenarie promittimus ac obligamus ipsi domino legato uel cui ipse preceperit dare, absoluentes capitulum et predicta monasteria nomine ipsius legati, a quo mandatum recepimus, re[ci]piendi predictam pecuniam ab omni impeticione pecunie memorate. In cuius rei testimonium et noticiam pleniorem presentes litteras nostri sigilli munimine fecimus roborari. Actum Spaleti anno domini millesimo CCLXXVIIII. die X. intrante iunio.

*Original u ark. kaptola u Spljetu a 1279. (XVI. I. 166.)*
*Na listini visi nešto svilene uzice žućkaste boje, pečat je otpao*
*Farlati Ill. sacrum III. 289. — Katona Hist. crit. VII. 782. Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont. IX. 253. (po kopiji u beč. taj. ark.. — Kukuljević Reg. no. 1261.*

## 251.

**1279, 16. juna. U Čazmi.**

*Pred kaptolom čazmanskim prodaje Martin Petrov svoj posjed medju potocima Klokočevcem i Bukovcem za 49 maraka Lumpertu Zudurovu.*

Capitulum Chasmensis ecclesie omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam serie presencium volumus peruenire, quod Martino filio Pet[ri ab] vna [parte] et comite Lumperto filio [Zudur] ab alia, coram nobis personaliter constitutis, idem Martinus de terra sua hereditaria quandam particulam inter fluuios Clokocheuch et Bokouch existentem que facta diuisione cu[m] . . . . . in suam cessit porcionem, prout dixit . . . . . . . . . . . . omibus et signis infrascriptis distinctam cum omnibus pertinencus adiacenciis et vtilitatibus suis, exceptis molendinis in aqua Ploncha constitutis . . . . . . dedisse eidem comiti Lumperto . . . . pro quinquaginta marcis minus vna sicut retulit iam acceptis iure perpetuo possidendam et habendam; astitit eciam coram nobis personaliter Petrus filius dicti [Martini qui] predicte vendicioni per ipsum patrem [facte in nu]llo contradicens fauorabilem consensum prebuit et assensum. Cuius particule terre mete, sicut homo noster, quem ad faciem ipsius miseramus, nobis recitauit, presentibus [comm]etaneis et vicinis pacifice erecte . . . . . . . . [disti]nguntur. Videlicet prima meta incipit

de terra Porog filii Prelsa, quam eidem predictus Martinus pignori obligauit, vbi est arbor haraztli cruce signata meta terrea circumfusa sita iuxta fluuium Bokouch, i[nde] in eodem Bokouch procedens inferius iuxta terram dicti Martini versus meridiem in magno spacio cadit in aquam Plomcha(!), vbi est arbor egwr cruce signata meta terrea circumfusa, deinde in eadem aqua Ploncha procedens inferius per siluam venit ad locum vbi fluuius Klokocheuch cadit in eandem aquam Plumcha(!), ibique sunt due arbores harazth cruce signata(!) meta terrea circumfuse, inde in eodem fluuio Klokocheuch tendens superius in commetacione terre Mile de Ryuch in magno spacio contiguatur terre Petri filii Lesk, deinde in dicto fluuio procedens vicinat terre Joseph Hungari, inde in mo[dico sp]acio procedens venit ad locum vbi riuus Brezthouch cadit in dictum fluuium Klokocheuch, vbi est arbor egur cruce signata meta terrea circumfusa, inde in eodem Brezthouch tendens superius versus partem orien[talem venit ad] arborem haaz cruce signatam meta terrea circumfusam, inde iuxta siluam Breztya vocatam procedens venit directe ad priorem metam ibique terminatur, astiterunt eciam coram nobis Ladomerius filius Des[cev?] Ab[ra]m filius Jacozlay, Isan et Jacou filii Jacus [qui hu]ic vendicioni et empcioni in nullo contradicentes fauorabilem consensum prebuerunt, hoc tamen non pretermittimus, quod idem comes Lumpertus sicut cum eodem . . . . . . . ordinauit de predicta terra ad racionem . . . . . . . . . descensus bani viginti quinque denarios soluere tenebitur annuatim. In cuius facti seu vendicionis testimonium presentes concessimus sigilli nostri [munimine roboratas]. Anno domini millesimo ducente[simo septuagesimo] nono in crastino sanctorum Viti et Modesti.

*Iz originalnog prijepisa iz početka XV. vijeka (14 . .) kaptola čazmanskog na papiru. — Listina vrlo oštećena, u arkivu jugoslavenske akademije u Zagrebu: Diplomata a. 1268.*

## 252.

**1279, 1. jula. U Budimu.**

*Lodomir biskup varadinski prijeti izopćenjem Nikoli banu i njegovim pristašama, pa Stjepanu banu i braći, ako ne budu držali uglavljenoga mira.*

In nomine domini amen. Nos Lodomerius miseracione diuina episcopus Waradiensis memorie commendantes significamus vniuersis quibus expedit presencium per tenorem, quod cum super inimiciciis et hostili-

tatibus ac iniuriis vniuersis, que inter magnificos viros videlicet Nycolaum banum tocius Sclauonie, Stephanum comitem Musuniensem et magistrum Paulum fratres eiusdem filios Stephani bani ac totam societatem et generacionem eorundem ex vna parte, Stephanum banum et comitem Radizlaum filios comitis Stephani, Nycolaum et Stephanum filios comitis Babonyg, Farcasium et Wlchetam filios Jelenk ac totam societatem et generacionem eorundem ex altera super morte Johachini bani felicis recordacionis in area et co[m]u[n]i congressu belli per eundem Stephanum banum et suos socios interhempti orte et susscitate extiterant; et quamquam super hiis tractatus pacis diucius inter partes fuisset protelatus, tandem venerabili patre Thimoteo dei gracia episcopo Zagrabiensi, nobili viro Matheo comite palatino, fratre Matheo abbate Toplicensi ordinis Cystersiensium, fratre Gerardo magistro domus milicie Templi per Vngariam et Sclauoniam et fratre Vgone preceptore de Pukur vice et nomine magistri domus hospitalis mediantibus tamquam arbitris et amicabilibus compositoribus partes ad pacis et ordinacionis vnionem deuenerunt, cuius quidem ordinacionis series articuli et capitula in aliis litteris super predicta ordinacione habitis, concessis et confectis plenius continetur et predicte partes pari, co[mm]uni et vltronea voluntate, prestito iuramento, tactis lignis viuifice crucis ipsam ordinacionem promiserunt attendere et inuiolabiliter obseruare; intervenit etiam, quod si per quempiam parcium presentem ordinacionem violari aliquo studio vel ingenio contingeret vel infringi, nos in transgressores predicte pacis ex auctoritate, consensu et voluntate ac peticione venerabilis patris Tymothei episcopi Zagrabiensis nobis in hac parte concessa sentenciam excomunicacionis dictaremus et ferremus, nos itaque ex huiusmodi auctoritate sentenciam excomunicacionis in hiis scriptis tamquam zelatores pacis amonicione premissa, ut sequitur, duximus promulgandam in hunc modum: In nomine domini amen. Anno eiusdem M° CC° LXX° nono, prima die mensis iulii in monte Budensi in ecclesia sancti Nycolai fratrum predicatorum. Nos Lodomerius miseracione diuina episcopus Waradiensis monemus, inducimus et ortamur primo, secundo et tercio in domino diligenter in hiis scriptis nobiles viros Nicolaum banum tocius Sclauonie, Stephanum comitem Musuniensem et magistrum Paulum fratres eiusdem filios Stephani bani nec non generacionem et societatem eorundem, Stephanum banum et comitem Radizlaum filios comitis Stephani, Nycolaum et Stephanum filios Babonig, Farcasium et Wlchetam filios Jelenk ac totam generacionem et societatem eorundem, ut presentem ordinacionem pacis de eorundem voluntate habitam gratam et ratam habentes aprobent et acceptent. Et ecce vt huiusmodi ordinacio inuiolabiliter consistat ex nunc vt ex tunc, pro-

priis nominibus supratactis expressis, ex auctoritate dicti venerabilis patris domini Tymothei episcopi Zagrabiensis ordinariam iurisdiccionem in spiritualibus in vtramque partem habentis nobis in hac parte commissa et in nos ex consensu parcium prorogata excomunicamus, anathematizamus, ymmo excommunicatos et anamatizatos nunciamus et ab ecclesia p[re]cisos (!) omnes predictos nobiles ac socios et fautores eorundem puplice denunciamus, qui si ipsam ordinacionem tam salubriter inhibitam facto consilio vel aliquo modo, studio vel ingenio tem[er]are, violare, infringere presumpserint vel turbare, tradentes corpora eorum satane in interitum carnis, ut spiritus eorum in die domini salui fiant. Et hec omnia data, acta, recitata sunt anno, die et loco supradictis presentibus venerabilibus patribus domino Tymotheo episcopo Zagrabiensi, domino Petro episcopo Transsiluano, fratre Petro priore prouinciali ordinis fratrum predicatorum per Vngariam, fratre Marcello priore Quinqueecclesiensi, domino Mycaele preposito Zagrabiensi, magistro Regulo cantore ecclesie Transsiluane et aliis quam pluribus ad hec specialiter vocatis et rogatis.

*Original pisan po preko tintom i pismom talij. notara, u kr ugar. drž. arkivu u Budimu: Dl. 38.478. (bivši arkiv Frankop. u Porpettu no. 6.) — Vidi se trag, gdje je ob uzici visio pečat.*

*Thallóczy-Barabas Cod. Blag. 36—38 br. 16. — Kukuljević Reg. no. 1268. (sasvim kratko).*

## 253.

**1279, 4. jula.**

*Pred kaptolom zagrebačkim prodaje sin Oporov svoju zemlju Kostanjevac.*

[C]apitulum ecclesie Zagrabiensis omnibus presens scriptum inspecturis salutem in domino. Ad uniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod constitutis in nostra presencia ab una parte Paulo filio Oporis et ab altera Paulo filio Vida iobagionibus Campi Zagrabiensis, idem Paulus filius Oporis astante Dazlao fratre suo et consensum prebente, quandam terram porcionem videlicet sibi in terra Coztaneuch vocate cedentem, metis subscriptis interclusam, confessus est se cum omnibus vtilitatibus et pertinenciis suis ipsi Paulo filio Vida et per eum suis heredibus heredumque successoribus iure perpetuo uendidisse pro triginta quinque marcis denariorum Zagrabiensium, quorum singule quinque pense marcam tunc temporis faciebant, quas se dixit idem Paulus filius Oporis ab eodem

Paulo filio Vida habuisse et plenarie recepisse, obligante se prefato Paulo filio Oporis ad expediendum, euincendum et emendandum prefatam uendicionem ipsi Paulo filio Vida et suis successoribus ab omnibus, qui ipsos eatenus intenderent inpetere uel molestare, propriis laboribus et expensis. Astiterunt eciam commetanei et uicini terre prescripte videlicet Tortko filius Raduanti, Welissa filius Petri, Isac filius Dezen, Stephanus filius Wlkona, Tobias filius Raducha, Jako filius Wlcozlay, Chur filius Puruos, Obrad filius Nezde, Wlksa filius Supizlay, Vachchich filius Martini uentrosi, pro se et tota generacione ipsorum; item. Purouos(!) et Radus filii Vrbani, pro se et generacione eorum, nobiles campi videlicet Zagrabiensis, comes Petres filius Petrila pro preceptore de Chychan, qui omnes uendicionem factam consensu suo unanimi ratificantes, sine contradiccione aliqua admiserunt. Prima uero meta terre uendite, sicut partes nobis retulerunt, incipit ab occidente ab aqua Mozucha|na uocata ab arbore salicis, sub qua est meta terrea, inde procedit uersus orientem iuxta terram nobilium campi de Lumnicha(!), et peruenit ad arborem tulfa cruce signatam, sub qua est meta terrea, inde procedit adhuc uersus orientem, et per arbores cruce signatas procedendo peruenit ad unam arborem tul cruce signatam, sub qua est meta terrea, inde procedit ad arbores cruce signatas transiensque unam paludem Mlaka uocatam peruenit ad arborem hasfa meta terrea circumfusam, ibique finitur uicinitas nobilium campi predictorum de Lumnicha, inde uadit per quandam viam versus orientem iuxta terram Puruos et Radus filiorum Vrbani, quam se dicebant a Paulo filio Oporis comparasse, et peruenit ad arborem tul cruce signatam, sub qua est meta terrea et per eandem uiam procedendo uenit ad arborem tul cruce signatam, sub qua est meta terrea, ibique uicinitas terre Puruos et Radus predictorum terminatur, inde flectitur ad meridiem, et per quandam uiam Clopcha uocatam uadit uersus meridiem iuxta terram Dazlay, et inde parum pertranseundo declinat ad sinistram, et uadit adhuc versus meridiem per quandam antiquam uiam per arbores cruce signatas, et peruenit ad aquam nomine Hrameznik, vbi est meta terrea sub arbore tulfa; inde per eandem aquam uadit uersus meridiem per magnum spacium iuxta terram dicti Dazlay et peruenit ad aliam aquam nomine Coztaneuch, et exiens de eadem intrat uallem unam Cheridol uocatam, et de eadem ascendit ad unum montem et peruenit ad metam terream iuxta quandam uineam existentem; inde descendit de eodem monte per arbores cruce signatas ad uallem unam nomine Bukva, et per eandem uallem ascendit ad montem Peschanicha goricha uocatum, ubi est meta terrea, de eodem monte descendendo peruenit ad aquam Buna, per eandem transeundo peruenit ad unum meatum aque Bunicha

uocate, et per dictam aquam Bunicha ascendit montem, ubi sunt due mete terree, que diuidunt terram cruciferorum a terra filiorum Oporis, et peruenit ad terram Pauli filii Vida predicti; inde procedendo per quandam uiam Gorizka uocatam ascendit montem uersus septemtrionem per magnum spacium, et descendendo per eandem uiam declinat ad partem dextram, et intrat ad quandam paruam siluam, ubi est meta terrea; inde procedendo per arbores cruce signatas et peruenit ad aquam Mossonicha, per quam reuertitur ad metam primitus nominatam. In cuius rey testimonium presentes contulimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum feria tercia post festum apostolorum Petri et Pauli, anno ab incarnacione domini M⁰ CC⁰ LXX⁰ nono.

*Original u općini dolnje Lomnice. Na svilenoj crvenoj vrvci visi pečat. Laszowski Spomenici Turopolja I. 33—35.*

## 254.

**1279, 13. jula. U Budimu.**

*Filip biskup Firmanski i legat papinski potvrdjuje biskupu zagreb. posjed županije garešničke, koju mu poklonio kralj Ladislav IV.*

Venerabili in Christo patri (Thymotheo) dei gracia episcopo Zagrabiensi, Phillipus miseracione diuina Firmanus episcopus, apostolice sedis legatus, salutem et sinceram in domino caritatem. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, tam uigor equitatis quam ordo exigit racionis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum preducatur effectum. Exhibita siquidem nobis uestra petitcio continebat, quod dominus Ladizlaus Vngarie rex illustris ex deuocionis ardore, quem ad Zagrabiensem ecclesiam gerit, vobis et per uos ipsi Zagrabiensi ecclesie comitatum de Guersente (!) cum collecta marturinarum et septem denariorum tenendum, habendum et possidendum libere contulit, prout in eiusdem regis literis ipsiusque sigillo dupplici sigillatis, quas de uerbo ad uerbum fecimus presentibus annotari, plenius continetur. Quare humiliter petiistis a nobis, vt collacionem dignaremur per nostras literas confirmare. Nos itaque vestris supplicacionibus annuentes, collacionem predictam, sicut prouide, iuste ac racionabiliter facta est, ratam et gratam habentes, ipsam auctoritate qua fungimur confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pa-

ginam nostre confirmacionis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Tenor autem predictarum literarum inferius annotatur, qui talis est: (*Vidi Ladislava kralja listinu od god. 1277.*) Datum in castro Budensi, III idus iulii, indiccione VII. Anno domini MCCLXX nono. Pontificatus domini Nicolai pape tercii anno secundo.

*Liber privileg. eppatus. zagrab. list 34.*
*Tkalčić Monum. episc. Zagr. I. 199. — Farlati Ill. sacr. V. 380. — Katona Hist. crit. 309—310. — Wenzel Cod. dipl. Arp. XII. 263 4. — Kukuljević Reg. no. 1264.*

## 255.

**1279, 15. jula.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski izuzimlje župana Pousu i brata mu Guechu od suda župana križevačkog, te ih stavlja pod sudbenost banovu.*

Ladizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris salutem in salutis largitore. Ad vniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod nos consideratis gratuitis et meritoriis seruiciis fidelium nostrorum comitis Pouse et magistri Gueche fratris sui, que nobis in etate tenera constitutis in diuersis expedicionibus nostris cum omni fidelitate impenderunt et nobis semper in feruore solite fidelitatis adheserunt tempore discriminis, uariantibus et disturbantibus baronibus regni nostri, propter quod vniuersi populi ipsorum in regno Sclauonie constituti per continuos insultus et bello intestino baronum inter se dimicancium destructi fuerant penitus et dispersi Volentes eos regio prosequi cum fauore, eosdem comitem Pousam et magistrum Guechem(!), ac vniuersos populos ipsorum in Crisiensi et Symigiensi comitatibus videlicet vltra Drawam in Vrbouna et Charaburda Rathina existentes a iudicio et iurisdiccione comitis Crisiensis pro tempore constituti in omnibus et per omnia de speciali gracia perpetuo duximus eximendos, reseruantes seu relinquentes eos dumtaxat iudicio bani tocius Sclauonie, qui similiter fuerit pro tempore constitutus. Quare uolumus et bano tocius Sclauonie pro tempore constituto precipiendo mandamus, quatenus eosdem comitem Pousam et Guechem fratrem eius

ac predictos populos eorum contra quoslibet in nullo articulo siue causa per officialem suum scilicet Crisiensem pro tempore constitutum dimittat iudicari, set suo tantummodo examini eosdem reseruet, de cetero quocienscumque expedierit iudicandos. Vt igitur series huiusmodi specialis gracie per nos eisdem et eorum populis concesse perpetuo perseueret, presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti viri magistri Nicolay aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri anno domini MCCLXX° nono, idus iulii regni autem nostri anno septimo.

*Iz originalne potvrde Nikole bana slavonskoga od 1279 25. jula u arkivu nar. muzeja u Budimpešti.*

*Fejér Cod. dipl. Hung. VII. v. 5, 594. — Kubinyi Cod. dipl. Arp. I. 114. — Kukuljević Reg. no. 1265.*

## 256.

**1279, 25. jula. U Tetumu.**

*Nikola ban hrvatski prihvaća listinu kralja Ladislava za župana Pousu i brata mu Guechu.*

Nicolaus banus totius Sclauonie omnibus Christi fidelibus presentes literas inspecturis salutem in omnium salvatore. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod Pousa comes et magister Gueche frater eiusdem ad nostram accedentes presentiam exhibuerunt nobis privilegium Ladislai inclyti regis Ungarie super quibusdam libertatibus collatum et confectum, petendo cum instancia, ut ipsum privilegium acceptare et tenorem eiusdem nostro privilegio dignaremur confirmare. Cuius tenor talis est:

*(Slijedi listina kralja Ladislava od 15. jula 1279.)*

Nos igitur una cum nobilibus regni Sclavonie, qui tunc nobiscum adherant(!), attendentes meritoria servitia eorumdem Pouse et fratris sui, que domino regi impenderunt, licet maiora mereri debuissent, dictum privilegium domini regis non abrasum non cancellatum nec in aliqua sui parte vitiatum, ratum habentes et acceptum et de verbo ad verbum presentibus insertum auctoritate presentium confirmamus. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes concessimus literas sigilli nostri munimine roboratas. Datum in Tetum in generali congregatione

totius regni Ungarie in festo sancti Jacobi apostoli anno gracie MCC septuagesimo [nono].

*Original u kr. ug. drž. arkivu u Budimpešti (bivša zbirka Jankovićeva). — Na listini visi svilena vrvca žute i crvene boje. Pečata nema.*

*Fejér Cod. dipl. Hung. VII. 5. 594—5. — Kubinyi Cod. dipl. Arp. I, 114. — Kukuljević Reg. no. 1265.*

## 257.

**1279, 7. augusta. Kod jezera Pensilskoga.**

*Karlo kralj napuljski daje zapovijed o prijevozu svojih izaslanika na obale dalmatinske.*

Magister portulanus et procurator Apulie et Aprutii habet mandatum sub pena centum vnciarium auri inueniendi vassellum aliquod bonum et vtile pretio quo poterit meliori, quo uenerabilis vir Johannes prepositus Ungarie, et episcopus Tragurinensis dilectus consiliarius et familiaris, magister Matheus Galardus, fideles regis, et quidam alii de familia eiusdem regis transmittendi pro quibusdam servitiis ad partes Vngarie, possint de Syponto Nouello [Manfridonia] vsque ad partes Sclauonie per mare bene et salubriter transfretari. Datum apud Lacum Pensilem VII. augusti, VII. indictionis.

*Reg. Angioini.*
*Wenzel Acta extera I. 64—65.*

## 258.

**1279, 8. augusta.**

*Karlo I. kralj napuljski, biskupu trogirskomu, koji se vraća s kraljeva poslanstva iz Ugarske sa Ivanom prepozitom ugarskim i Matijom Galleti magistrom iz Salerna, dopušta izvesti iz Apulije:* »salmas frumenti centum deferendas apud Ragusium de Sclavonia et exonerandas ibidem«.

*Reg. Angioini.*
*Makušev Zapiski XIX. 2. pril. 3. 52. — Rački Rad XVIII. 218.*

## 259.

**1279, 15. augusta. U Zadru.**

*Sud zadarski dosudjuje samostanu sv. Krševana zemlju Bude de Palude, koji je umro bez nasljednika u Petrčanima.*

In Christi nomine. Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo nono, indicione septima, die quinto decimo i[ntrante] mense augusti, Jadre, temporibus equidem domini Jacobi Contareni incliti ducis Venecie et magistri Laurencii venerab[ilis Jadrensis] archiepiscopi, ac domini Marci Michaelis egregii comitis. Cum nos prenominatus Marcus Michael vna cum nostris iudici[bus et] curia ad audienda et diffinienda placita sederemus, venit coram nobis Dessa de Fafogna aduocatus monasterii sancti Grisogoni Jadre petens et requirens vice et nomine ipsius monasterii vnam vineam positam in Draga sancti Grisogoni, que fuit olim Bude de Palude et reddebat septimum ipsi monasterio, cui de borea possidet Jurgius filius Danduli, de austro Stançe deuornichus ipsius monasterii, de trauersa possident San . . e et Nicola infrascriptus et de quirina possidet Stoyanus; dicens et allegans idem Dessa, quod predictus Bude de Palude decesserat sine heredibus, propter quod dicta vinea debebat in ipsum monasterium deuenire. Ad hec autem Widotus de Varicasso nostre curie aduocatus pro Thomaseo Panacio et Budislauo Beccario comessariis condam Dabraçe vxoris condam dicti Bude dicebat et respondebat, quod ipsa Dabraça in suo testamento dixerat et ordinauerat, quod omnia sua bona et condam predicti Bude eius viri per ipsos comissarios venderentur et darentur pro animabus ipsorum iugallium(!); vnde petebat ipsam vineam ad vendendum et dispensandum eam pro eorum animabus. Tercio autem loco ex aduerso Nicola Dobre de Begna nostre curie aduocatus pro Nicola filio condam Cumani Rognaueç dicebat et allegabat, quod predicta vinea debebat in eum venire, hostendens per quandam cartam bullatam cum sigillo cereo fratris Gerardi de Sauçeto magistri domorum milicie templi per Hungariam et Sclauoniam, sub anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono, sexto iulii, quod predictus Bude eius auunculus frater condam dicti Cumani in s[ua] vita et bona memoria dimisit et indicauit eidem Nicole nepoti suo post obitum suum medietatem omnium s[uorum] bonorum et aliam medietatem ipsorum bonorum sibi dimisit et indicauit post obitum dicte Dabraçe vxoris sue; vnde petebat dictam vineam sibi dari. Ad quod prenominatus Dessa de Fafogna pro predicto monasterio sancti Grisigono allegabat et hostendebat quoddam

publicum instrumentum factum per Wilielmum Pauperem notarium Jadre sub millesimo ducentesimo quinquagesimo, mense ianuario, die tercio exeunte, indiccione nona, in quo continebatur, quod, si dictus Bude decederet sine heredibus, predicta vinea reuerti deberet in predictum monasterium sancti Grisogoni, in cuius terra fuerat pastinata. Nos autem prenominatus comes Jadre auditis et intellectis hiis et omnibus aliis, que dicte partes coram nobis voluerunt dicere et allegare in predicta causa et questione et super hiis habita deliberacione et consilio diligenti vna cum nostris et curia, per sentenciam dicimus finitiuam predictam vineam, secundum quod est superius confinata, integraliter deuenire in dictum monasterium sancti Grisogoni et ipsi monasterio perpetuo pertinere; suprascriptis Thomaseo Panacio et Budislauo Beccario comissariis condam predicte Dabraçe et predicto Nicole condam Cumani suisque heredibus et successoribus super ipsa vinea scilencium(!) perpetuum sentencialiter inponentes Super cuius nostre sentencie diffinicione Deminum de Boyeso tribunum curie nostre constituimus et dedimus in pristaldum ad omnia suprascripta fideliter percoplenda(!). Et ego prenominatus Deminus tribunus et pristaldus ex officio comisso mihi secundum formam sentencie domini comitis antedicti omnia suprascripta vera esse testificor in salute anime meo coram hiis vocatis et rogatis testibus scilicet: Johane Butadeo et Crescio filio condam Andree de Orm[en]tendi Jadrensibus et aliis.

*(Drugi rukopisi.)*

† Ego Marcus Michaelis comes Jadre manum missi.

† Ego Cosa Saladinus iudex manum missi.

† Ego Bite de Petrina iudex manum missi.

Ego Henricus imperiali auctoritate notarius et Jadrensis iuratus hiis interfui et rogatus scripsi et roboraui.

*(Signum notarii).*

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru. Odio samostana sv. Krševana caps. XVII. mas S. no. 11.)*

## 260.

**1279, 25. septembra. U Melfi.**

*Karlo kralj napuljski daje zapovijed kastelanu od Trana, da pusti iz tamnice Nikolu sina Falkaševa i Stjepana sina bana Stjepana*

Scriptum est castellano castri Trani etc. Cum beneplaciti nostri sit, quod Nicolaus filius comitis Falcassii et Stephanus filius Stephani bani, qui de mandato nostro per te in castro nostro Trani custodiuntur ut obsides, liberentur de carcere, et ad propria reuertantur, fidelitati tue precipiendo mandamus, quatenus predictos obsides ad requisitionem venerabilis patris J(ohannis) Traguriensis episcopi, dilecti consiliarii, familiaris et fidelis nostri, per quem eos ad partes eorum remittemus, liberes, et abire libere sine conditione aliqua patiaris. Datum Melfie, mense septembris XXV, eiusdem VII. indictionis.

*Reg. Angioini vol. 37. fol. 3.*
*Wenzel Act. ext. I. 63. — Makušev Zapiski XIX. 2. priloš. 3. 36—37. — Rad. jugosl. akad. XVIII. 218. — Kukuljević Reg 1268.*

## 261.

**1279, 9. oktobra. U Zadru.**

*Prodaja jednoga vinograda.*

In Christi nomine Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo nono, indictione octava, die nono intrante mense octubri, Jadre. Temporibus equidem domini Jacobi Contareni incliti ducis Venetiarum et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Johannis Cornari egregii comitis Manifestum facio per hoc presens instrumentum ego quidem Stephanus habitator Jadre filius condam Chrey, quomodo habita licencia et verbo a Stana uxore condam Nassii de Biualdo Jadre, do, dono et vendo tibi namque Stane filie condam Creste habitatoris Jadre filii condam Marini Arbensis, unam meam vineam positam in maceriis in terra dicte Stane de Nassi, que reddit sibi quartum pro terratico, cui de borea est vinea matris mee Peruche in terra dicte Stane, de austro est vinea Chranis, de trauersa est terra heredum condam Blasii de Soppe et de quirina est vinea ipsius Stane. Ita ut amodo in antea tu prenotata Stana filia condam Creste cum tuis heredibus et successoribus soluendo fideliter annuatim

predicte Stane de Nassi suisque heredibus quartam partem vini et omnium aliorum fructuum ex ipsa vinea et terra prouenencium plenam potestatem habeas et virtutem ipsam vineam habendi, tenendi, gaudendi, possidendi, vendendi, donandi, pro anima et corpore indicandi omnemqua aliam tuam voluntatem et vtilitatem ex ea libere faciendi cum omnibus suis ceteris terminis, pertinenciis, confinibus et habenciis ipsi vinee tam subter terram quam supra terram in integrum pertinentibus uel que pertinere possunt Precio cuius vendicionis plene a te habui et recepi libras denariorum venetorum paruorum duodecim, quas mihi dedisti et integre persoluisti. Vnde cum meis heredibus et successoribus, teneor et promitto ipsam vineam excalumpniare et defensare tibi tuisque heredibus et successoribus in racione ab omni homine et persona super me et omnia bona mea presencia et futura, saluo tamen semper omni iure predicte Stane de Nassi et suorum heredum. Actum est hoc coram hiis rogatis textibus Nicola Cogora et Deminçio Brathcovig Jadrensibus et aliis.

*(Drugi rukopis).*

Ego Stane de Varicasa examinator manum meam misi.

Ego Henricus imperiali auctoritate notarius et iadrensis iuratus hiis interfui et rogatus scripsi et roboraui.

*(Monogram not.)*

*Originał u gubern. arkivu u Zadru, odio samostana sv. Krševana. Cassella III. no. 53. — Gl. sličnu listinu od 4. aprila o. g. pod br. 245.*

## 262.

**1279, 6. decembra.**

*Pred kaptolom čazmanskim zalažu Pavao i Grgur sinovi Ilije zemlju svoju u Komarnici Dominiku sinu župana Germana.*

Nos capitulum Chasmensis ecclesie memorie commendamus, quod comes Germanus a parte vna, ab altera autem Paulus et Gregorius filii Ilya personaliter coram nobis constituti, idem comes Germanus quandam terram in Kamarcha sitam prope ecclesiam beate virginis iuxta aquam Kamarcha ad ipsum ex parte dicti Pauli pro viginti quinque marcis secundum tenorem litterarum nostrarum titulo pignoris devolutam, quam idem Paulus in termino redempcioni deputato non redemerat, sicut in aliis litteris nostris exprimitur exinde confectis, resignauit ac reliquit coram nobis amore cognacionis eidem Paulo, quinque marcis de propria pecunia et grauamine, quod incurrerat pro obmissione termini,

relaxatis. De qua quidem terra pro residuis viginti marcis iidem Paulus et Gregorius frater eiusdem terram sufficientem ad quinque aratra cum sessione Ilya patris eorum in monte et fundo vnius molendini in Kamarcha confessi sunt pignori obligasse Dominico filio ipsius comitis Germani a data presencium videlicet a festo beati Nicolay in decima reuolucione anni cum hiisdem viginti marcis coram nobis redimendam, ita videlicet, quod ante ipsum terminum iidem filii Ilya quandocumque eis possibilitas affuerit, uel proximi eiusdem (!), quorum tamen(!) interfuerit, facultatem habent (!) dictam terram cum predicta pecunia coram nobis redimendi, ipsa autem quinque aratra eidem Dominico in montibus, siluis, nemoribus et terris arabilibus conplere tenentur iidem filii Ilya, sicut coram intercessit. Verum quia predictam terram nunc vacuam esse dixerunt et desolatam, interuenit coram nobis, quod vtilitates et edificia, quas et que idem Dominicus super facie terre predicte medio tempore construxerit, post tempus uel terminum redempnacionis (!) eiusdem super eadem residendo usque ad anni reuolucionem liberam habebit facultatem clara luce transferendi et uendendi aliis, si iidem filii Ilya condigna estimacione preuia comparare nollent uel non possent. Obligauerunt etiam se iidem filii Ilya ad expediendum dictum Dominicum laboribus et expensis ab omnibus qui racione dicte terre insurgerent contra ipsum, uel eam (!) molestare niterentur. Datum in festo beati Nicolay anno domini MCC°LXXIX°.

*Original pisan uvježbanim pismom s neobično razvijenim sistemom kratica. — Na hrptu vidi se trag okruglog pritisnutog pečata, kojim bijaše listina pomoću pergamentne uzice zatvorena (!) — Bilješka istom rukom: »Super obligacione terre de Kamarcha contra comitem Germanum pro filiis Ilya«. — Izdao je s mnogo pogrješaka Ráth K. (pod g. 1229.) u Györi tört. és régész. füzetek 2 (1863.), 290. — Po njemu Wenzel, Cod. Arp. VI. 479. — Kukuljević Reg. br. 241. — Mi smo ovu listinu izdali pod g. 1229. III. sv. 314—315 br. 280, ali smo već onda izrazili sumnju o ispravnosti godine. Naknadno nadjeni original priopćen u Vjesniku zem. ark. VIII. 173—174 našu je sumnju opravdao. Zato ovu listinu opet pod pravom godinom priopćujemo.*

## 263.

**1279, 9. decembra. U Rimu kod sv. Petra.**

*Nikola III. papa namješta Filipa franjevca za nadbiskupa dubrovačkoga.*

Nicolaus episcopus servus servorum dei dilecto filio Philippo electo Ragusino salutem et apostolicam benedictionem. Militanti ecclesie, dis-

ponente domino, licet immeriti presidentes circa curam omnium ecclesiarum solertia reddimur indefessa solliciti, ut iuxta pastoralis officii debitum commissi nobis gregis dominici curam utiliter gerere divina cooperante elementia studeamus; et quamquam assidue circa singularum comoda vigilemus, tamen erga illas, que deplorant viduitatis incommoda, propensiori cura et maiori propulsamur instantia, ut eis preficiamus viros secundum cor nostrum ydoneos in pastores. Dudum siquidem Ragusina ecclesia per mortem bone memorie Salvii Ragusini archiepiscopi pastoris solatio destituta, canonici eiusdem ecclesie quondam fratrem Marcum de Venetiis ordinis Minorum in archiepiseopum Ragusinum, ut dicitur, elegerunt, sed eodem fratre Marco, antequam esset eius electio confirmata, nature debitum persolvente, predicti canonici ad tractandum de futuri substitutione pastoris insimul convenerunt et dubitantes, ne, si ad electionem procederent et non possent omnes pariter in unam concordare personam, exinde oriretur inter ipsos dissentionis materia, per quam eis et ipsi ecclesie dispendia imminerent, deliberaverunt communi consensu et unanimi voluntate, ut nobis humiles preces porrigerent, quod dignaremur eidem ecclesie auctoritate apostolica de pastore ydoneo providere, ac super hoc subsequenter tam ipsi quam dilecti filii nobilis vir . . . comes, consilium et commune civitatis Ragusine nobis suas supplicatorias litteras per certum eorum nuntium destinarunt. Nos igitur dictorum canonicorum votis volentes favorabiliter annuere in hac parte, de ipsius ecclesie ordinatione celeri, ne prolixioris vacationis exposita maneret incommodis, attente duximus cogitandum, et post vigilem, quam ad ponendam ibidem approbatam ydoneamque personam apposuimus, diligentiam in te predicti ordinis professorem, tunc executioni officii inquisitionis contra hereticos in Marchia Tervisina commissi tibi a sede apostolica insistentem, quem nobis et fratribus nostris de litterarum scientia, morum maturitate, prudentia spiritualium et temporalium providentia fidedignorum testimonia commendarunt, direximus oculos nostre mentis. Quapropter gregi dominico paterna volentes diligentia providere, de dictorum fratrum consilio te ipsi ecclesie preficimus in archiepiscopum et pastorem, firma in spe fiduciaque tenentes, quod eadem ecclesia per tue circumspectionis industriam, in executione negotiorum tue sollicitudini a prefata sede commissorum hactenus comprobatam, grata in spiritualibus et temporalibus, auctore domino, suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus humiliter suscipiens impositum a domino tibi onus ecclesie predicte sollicitam curam geras, gregem dominicum in illa tibi commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod exinde apud remotos et proximos tua fama clareat per effectum, ac preter benedictionis eterne premium benivolentiam

nostre gratie plenius consequaris. Datum Rome apud sanctum Petrum v. idus decembris, pontificatus nostri anno Secundo.

In eodem modo capitulo ecclesie Ragusine, clero et populo civitatis et diocesis Ragusine et universis suffraganeis ecclesie Ragusine.

*Theiner Mon. Slav. Mer. I. br. 130. str. 96—97. Iz reg. an. II. ep. 184. fol. 105. Farlati Illyr. Sacr. VI. 114. — Wadding Annal. Minor. V. 161. — Sbaraleae Bullar. Francisc. III. 426. no 140. — Potthast Reg. pontif. II. no. 21.664.*

## 264.

**1279, 10. decembra. U Zadru.**

*Maurin djakon paški prodaje svoj kuću i soline na Pagu Stani udovici Nasce de Bivaldo.*

In Christi nomine. Anno incarnationis eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo nono, indictione octaua, die decimo intrante mense decembri, Jadre. Temporibus equidem domini Jacobi Contareni incliti ducis Venecie et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Johannis Cornari egregii comitis. Manifestum facio per hoc presens instrumentum ego qui[dem] Marinus diaconus Pagensis filius condam Tholisii, quomodo do, dono, vendo atque trans[acto] tibi namque nobili mulieri domine Stane vxori condam Nasce de Biual do[ [Jad]ratin[o] vnam meam domum in Pago edificatam assidibus et lignamine cum sua [curia et] loco, cui de borea est via publica, de austro est domus Scomrasi, de] trauersa est mare et domus condam Fortis de Petriço et de quirina est domus Stephani Curçig cognati mei. Item totam meam medietatem sex salinarum, quas habeo in valle Pagy indiuisas cum predicto Stephano cognato meo, quibus de borea, trauersa et quirina est pothoch et de austro sunt saline Cipriani filii condam Bartholomei de Domine Jadrensis, cum plena virtute et potestate a modo in antea cum tuis heredibus et successoribus ipsam meam domum de lignamine cum sua curia et loco et predictam meam medietatem sex salinarum habendi, tenendi, gaudendi, possidendi, vendendi, donandi, pro anima et corpore indicandi, omnemque aliam tuam voluntatem et vtilitatem ex eis libere faciendi, nemine tibi uel tuis heredibus in perpetuum contradicente, cum omnibus suis certis terminis, pertinenciis, confinibus et habenciis ipsi domo et medietati sex salinarum tam subtus terram quam supra terram in integrum pertinentibus, uel que pertinere sibi possunt. Precio cuius uendicionis plene a te habui et recepi libras de-

narorum venetorum paruorum centum, quas mihi dedisti et integre persoluisti. Vnde cum meis heredibus et successoribus teneor et promitto ipsam do[mum] de lignamine cum sua curia et loco et predictam medietatem sex sa[linarum] excalumpniare et defensare tibi tuisque heredibus et successoribus in racione [ab omni] homine et persona super me et omnia bona mea presencia et futura, sal[uo] tamen, quod debeo cum meis heredibus ipsas possessiones usque ad proximum festum sancti Michaelis de septembri habere, tenere, gaudere et possidere ad omnem meam vtilitatem. Et si persoluero et reddidero uel mei heredes aut successores tibi uel tuis heredibus predictas tuas centum libras denariorum in pecunia numerata usque ad dictum terminum sancti Michaelis de septembri, predicte mee possessiones mihi meisque heredibus remanebunt libere et absolute et presens carta vendicionis esse debet cassa, irrita et vana, alioquin firma sit et rata et pleni valoris. Actum est hoc coram hiis rogatis testibus, scilicet Nichforo(!) clerico, filio condam Marini de Nichforo, et Marino filio condam Stephani de Orlando Jadrensibus et aliis.

*(Drugi rukopis).*

Ego Sandi de Ragno examinator manum misi.

Ego Henricus imperiali auctoritate notarius et Jadrensis iuratus, hiis interfui et ro[gatus] scripsi et roboraui.

*(Signum notarii).*

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru, odio samostana sv. Nikole br. 62*

## 265.

**1279, 31. decembra. U Rovišću.**

*Ban Petar potvrdjuje županu Pousi i njegovom puku povlasticu, da potpadaju samo banovom sudu.*

Nos Petrus banus tocius Sclauonie significamus quibus expedit presencium per tenorem, quod cum vna cum nobilibus regni Sclauonie in congregacione sederemus generali, ad nostram accedentes presenciam comes Pousa et magister Geche frater eius exhibuerunt nobis priuilegium Nicolai bani filii St[ephani] antecessoris nostri et litteras regias quam plures quondam Bele regis felicys(!) recordacionis confectas super gratuitis et meritoriis seruiciis eorundem, ita quod idem comes Pousa, magister Geche et vniuersi populi eorundem in comitatu Crisiensi et

Symygiensi videlicet in Vrbona, Chernaborda et Rachyna existentes a iudicio et iurisdicione comitis Crisiensis de speciali regia gracia et de collecta septem denariorum, que racione lucri camere annuatim exigi consueuit(!), per omnia essent expediti et exempti et sol[ummodo tam ipsi quam ipsorum successores iudicio bani tocius Sclauonie pro tempore constituti astare tenerentur. Nos igitur cum sociis nostris et nobilibus regni Scl[auonie] attendentes considerantesque meritoria seruicia prefatorum, que sancte corone erant inpensa, ut ex hoc et ceteri abiliores(!) inueniantur ad fidelitates [et seruicia] exhibenda, graciam sibi factam et libertatem concessam volentes perhempniter obseruari eo magis, quia idem dominus rex L[adislaus] saluo consilio et . . . te matura fecisse videbatur, comiti Pousa et magistro Geche prefatis iustis iusta petentibus premissa uere[n]t[er](!) recipientes, ut tenemur, litteras nostras contulimus in robur et stabilitatem premisse ueritatis. Datum in Ryuche dominico [die] proximo post festum natalis domini anno domini M⁰ ducentesimo septuagesimo nono.

*Original nešto na lijevoj strani izlizan, u kr. ug. drž. arkivu u Budimu. Dl. 35 836. (bivša zbirka Kukuljevićeva). Na hrptu vidi se trag pritisnuta okrugla ovećeg pečata.*

*Kukuljević Reg. no. 1271.*

## 266.

**1279.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski potvrdjuje Turopolju povlasti.*

Ladizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Crowacie, Rame, Seruicie,(!) Gallicie, Cumanie, Bulgarieque rex, vniuersis Christi fidelibus ad quos presentes peruenerint salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod accedens ad nostram presenciam comes Ladizlaus filius Gumzyna iobagio castri nostri Zagrabiensis pro se et aliis sociis suis exhibuit nobis priuilegium Nicolai bani tocius Sclauonie, petens cum instancia, ut idem ratum habere et nostro dignaremur priuilegio confirmare. Cuius quidem priuilegii tenor is est: *(Slijedi listina bana Nikole od god. 1278. 26. maja).* Igitur nos iustis et legitimis peticionibus eiusdem comitis Ladizlai fauorabiliter inclinati ipsumque priuilegium ratum habentes et acceptum, de verbo ad verbum presentibus inseri faciendo, duplicis sigilli nostri patrocinio duximus roborandum. Datum per manus discreti viri magistri Nicolai aule

nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno domini M°CC°LXX° nono, regni autem nostri anno septimo.

*Original u arkivu plem. općine Turopolja. Na vrvci svilenoj zelene, žute i crvene boje visi pečat. Tu listinu potvrdi g. 1326. ban Mikac.*

*Fejér Cod. dipl. Hung. V. vol 2. 498. — Kukuljević Reg. no. 1239. (spomen). — Kukuljević Jura Regni I. 87. — Laszowski Spomenici Turopolja I. 36—37.*

## 267.

**1279. U Zagrebu.**

*Petar sin Borčev prodaje kaptolu zagrebačkom za 26 maraka dinara zagrebačkih svoj posjed Kozolin.*

Nycolaus ba[n]us tocius Sclauonie vniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in domino. [Ad] vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod Petro filio Borch de genere Agha ex vna parte, et magistro Manfredo archidiacono de Gerche decano ecclesie zagrabiensis vice et nomine capituli eiusdem ex altera, coram nobis personaliter constitutis, idem Petrus dixit et confessus est, quod cum famis inedia et periculo propter instantem temporis sterilitatem laboraret, terram suam hereditariam Cozolyn vocatam distinctam et terminatam certis metis infrascriptis, existentem in montibus supra Casna capituli, prope ecclesiam beati Matheii, cum omnibus vtilitatibus, siluis videlicet, terris arabilibus, nemoribus, locis molendinorum, vineis et aliis omnibus appendiciis spectantibus ad eandem, vendidisse prefato capitulo pro viginti sex marcis denariorum zagrabiensium, quarum singule quinque pense marcam tunc temporis faciebant, quam summam pecunie ab eodem capitulo dixit se habuisse et plenarie recepisse Assumpsit nichilominus idem Petrus et se firmiter obligauit, vt ab omnibus occasione ipsius prefatum capitulum volentibus inpetere aut eciam molestare, expedire teneretur suis laboribus, sumptibus vel expensis. Astantibus eciam Potola et Borch fratribus dicti Petri, Dytrico et Beryzlao fratre eiusdem de generacione dicti Petri, commetaneis eiusdem, qui facte vendicioni et empcioni suum prebuerunt consensum et assensum Cuius quidem terre prima meta incipit a parte meridyonali a terra cruciferorum de Planyna in vna valle per quoddam potok Zopoth nominatum, et per ipsum potok tendit sursum versus occidentem et peruenit ad terras Dytrici et Boryzlai fratris eiusdem, deinde exit de potok ad duas arbores tul et cherfa vocatas cruce signatas et metis

terreis circumfusas, vnde procedit ad berch vnum ad duas arbores cherfa vocatas cruce signatas, deinde venit ad duas arbores tulfa vocatas metis terreis circumfusas et per ipsum berch ascendit ad montem, vbi est meta terrea, vnde venit ad duas arbores cherfa vocatas metis terreis circumfusas, et per eundem montem descendit ad duas metas terreas, deinde venit ad duas arbores cherfa vocatas metis terreis circumfusas, vnde venit in vallem ad vnum potok versus septemtrionem, vbi est arbor cherfa meta terrea circumfusa, et per ipsum potok tendit sursum ad caput illius potok, vbi est arbor cherfa meta terrea circumfusa, vnde parum procedendo ascendit in montem ad viam puplicam, per quam itur ad Vorosd, vbi sunt quatuor mete terree, deinde per eundem montem tendit versus orientem et pervenit ad duas metas terreas, vbi iungitur terre Potula. Inde vadit ad arborem pyrus meta terrea circumfusam, vnde parum procedendo pervenit ad vnam metam terream, a qua descendit per vallem circa domum Potula, vbi est arbor castanee cruce signata, deinde ascendit in montem ad arborem castaneam cruce signatam et meta terrea circumfusam, vnde descendendo per vallem pervenit ad arborem castanearum cruce signatam et meta terrea circumfusam, a qua venit in arborem egurfa vocatam et meta terrea circumfusam, inde procedens peruenit ad vnum potok, vbi est arbor egurfa cruce signata, et per ipsum potok venit ad arborem egurfa cruce signatam, vbi exit de potok et tendit per vallem versus montem et peruenit ad arborem nyrfa cruce signatam, deinde per montem venit ad vallem ad duas arbores cher cruce signatas et metis terreis circumfusas, inde peruenit ad vnum potok, vbi est arbor gertan cruce signata, vnde ascendit ad montem et peruenit ad duas arbores nyrfa cruce signatas, deinde per vallem descendit in syluam ad arborem cher cruce signatam, meta terrea circumfusam, vnde venit ad arborem nyr cruce signatam, ab inde ad arborem byk cruce signatam, inde ad arborem naar vocatam cruce signatam, vnde parum procedendo peruenit ad vnum potok, vbi est arbor naar cruce signata et per ipsum potok ascendendo peruenit ad arbores iawar cruce signatas, deinde venit ad montem qui wlgo berch dicitur, vbi est via que vadit ad Glaunicha, et per eandem viam venit ad arborem castaneam cruce signatam, vnde per viam peruenit ad duas arbores haas et nyr cruce signatas et meta terrea circumfusas ad metas angulares, vnde regirat in vallem versus meridiem ad arborem castaneam cruce signatam, inde procedendo peruenit per eandam vallem ad potok, vbi sunt due arbores byk cruce signate, deinde transit per potok ascendendo ad montem, peruenit ad duas arbores byk cruce signatas, vnde venit ad montem, vbi sunt due arbores nyr metis terreis circum-

fuse, vbi vicinatur terre Vychech. Inde procedit per eundem montem et peruenit ad quamdam rupturam Gurhut vocatam, vnde peruenit ad vnum potok, et transiliens ipsum potok revertitur in vnum berch, vbi sunt tres arbore[s] cheer cruce signate, inde ascendit ad vnum monticulum Cueshegh vocatum, a quo descendendo peruenit ad arborem cher meta terrea circumfusam, vnde procedens per vallem peruenit ad primam metam Zopot supradictam. In cuius rei memoriam et ut huiusmodi empcio et vendicio robur optineat firmitatis, ad instanciam parcium presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum Zagrabie. Anno domini millesimo CCLXX nono.

*Original, na kojem bijela svilena vrvca visi bez pečata, u arkivu kaptola zagrebačkoga fasc. 23. br. 52.*

*Tkalčić Monum. episc. Zagrab. I. 199—201. — Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont. XII. 264—6. — Kukuljević Reg. no. 1277.*

## 268.

**1279. U Požegi.**

*Pred kaptolom požeškim biva izmjena zemalja.*

Capitulum ecclesie sancti Petri de Posaga omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris presencium noticiam habituris salutem in filio virginis gloriose. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod Georgio abbate de Rodyna ab vna parte, Gregorio filio Zayda ab altera coram nobis constitutis, tale inter se concambium ex voluntate Chelk, Borich et filiorum Odula cognatorum ipsius Gregorii, et ex consensu Johannis et Petri filiorum Ocholini ac Romani patronorum ecclesie de Rodyna confessi sunt ordinasse, quod predictus abbas quandam terram ecclesie Lyphyne vocatam Gregorio filio Zawyda (!) in commutacionem cuiusdam terre que Wlchyak vocatur, dedisset et assignasset perpetuo possidendam, ratam et firmam ipsam commutacionem vtrisque partibus habentibus coram nobis. Mete autem terre Lyphine que cessit Gregorio sunt hec: Prima meta incipit a terminis Lorandi bani et ibi iuxta viam est meta terrea, et per ipsam viam in berch tendit versus meridiem per metas terreas, et peruenit ad quendam monticulum, qui dicitur Zaykfeu; et de inde descendit in Puthnak potaka, et per ipsum potok cadit in fluuium Lyphyne, et per eundem fluuium tendit superius versus septemtrionem usque dum Ratybor potoka iungitur ad ipsam Liphynam et per ipsum Rathibor potoka tendit sursum, et in quodam transitu exit de via, et per eandem viam ascendit ad berch versus

orientem, et per ipsum berch reuertitur ad metam priorem ibique terminatur. Mete uero terre Wlchyak que cessit abbati sunt hec · Prima meta incipit iuxta monticulum, qui dicitur Zalauchfeu a meta terrea iuxta viam et per eandem viam peruenit ad pirum, que est pro meta, deinde per byrch (!) versus meridiem ad quasdam arbores, que dicuntur mala gaya ; inde descendit ad mala pataka, et per cursum eiusdem patak descendit, donec per quendam fontem exit ad caput eiusdem fontis ; et de ipso fonte ascendit ad byrch usque metas abbatis supradicti. In cuius rey memoriam firmitatemque perpetuam presentes vtrisque partibus concessimus litteras sigilli nostri munimine roborando. Actum anno ab incarnacione domini M°CC°LXX° nono.

*Original u muzeju budimpeštanskom. Pečat otpao, vrvce svilene zelene, žute, ljubičaste.*

*Kubinyi Cod. dipl. Arp. I. 115. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont IX. 261—2. — Kukuljević Reg. no. 1280.*

## 269.

**1279. U Zagrebu.**

*Pred kaptolom zagrebačkim obavlja se prodaja zemlje izmedju opata topuskoga i njegovih susjeda.*

[C]apitulum ecclesie Zagrabiensis presentium inspecturis universis in dei timore et reverentia constitutis salutem in omnium salvatore. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod fratre Johanne priore de Toplica pro venerabili viro fratre Matheo abbate de eadem Thoplyca (!) et conventu eiusdem monasterii a parte una et Radyzlao, Jescen, Gordomerl, Senko filiis Isani de genere Rathey ab altera coram nobis personaliter constitutis, idem Radyzlaus et fratres sui prenotati dixerunt et confessi sunt, se terram ipsorum hereditariam, vicinam terre eiusdem domini abbatis Chemernicha vocatam, in Kycha sitam et existentem, cum omnibus utilitatibus, usufructibus et pertinentiis ipsius terre universis vendidisse et tradidisse eidem domino abbati et per eum suis successoribus, eidemque monasterio de Thoplyca iure perpetuo et irrevocabiliter possidendam et habendam pro viginti novem marcis et dimidia denariorum banalium, quarum singule quinque pense marcam tunc temporis faciebant, quas confessi sunt ab eodem domino abbate habuisse, numerasse et plenarie recepisse, assumentes et obligantes tam pro se quam pro suis heredibus heredumque successoribus ac cognatis

expedituros sepe dictum dominum abbatem vel eius successores, dictumque monasterium ab omni questione, quam ratione prescripte terre contra eosdem moveri contingeret in futurum, propriis laboribus et expensis. Mete autem prescripte terre, sicut partes nobis retulerunt, tali ordine distinguntur. Videlicet prima meta incipit a confinio terre Grange de Boyna iuxta arborem dictam breza et tendit inferius usque ad rivulum Chemernicha vocatum et ibi est alia meta circa pomerium et quercum, deinde ascendendo de dicto rivulo a sinistris tendit usque ad alium rivulum dictum Wolganech, ubi idem rivulus cadit in predictum rivulum Chemernicha et ibi est alia meta, deinde ascendendo de dicto rivulo a sinistris tendit usque ad arborem dictam graber, inde ascendendo similiter a sinistris vadit usque ad verticem montis ad lapidem zerno vocatum, ubi est alia meta, deinde per verticem montis a sinistris usque ad unam kercum vadit, in qua crux est facta et ibi etiam est alia meta, deinde per verticem montis similiter a sinistris est alia meta terrea, de illa vero meta usque ad vallem, que tendit in Becheriam, inter tres kercus que cruce sunt signate est alia meta, deinde ad dexteram et ad sinistram usque ad viam rectam est terra abbatis supra dicti, deinde autem per predictam vallem descendendo usque ad terram Becherie, que terra est eiusdem abbatis, est alia meta facta iuxta arborem castanee et sic terminantur. In cuius rei certitudinem et memoriam, ut huiusmodi venditio robur perpetuo firmitatis obtineat, nec per quempiam possit processu temporis retractari, presentes ad instantiam et petitionem partium concessimus literas sigilli nostri robore communitas. Datum anno domini M. CC. septuagesimo nono.

*Thallóczy-Barabas Cod. Blag. 38—39. no. 17. — Kukuljević Reg. br. 1278.*

## 270.

**1279. U Zagrebu.**

*Pred kaptolom zagrebačkim prodaje Pavao Oporov svoju zemlju Topolovac.*

Capitulum ecclesie Zagrabiensis omnibus presens scriptum inspecturis salutem in domino. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod Paulo filio Oporis ab una parte et Stephano filio Wlkona pro se et fratribus suis Blasio et Marco nominatis iobagionibus campi de Lomnicha ab altera, coram nobis personaliter constitutis, idem Paul confessus est se quandam particulam terre sue hereditarie Topolo(u)ech uocate, existentem inter duas aquas Lomnicha et

*

Chernech nominatas, uendidisse et tradidisse cum omnibus vtilitatibus suis et pertinenciis Stephano antedicto et suis fratribus prenominatis et per eos quibus expedit in futurum pro tribus marcis denariorum banalium iure perpetuo possidendam et habendam, quas se dixit predictus Paul ab eodem Stephano habuisse et plenarie recepisse, obligando nichilominus se sepedictus Paul expediturum Stephanum et fratres suos prenominatos ab omni, quam racione uendite terre contra eosdem oriri vel moveri contingeret questione, propriis laboribus et expensis. Astiterunt eciam commetanei et uicini terre uendite, videlicet Dazlou frater eiusdem Pauli et Tolias, qui facte uendicioni et empcioni suum prebuerunt consensum et assensum. Cuius quidem terre mete, sicut partes nobis retulerunt, tali ordine distinguntur, videlicet: prima meta incipit a parte occidentis, vbi est arbor salicis iuxta aquam Lompnicha(!) et [per] eandem aquam tendit uersus orientem usque ad terram Dazlay filii Oporis fratris eiusdem Paul, deinde tendit versus meridiem ad uiam publicam, qua itur ad ecclesiam sancti Petri transeundo quoddam potok Mozoch uocatum et per eandem uiam tendit ad aquam Chernech, et de eadem aqua tendit versus occidentem usque terram Tolias, deinde reuertitur ad arborem tul uocatam meta terrea circumfusam et cruce signatam, vnde proce[de]ns uenit ad dictam aquam Lompnicha ad primam metam, et sic terminatur. In cuius rey memoriam presentes ad peticionem parcium concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno domini M° CC° LXX° nono.

*Original u škrinji općine dolnje Lomnice u Turopolju. Pečat visi o svilenoj vrvci crvene i zelene boje.*
*Laszowski Spom. Turopolja I. 35—36.*

## 271.

**1279.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski potvrdjuje plemićima županije Rovišta darovanje njegovih predšasnika.*

Ladislaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in omnium salvatore. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod nos, cui ex officio suscepti regiminis incumbit metiri merita singulorum et unicuique dignis pro meritis respondere, attendentes fidelitates et laudabiles famu-

latus ac strennuos actus milicie nobilium iobagionum castri et predialium nostrorum in comitatu de Ryuche existencium, quos iidem primum domino Bele auo nostro, domino Stephano patri nostro karissimis illustribus regibus Hungarie felicissimarum recordacionum et demum nobis in etate tenera constituto in omnibus expedicionibus regni animo diligenti se diversis et dubiis fortune casibus submittendo cum fervore summe fidelitatis laudabiliter exhibuerunt et indefesse, ut alıis hoc viso ad fidelitatis opera suo domino naturali inpendenda diligencius invitentur et de promptis efficiantur prompciores, eosdem nobiles nostros prediales iobagiones castri de Ryuche et eiusdem posteritates a iudicatu, iudicio, iurisdiccione et potestate filii Herrici bani Nicolai videlicet quondam comitis de Ryuche et aliorum comitum pro tempore constitutorum, exceptis articulis in quibus iidem iobagiones castri et specialiter ex eisdem Petrus superius nominatus expresse iudicio vel iudicatui comitis de Ryuche astare tenebantur, pure et simpliciter de gracia speciali tanquam veros et naturales servientes nostros regales ultra Dravam constitutos iuxta libertatem eorundem nobilium duximus eximendos. Itaque nec in presencia comitum de Ryuche pro tempore constitutorum nec officialium eorundem possint vel debeant tam ipsi, quam ipsorum heredes iudicari. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem presentes concessimus literas duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti viri magistri Nicolai aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri anno domini millesimo CC° septuagesimo nono regni autem nostri anno septimo.

*Iz originalnog prijepisa kaptola čazmanskog od god. 1369. u arkivu obitelji Bátorfy. Ima i originalna potvrda kralja Karla od g. 1322.*

*Bátorfy Lajoš priopćivao je sam ove listine iz svoga arkiva historijskom ugar. društvu. Po tom za cijelo nemoguć pristup u njegov arkiv.*

*Cod. dipl. patrius VI. 173—4. no. 132.*

## 272.

**1279. U Požegi.**

*Pred kaptolom požeškim prodaju Dragoš i Zule sinovi Dragoslavovi svoju zemlju u Predesincu Martinu sinu Božanovom.*

Capitulum ecclesie sancti Petri de Posaga omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris salutem in domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod Dragos et Zule filii Dragozlai, pro se et pro Mich[aele] fratre ipsorum ab vna

parte, Mortun[us] filius Bosan ab altera coram nobis sunt constituti, et iidem Dragos et Zule confessi sunt viua voce, quod quandam particulam terre ipsorum hereditarie in Predysynch adiacentem supradicto Mortun pro tribus marcis plene receptis vendidissent in heredum heredes perpetuo possidendam. Mete autem ipsius terre, sicut iidem nobis retulerunt, hoc ordine distinguntur: Prima meta incipit a Kasnyk potoka tendens versus orientem ad arborem piri, inde tendit versus meridiem per berch et ascendit ad arborem tilie, sub qua est meta terrea, inde ad arborem borcolcha que est in medio berch in fine vinee, inde descendit inter vineas filiorum Chep[ur]na ad magnam viam; inde per eandem viam tendit in bono spacio et exit de via et peruenit ad quandam siccam vallem et per ipsam vallem cadit in quendam potok et transito ipso potok asscendit ad arborem byk, sub qua est meta terrea que est sub vinea Symonis; inde asscendit iuxta Myrozlawteluke et peruenit ad arborem berekun que est iuxta terram Dansa, cadit in magnam viam et per eandem tendit versus occidentem et exiendo de via uersus septemtrionem cadit in Kasnyk potoka supradictum. In cuius rey memoriam firmitatemque perpetuam presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roborando. Datum anno domini M°CC°LXX° nono.

*Iz originalnog prijepisa istoga kaptola od g. 1380. 25. maja, u knjižnici narod. muzeja u Budimpešti (pridošao ovamo iz knjižnice Stjepana Horvátha).*

## 273.

**1279.**

*Bivši ban Nikola potvrdjuje Nikoli, Ladislavu i Mirku sinovima Ugrina, zemlju, koju je njima darovao kralj, kao ošasnu iza smrti nekoga Jurja.*

Nos N[icolaus] quondam banus memorie commendando significamus quibus expedit vniuersis. Quod cum ad rehambulandas terras castri de Riuche et distinguendas easdem a terris iobagionum castri et predialium de eodem homine domini regis videlicet comite Inus et testimonio capituli Chazmensis nobiscum existentibus accessissemus, Nycolaus, Ladyzlaus et Emericus filii Vgrini litteras domini regis nobis exhibuerunt continentes, quod terram Georgii sine herede decedentis cum terra castri in uicinacione eidem adiacenti sibi ob merita suorum seruiciorum contulisse perpetuo possidendam, quam uidelicet terram prius nos, quantum in nobis fuit, eisdem ob merita suorum obsequiorum assignaramus ha-

bendam et seruandam. Vnde quia nos ipsius domini nostri regis mandato seu facto omni fidelitatis fauere et occurrere tenebamur, ac teneremur, prefatam terram Georgii simul cum ipsa terra castri, presentibus et promittentibus omnibus prescriptis iobagionibus castri et predialibus, statuimus predictis filiis Vgrini perpetuo possidendam, heredum in heredes. Cuius enim terre prima meta incipit in vicinacione terre Stephani ab oriente in arbore thul cruce signata, que arbor sita [est] iuxta riuum quendam, inde ascendit a domo Stephani antedicti et in eodem rivo, descendit per magnum spacium usque ad aquam Conzka uersus meridiem et in eadem ascendit uersus orientem et exit de eadem ad arborem thul cruce signatam in vicinacione terrarum Stephani et Blasii, inde venitur per fenetum uersus meridiem ad arborem naar cruce signatam, inde uenit directe ad magnam viam, iuxta quam est meta terrea et per eandem venit ad duas metas terreas, item per eandem venitur iterum ad duas metas terreas ibique terminatur ad terram Dionisii, ibique relinquens magnam viam per aliam viam venit uersus occidentem ad terream metam et ad arborem cherasii cruce signatam, ibique in vicinacione terre Laurencii magistri per silvam uenit ad arborem byk cruce signatam, inde venit ad arborem gyrthyan cruce signatam, que est sita iuxta aquam Conzka, transiensque aquam Conzka ad aquam Trystina et ascendens in eodem (!) uersus aquilonem in magno spacio venit ad caput eiusdem Thrystina(!) in uicinacione terre castri memorati et exit de eedem (!) ad arborem cherasii(!) cruce signatam, inde venit ad viam quandam et per eandem venit versus orientem ad arborem piri cruce signatam in uicinacione terre Stephani primo dicti, inde venit secus siluam ad arborem thul cruce signatam, inde per siluam et per campum venit ad priorem metam ibique terminatur. In cuius rei memoriam et robur presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine confirmatas. Anno domini M$^{o}$CC$^{o}$LXX$^{o}$ nono.

*Original u kr. zemalj. arkivu u Zagrebu. Doc. med. aevi. Pečat je otpao, na listini visi samo nešto žute i crvene svilene vrvce.*

## 274.

**1279.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski potvrdjuje povlasti knezova krčkih (Frankopana).*

Ladizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus

presentem paginam inspecturis salutem in eo qui regibus dat salutem. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod dilecti et fideles nostri Johannes, Leunardus(!), Stephanus et Dwymus comites de Modrus, de Wegla et de Wynodol ad nostram presenciam venientes nos humiliter rogauerunt, ut confirmaremus eisdem nostro priuilegio ea omnia, que dominus rex karissimus pater noster Frederico Bartholomeo et Gwydoni comitibus patribus eorum et eisdem suo priuilegio confirmarat; quod quidem priuilegium domini regis karissimi patris nostri iidem comites exhibuerunt in hec verba:

*(Vidi dalje listinu Stjepana kralja od god. 1270.)*

Nos igitur attendentes fidelitates et seruicia prescriptorum comitum, que nobis et progenitoribus ob regie mayestatis reuerenciam inpenderunt et inpendere poterunt in futurum, propter que sicut progenitores nostri sic et nos volentes eisdem occurrere regio cum fauore, tenorem priuilegii supradicti, consideratis ipsorum et successorum suorum seruiciis, ratum habentes et acceptum, de verbo ad verbum presentibus inseri faciendo, nobis in etate adulta constitutis, de baronum nostrorum consilio duximus in omnibus et per omnia confirmandum, volentes premissa omnia in ipsorum Jhoannis(!), Leonardi, Stephani, Dwiim(!) comitum et heredibus eorum potestate perpetua duratura. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes eisdem et per eos eorum heredibus heredumque successoribus concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis uiri magistri Nicolay Albensis ecclesie electi aule nostre vicecancellarie dilecti et fidelis nostri anno domini MCCLXXIX° regni autem nostri anno octauo.

*Iz prijepisa kralja Karla od god. 1322. 8. novembra, kako ga je isti kralj god. 1323. 7. novembra potvrdio.*

*Original potonje listine u kralj. ugar. drž. arkivu u Budimpešti: M. O. D. L. no. 33.725. Stara sign. N. R. A. fasc. 370. no. 34.*

*Fejér Cod. dipl. Hung. V. vol. 2. p. 552—4. — Kukuljević Reg. no. 1272.*

## 275.

**1279.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski potvrdjuje kneza modruškoga i krčkoga za načelnika senjskoga.*

Ladizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus,

tam presentibus, quam futuris, presentium noticiam habituris salutem in domino sempiternam Ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod procutatores nobilis viri Johannis, comitis de Wegla, de Wynodol et de Modrus ad nostram accedentes presenciam, exhibuerunt nobis privilegium karissimi patris nostri Stephani, illustris regis Hungarie, pie memorie super potestatu de Scenia concessum, petentes a nobis cum instancia, vt nos ipsum privilegium karissimi patris nostri ratum habere et nostro dignaremur privilegio confirmare, cuius quidem tenor talis est:

*(Slijedi listina kralja Stjepana od g. 1271. a sadržaje u sebi instrumenat od iste godine 21. juna.)*

Nos itaque ipsorum procuratorum comitis Jahan(!) iustis peticionibus inclinati ipsum privilegium karissimi patris nostri ratum habentes et acceptum, auctoritate presencium confirmamus, dupplicis sigilli nostri munimine roborando Datum per manus venerabilis viri, magistri Nicolai Albensis ecclesie electi aule nostre vicecancellarii anno domini MCCLXX nono; regni autem nostri anno octauo.

*Original u kr. ug. drž. arkivu u Budimpešti: D. L. 34.006. (Stara sign N. R. A. fasc. 1646. no 2.) Na listini visi o svilenoj vrvci modre i žute boje sasvim zdrobljen pečat.*

*Na hrptu bilješka početkom XIV. vij.: »Priuilegium regis Ladizlaui super eleccione [potestatis] Segniensis et confirmacione [per comitem Gudonem][1] et heredes suos«.*

*Glagoljska bilješka pisana rukom XIV. vijeka s puno kurzivnih elemenata: List na Sin.*

## 276.

**1279.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski daruje imanja pokojnoga kneza Perčina u Slavoniji bratu njegovom Antunu i ujaku mu Merkulinu.*

Ladizlaus dei gracia Ungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod cum nos et domina regina karissima consors nostra honestum virum comitem Per-

[1] Riječi u zaporci dopunjene su već u samoj bilješci rukom XVI. vijeka.

chinum fidelem nostrum ad dominum Karolum regem Sicilie socerum nostrum karissimum pro agendis nostris arduis misissemus, idemque apud eum functus nostre legacionis officio congruenti iuxta nostre beneplacita maiestatis esset in suo reditu in itinere constitutus, incidit in latrones, ibique per eosdem miserabiliter extitit interemptus, et post mortem eius Nicolaus banus tocius Sclauonie dilectus et fidelis noster uniuersas possessiones eiusdem existentes in Sclauonia occuparat, verum quia Merculinus comes fidelis noster auunculus ipsius comitis Perchini dimidietatem uniuersorum possessionum Perchini comitis predictarum suam fuisse et esse per privilegiales litteras venerabilis capituli Strigoniensis ecclesie et alia documenta euidencia declarauit, nos predictam dimidietatem omnium possessionum Perchini comitis empticiarum Merculino comiti reddidimus, restituimus et reliquimus tanquam ius suum perpetuo possidendam, residuam uero dimidietatem earundem possessionum reddidimus et restituimus Anthonio fratri Perchini comitis uterino, ad quem eadem dimidietas debebat deuenire iure successorio et consuetudine regni nostri similiter perpetuo possidendam. Ad hec quia omnes alie possessiones, quas Perchinus comes ex collacione regia obtinebat, post mortem suam ad manus nostras fuerant deuolute, nos easdem Merculino comiti propter fidelia merita seruiciorum ipsius, que primum felicis recordacionis serenissimo regi karissimo patri nostro et demum nobis omni tempore incessanter exhibuit et inpendit, ac Anthonio fratri iamdicti comitis Perchini de regio fauore et gracia speciali donauimus, dedimus et contulimus, perpetuo et irreuocabiliter possidendas, omnesque litteras nostras si quas super collacione ipsarum possessionum a nobis aliqui forsitan impetrassent, auctoritate presencium reuocamus et irritas nunciamus. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem Merculino comiti et Anthonio fidelibus nostris presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis viri magistri Nicolai aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno ab incarnacione domini M⁰CC⁰LXX⁰ nono regni autem nostri anno septimo.

*Original u kr. ug. drž. arkivu u Budimpešti M. O. D. L. no. 33.726. Stara sign.: N. R. A. fasc. 1532. no. 38.*

*Na listini visi zelena svilena vrvca bez pečata.*

*Wenzel Cod. dipl. Arpad XII 253—4. — Kukuljević Reg. no. 1274.*

## 277.

**1279. U Požegi.**

*Pred kaptolom požeškim prodaju Ladislav sin kneza Paške i Nikola sin Sinchuda svoju zemlju Boršod u vukovskoj županiji za 42 marke Dacijanu i Krstu sinovima Ivana.*

Capitulum ecclesie beati Petri de Posaga omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris salutem in domino sempiternam. Ad uniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod Ladizlaus filius comitis Pasca et Nicolaus filius Sinchud ab vna parte, magister Dacianus et Christoforus filius Johannis consobrini comitis Paska(!) ab altera coram nobis personaliter conparentes, iidem Ladizlaus et Nicolaus confessi sunt viua voce, quod terram Borsod vocatam in comitatu de Wolkou existentem, quam rex Bela felicis recordacionis aduc(!) tempore sui ducatus comiti Pasca patri eiusdem Ladizlai contulerat, cuius terre medietatem idem Ladizlaus supradicto Nicolao et concessione regia dederat et assignarat supradictis magistro Dacyano et Christoforo pro quadraginta et duabus marcis partim in denariis et partim in estimacione condigna plene receptis vendidissent perpetuo possidendam, quas tamen XL et duas marcas magister Dacyanus et Christoforus persoluerunt coram nobis Ladizlao et Nicolao prenotatis. Dixit eciam Ladizlaus, quod non solum predictam terram Borsod pro predicta summa pecunie vendidisset, verum eciam maxime pro eo dedisset, quod cum comes Paska pater eiusdem in extremis laboraret, paterna benediccione sibi iniunxisset, vt si heredum solacio destitutus fieret, nemini de cognatis suis eandem terram vendere seu dare presumeret, nisi filiis Johannis consobrini sui, videlicet magistro Dacyano et Christoforo prenotatis, nec hoc pretermittimus, quod Ladizlaus et Nicolaus prenotati, recepta sepedicta pecunia plenarie priuilegium regis Bele super collacione eiusdem terre confectum in manus magistri Dacyani et Christofori statuerunt coram nobis, sepedictam terram Borsod in metis et terminis in ipso priuilegio continentibus tenendam et possidendam in filios filiorum suorum relinquendo. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes concessimus ad instanciam et peticionem Ladizlai et Nicolai predictorum, sigilli nostri munimine roborando. Datum anno domini M° CC° septuagesimo nono.

*Original u kr. ug. držav. arkivu u Budimpešti: M. O. D. L. no. 33.729. (Stara sign. N. R. A. fasc. 1503. no. 19.). S gornje strane A. B C. Na listini visi o modroj svilenoj vrvci dobro sačuvani pečat.*

*Wenzel Cod. dipl arp. cont. XII. 271—2 (po našem izvoru): Ib. IX. 261. regest iz komor. ark. u Budimu. — Kukuljević Jura reg. I. 88—9. — Fejér Cod. dipl. Hung. V. 2, 588. — Kukuljević Reg. no. 1281.*

## 278.

**1279.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski oslobadja plemiće u županiji Rovište, i to: Milu sina Dragine itd. od vlasti župana Rovišća.*

Ladizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex vniuersus Christi fidelibus ad quos presentes peruenerunt salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod nos cui ex officio suscepti regiminis incumbit metiri merita singulorum et vnicuique dignis pro meritis respondere, attendentes fidelitates et laudabiles famulatus ac strennuos actus milicie nobilium iobagionum castri et predialium nostrorum in comitatu de Ryuche existencium, quos iidem primum domino Bele auo nostro, domino Stephano patri nostro karissimis, illustribus regibus Hungarie felicissimarum recordacionum, demum et nobis in etate tenera constituto in omnibus expedicionibus regni animo diligenti se diuersis et dubiis fortune casibus submittendo cum feruore sumpme fidelitatis laudabiliter exhibuerunt et indefesse, et ut alii hoc viso ad fidelitatis opera suo domino naturali inpendenda diligencius inuitentur et de promptis efficiantur prompciores, eosdem nobiles nostros prediales et iobagiones castri eiusdem et specialiter Mylem filium Draguna, Vzmuk filium Gurdrimer, Petrum filium Leesk, Tyboldum filium Zupk, Ladizlaum filium Bask, Laurencium filium Hotizloi et Thomam filium Thome de genere Gurdumus ex eisdem a iudicatu, iudicio, iurisdiccione et potestate filii Herricy bani Nicolai videlicet quondam comitis de Ryuche et aliorum comitum pro tempore constitutorum, exceptis articulis, in quibus iidem nobiles prediales et iobagiones castri ac specialiter ex eisdem viri superius nominati expressi iudicio uel iudicatui comitis de Ryuche astare tenebantur, pure et simpliciter de nostra gracia speciali tanquam veros et naturales seruientes nostros regales vltra Drawam constitutos iuxta libertatem eorundem nobilium duximus eximendos, ita quod nec in presencia comitum de Ryuche pro tempore constitutorum nec officialium eorundem possint uel debeant tam ipsi quam ipsorum heredes iudicari. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem presentes concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti viri magistri Nicolai aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri anno domini millesimo ducentesimo LXX. nono regni autem nostri anno septimo.

*Iz originalne potvrde kralja Ljudevita od godine 1356, 18. aprila, u arkivu jugoslavenske akademije u Zagrebu. Diplomata a 1279*

*Fejér Cod. dipl. Hung. V. 2., 543—5.*

## 279.

**1280, 22. januara. U Zadru.**

*Guido mletački patrijarka daje oprost svima, koji bi prisustvovali posvećenju crkve Dominikana u Zadru.*

Uniuersis presentes litteras inspecturis frater Guido miseratione diuina sancte Gradensis ecclesie patriarcha Dalmacieque primas salutem in domino sempiternam. Fidelium deuotioni presencium serie innotescat, quod nos auctore domino, qui omnium extitit principium atque finis, quarto decimo die mensis ianuarii intrantis ecclesie fratrum predicatorum de Jadra et maiori altari eiusdem ad dei honorem et preciosissimi Marci apostoli et euangeliste et omnium sanctorum consecrationis munus duximus impendendum. Cui consecrationi venerabiles patres dominus magister Laurencius Jadrensis archiepiscopus, dominus Stephanus Nonensis episcopus, et dominus Martinus Seniensis episcopus astiterunt. In qua quidem consecratione nostrum quilibet ad ipsam populo confluenti ac die quolibet nominati mensis cum deuotione eandem ecclesiam visitanti nec non omni prima dominica vniuscuiusque mensis usque ad vnum annum ob reuerenciam prelibati beati Marci indulxit vnum annum et quadraginta dies de peccatis, de quibus uere essent contricti(!) pariter et confessi et de consciencia et voluntate venerabilis fratris nostri domini Gregorii Arbensis episcopi totidem curauimus indulgere. Sane quia tantum munus non est obliuiscendum a fidelibus Yesu Christi, set debet semper ardoris deuotio in eorum mentibus germinare, eandem ecclesiam beati Marci in adniuersario(!) cunctis temporibus tanto indulgenciarum priuilegio gaudere volumus vna cum predictis archiepiscopo et episcopis ad ipsam deuotionem populi excitandam. Ad hec nos patriarcha vna cum supradicto episcopo Seniensi nostro in hac parte sibi accedente consensu ob reuerenciam tanti principis beatissimi Marci apostoli euangeliste omnibus, qui prenominatam ecclesiam visitabunt in diebus in quibus annuatim eius festa solemniter cellebrantur, similiter vnum annum et quadraginta dies pro quolibet presentibus indulgemus, vt pax dei que exuperat(!) omnem senssum(!) taliter illuminet corda vestra, quod tantum munus indulgenciarum possitis digne capere et habito retinere, sperantes, quod per hec et alia bona que feceritis dei adiutorio mediante ualeatis ad gloriam superne felicitatis merito adipisci. In cuius rei testimonium et perpetue firmitatis presentes litteras fieri mandauimus et nostri ac predictorum archiepiscopi et episcoporum pendencium sigillorum munimine roborari. Data Jadre in archiepiscopali palacio de-

cimo die exeunte mense suprascripto ianuario, anno domini millesimo ducentesimo optuagesimo(!), indiccione octaua.

*Original u gubern. arkivu u Zadru (odio samostana sv. Dominika no. 2172.)*

*Na listini vise o svilenim vrvcama zelene boje tri ovalna pečata prilično sačuvana: dva utisnuta u crvenom vosku (patrijarhin i nadbiskupov) a treći u običnom vosku.*

*Na hrptu suvremeno: »Istud est priuilegium consecracionis ecclesie sancti Marci, quod habemus singulis annis in aniuersario consecracionis V. anno et quinque quadragenas indulgenciarum: et super hoc in omni festiuitate sancti Marci habemus II. annos et II. quadragenas.*

*Farlati, Illyr. sacr. IV. 120—1. (skraćeno). Ib. V. 78.—9. potpuno Ib V. 244—5 skraćeno. — Kukuljević Reg. no. 1283.*

## 280.

**1280, 29. januara. U Zadru.**

*Prevonig Demincin, Petar i t. d. dijele ostavštinu Stane, supruge spomenutog Prevoniga.*

In Christi nomine. Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo septuagesimo nono, indicione octaua, die tercia exeunte mense ianuario, Jadre temporibus equidem domini Jacobi Contareni incliti ducis Venecie et magistri Laurencii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Johannis Cornari egregii comitis. Cum aliquid diuiditur inter partes, decens est, ut confirmetur per publica instrumenta. Idcirco nos equidem Preuonig habitator Jadre filius condam Deminçe de Nona et Petrus, Symon, Maria et Gruba filii Marini de Criuoglauo Jadratino per hoc presens instrumentum facimus manifestum, quomodo in hunc modum diuidimus et partimur cum voluntate dicti Marini patris nostri bona hereditatis condam Stanne uxoris mei prenominati Preuonigi et sororis condam Dessaçe matris vestre. Primo namque per concordium et bonam voluntatem ego prenominatus Preuonig do, dimitto et reffuto vobis prenominatis Petro, Symoni, Marie et Grube vnum locum condam dicte Stanne vxoris mee et amite vestre copertum et discopertum positum ad castrum nouum in confinio sancti Siluestri iuxta domum vestram de qurina, de trauersa est via publica et de austro est ecclesia sancti Siluestri, cum plena virtute et potestate a modo in antea ipsum locum copertum et discopertum cum vestris heredibus et successoribus

intromittendi, habendı, tenendı, gaudendi, possidendi, vendendi, donandı, pro anima et corpore ıudıcandi omnemque aliam vestram voluntatem et vtilitatem libere faciendi sine mea et meorum heredum et successorum contradicione uel aliqua molestacione cum omnibus suis certis terminis pertinenciis, confinibus et habenciis. Et nos prenominati Petrus, Symon, Marıa et Gruba damus, dimittımus et concedımus tıbi vnam vineam condam dicte Stanne vxoris tue et amite nostre per concordium et bonam voluntatem positatam (!) ad Petreçanum super terram monasterii sancte Marie monıalium, que reddit sibi septimum pro terratico, cuı de borea est vinea Dabre de Beutaça, et de austro est vinea Damianı Dobre de Begna, de trauersa est vinea nostra, et de quirina est via publica; tali quidem pacto et condicione, quod tu prenominatus Preuonıg ıpsam vıneam habeas, teneas, gaudeas et possideas ad omnem tuam vtılitatem in vita tua, et post obitum tuum remaneat ipsa vinea libere et absolute suprascripto monasterio sancte Marıe monıalium pro anima dicte Stanne vxoris tue et amite nostre et suorum defuntorum (!). Insuper facimus tibi prenominato Preuonig et tuis heredibus cum nostris heredibus plenam et irreuocabilem securitatem, finem et quietacionem ın omnibus et super omnia de omnibus bonis condam dicte Stanne mobılibus et ımmobilibus, quia nichıl remansit, vnde te uel tuos heredes ualeamus de cetero in alıquo molestare uel requirere de bonis hereditattıs (!) dicte Stanne condam vxorıs tue et amıte nostre per ullam racionem, ingenium seu causam; et si contra hanc securitatis cartam ire temptauerimus, teneamur tibı soluere quinque libras aurı et hec securitatis carta nichilominus ın sua permaneat firmitate. Actum est hoc et firmitatum coram hııs rogatis testibus Laurencio de Ceualellis et Leonardo Criuoglaui Jadrensibus et aliis.

† Ego Frederıcus Uolcinne Martinusıi examinator manum missi.

Ego Henricus imperiali auctoritate notarius et Jadrensıs iuratus hiis ınterfui et rogatus scripsi et roboraui.

*(Sıgnum notarii).*

*Original u arkivu samostana sv. Marije u Zadru.*

*Na hrptu nešto poznijom rukom: »Instrumentum diuisıonıs terre ın Petrizano et domus posita Jadre« etc.*

## 281.

**1280, 15. februara. U Napulju.**

*Bilješka.*

*Karlo I., kralj napuljski, piše:* »Mauro Fironto et Nicolao Ca staldo, magistris portulanis et procuratoribus Apulie« *da je:* »Desa de Vragulio *(u drugom dokumentu:* Dessa de Tragurio) nuncius potestatis, consilii et comitis (comunis) Tragurii, devotus noster, ad nostram accedens presenciam, pro parte ipsius comitis (comunis) nobis humiliter supplicavit, ut cum civitas Tragurii victualium ad presens penuriam paciatur, licenciam extrahendi de regno nostro aliquam victualium quantitatem comuni predicto de gracia concedere dignaremus(!). Nos igitur attendentes fidem et devocionem sinceram, quam ad illustrem regem Hungarie, carissimum filium nostrum, comune ipsum habuit hactenus et habet, ac volentes illud propterea prosequi graciose, licenciam extrahendi de regno nostro octigentos tuminos frumenti eis concesimus de gracia speciali« etc. . . . . .

*Registri Angioini.*
*Makušev, Zapiski XIX. 2. prilog. 3. str. 52.—53.*
*Rački, Rad XVIII. 218. sadržaj.*

## 282.

**1280, 26. marta. U Zadru.**

*Ivan Tavan, glasonoša zadarski, svjedoči, da je prodao na dražbi vinograd u Petrčanu.*

In Christi nomine. Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo octogesimo, indicione octaua, die sexto exeunte mense marcii, Jadre, temporibus equidem domini Jacobi Contareni incliti ducis Venecie et magistri Laurencii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Johannis Cornari egregii comitis Ego quidem Johannes Tauan riuarius et preco comunis Jadre testificans testificor in salute anime mee et in ea veritate que Christus est dico, quod habita licencia et precepto a suprascripto domino comite et eius curia incantandi vnam vineam quondam Marini de Cigona Jadratini possitam(!) ad Petricanum, cui de borea est vinea vxoris quondam magistri Petri Calafati, de austro vinea Cibre de Rum[u]lla, de trauersa terra Cose Saladini, et de quirina est vinea Andree de Cotopagna; ipsam namque vineam secundum ius et consue

tudinem statuti comunis Jadre incantaui dicendo, quod plus offerenti daretur et deliberaretur. Et sic obtulit et presentauit se nobilis vir Thomane de Çançauata Jadratinus ad dandum de ipsa vinea libras venetorum paruorum ducentas et quinquaginta; et iterum volens obseruare sole(m)pnitatem statuti comunis Jadre ipsam vineam per mensem et plus incantaui semper dicendo, quod plus offerenti daretur et deliberaretur; pro quo nullus comparuit, qui plus aut tantum de ipsa vinea dare vellet nec ad eam mittere uel aliquid presentare, vt predictus Thomane dedit et presentauit, et ideo de precepto et licencia memorati domini comitis et eius curie predictam vineam dedi et deliberaui sub logia Jadre ipsi viro Thamani (!) de Çançauata suisque heredibus et successoribus pro dictis ducentis et quinquaginta libris venetorum paruorum, quas ipse Thomane dedit et plenarie soluit comuni Jadre; cum plena virtute et potestate a modo in antea ipsam vineam intromittendi, habendi, tenendi, gaudendi, possidendi, dandi et omni modo alienandi nemine sibi in perpetuum contradicente, cum omnibus suis certis terminis, pertinenciis, confinibus et habenciis. Et hec omnia et singula ego[1] predictus Johannes Tauan preco vera esse testificor, ut sunt superius adscripta coram his uocatis et rogatis testibus scilicet: Dobre filio quondam Silorade (!) et Stephano filio quondam Grisogoni de Piciga Jadratinis et aliis.

*(Drugi rukopis).*

† Ego Johannes Cornarius comes Jadrensis manum missi.

*(Drugi rukopis).*

† Ego Andreas de Cotopagna iudex manum missi.

† Signum Marini de Labe iudicis scribere necientis (!), qui me Vincentium notarium infrascriptum pro se scribere rogauit et hec omnia confirmauit.

† Signum Bogde de Lourechna iudicis scribere nescientis, qui me Vincencium notarium infrascriptum scribere rogauit et hec omnia confirmauit.

Ego Vincencius ecclesie Stephani diaconus et Jaderensis notarius predictis interfui rogatus, vt audiui scripsi et roboraui.

*(Signum not.)*

*Original u arkivu samostana sv. Marije u Zadru.*

[1] Pisano: egro.

## 283.

**1280, 28. marta. U Spljetu.**

*Dešan, sin Ivanov prodaje Androsiju Damasovu lozu i drveće u vinogradu u Krapidolu.*

In nomine domini nostri Jesu Christi amen. Anno a natiuitate eiusdem millesimo ducentesimo [octua]gesimo, indictione octaua, Spaleti, die iouis quarta exeunte marcio, regnante domino nostro Ladizlao serenissimo rege Hungarie, temporibus domini Johannis venerabilis archiepiscopi Spalatensis, domini Mladeni filii quondam comitis Stepconis de Breberio illustris comitis, domini Vite Cerne Mergne de Jadria egregie Spalatensium potestatis, ac dominorum Camurcii Petri, Petri Leonardi et Nicolai Marule iudicum. Dessan filius quondam Yuannis uendidit, tradidit iure proprio et in perpetuum Androsio Damasi omnes vites suas et arbores banitas publice in plathea per riuarium comunis, quas habebat ad Chrapidol in terra monasterii sancti Stephani iuxta vites Stephani Damasi fratris dicti emptoris; ad habendum, tenendum, possidendum, uendendum, donandum et quicquid ex eis dicto Androsio eiusque heredibus deinceps pl[acuerit faciendum], omni iure et accione, usu seu requisitione sibi ex dictis uitibus et arboribus uel pro eis . . . . . . . . . . . . potestatem, pro precio librarum decem et nouem et dimidie denariorum venetorum paruorum, quod precium totum ipse Dessan . . . . [a] dicto Androsio accepisse et sibi ab eo integre datum atque solutum esse; promittens per se suosque heredes dicto Androsio pro se suisque heredibus stipulanti vites predictas et arbores ei eiusque heredibus ab omni homine defendere et excalumpniare cum bonorum suorum omnium mobilium et immobilium habitorum et habendorum obligatione. Actum in hospicio mei notarii presentibus Nicolao Marule supradicto iudice, Desa Cernusi, Semiricio Marci testibus et aliis. Ego Lucatius Dese examinaui.

Ego magister Franciscus Anconitanus imperiali auctoritate notarius et nunc autem notarius ciuitatis Spaleti hiis omnibus interfui et a sepedicto Dessano rogatus eius uoluntatem scripsi et roboraui.

*(Monogram not.)*

*Original u arkivu samostana sv. Marije u Zadru.*
*Listina je s lijevog kraja izlizana i teško čitljiva.*

## 284.

**1280, 10. aprila.**

*Bilješka.*

*Karlo I., kralj napuljski, dopušta zadarskom trgovcu Benediktu de Mattafarro* (Benedictus de Mattafarro de Jadara, mercator) »extrahere de portu Baroli frumenti salmas mille, ordei quatringentas, et fabarum salmas centum, deferendas per mare ad partes Dalmacie, videlicet aput Jadram et Ragusiam«.

*Registri Angioini.*
*Makušev Zap. XIX. 2. pril. 3. str. 49.*

## 285.

**1280, 10. aprila. U Zadru.**

*Kozma i Rada prodaju samostanu sv. Krševana dva komada svoje zemlje na Velikom otoku.*

In nomine domini amen. Anno incarnationis eius millesimo ducentesimo octoagesimo, mensis aprilis die decimo intrante, inditione octaua, Jadre. Temporibus equidem domini Johanis Danduli incliti ducis Venecie, et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archyepiscopi, ac domini Johanis Cornari egregii comitis. Nos namque Cosmas et Radda soror eius heredes autem quondam Radosl[aui] . . . . . s . . . gi ciues Jadre confitemur, quomodo vendimus, damus, tradimus atque transactamus vobis quidem dompno Johani de Curtisia abbati monasterii sancti Grisogoni de Jadra uestrisque successoribus ementibus atque suscipientibus vice ac nomine eiusdem suprascripti monasterii sancti Grisogoni duas integras partes nostras nobis iure paterno et materno pertinentes ex terris omnibus positis in insula magna videlicet in Berbingo in monte, uersus trauersam, boream atque austrum iuxta terras dicti monasterii et uersus quirinam iuxta mare; cum omnibus suis certis terminis, habenciis et pertinenciis tam subtus terram quam supra terram atque cum omnibus iurisdictionibus et rationibus suis, nec non et cum omni iure nostro a modo cum plena virtute, auctoritate et potestate, totam ac omnimodam voluntatem vestram ad vtilitatem monasterii suprascripti faciendi nemine vobis exinde contradicente, excepta vinea mei dicti

Cosme ibidem posita. Ob quam venditionem, dationem, traditionem siue transactationem vos dictus dompnus Johanes abbas nomine ac vice dicti monasterii vestri nobis bene et plenarie pro pretio in pecunia numerata dedistis et persoluistis libras venetorum paruorum ducentas et decem, de quibus iam pacatos nos tenemur. Vnde nos predicti Cosmas et Radda cum heredibus et successoribus nostris debemus et tenemur suprascriptas duas partes dictarum terrarum prefato monasterio beati Grisogoni ab omni homine ipsas calumpniante defensari(!) et excalumpniari(!) super nos et omnia bona nostra habita et habenda. Quam siquidem venditionem siue transactationem partium nostrarum dictarum terrarum fecimus atque facimus monasterio suprascripto presente uolente mihique dicte Radde consentiente Thomano viro meo. Actum est hoc et firmatum presentibus his vocatis et rogatis testibus videlicet: Matheo Georgii et Desa Phafonge.

*(Drugi rukopis).*

Ego Thomasius Çauate examinator manum meam misi.

Ego Vincentius ecclesie sancte Marie maioris clericus et Jadrensis notarius predictis interfui rogatus, vt audiui hanc cartam scripsi, roboraui et signo solito signaui.

*(Signum not.)*

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru (odio samostana sv. Krševana capsula XIX no. 466.)*

## 286.

**1280, 28. aprila. U Zadru.**

*Dragos i žena Marina iz Pašmana prodaje Domku Draškovu vinograd za osam libara.*

In Christi nomine. Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo octogesimo, indicione octaua, die tercio exeunte mensis aprilis, Jadre. Temporibus equidem domini Johannis Danduli incliti ducis Venecie, et magistri Laurencii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Johannis Cornaro egregii comitis. Ego quidem Dragosti vxor quondam Marini habitatrix in Piscimano per hoc presens scriptum facio manifestum, quomodo do, dono, vendo atque transacto tibi namque Domcho filio Drasco quandam vineam meam de uno gonay de menssura, positam in insula Pescimano(!), cui de borea possidet Diminaça, de austro Barthy filius condam Grisogoni de Mauro, et de trauersa est via publica,

cum plena uirtute et potestate a modo in antea cum tuis heredibus et successoribus ipsam vineam intromittendi, habendi, tenendi, gaudendi, possidendi, dandi, donandi, vendendi pro anima et corpore indicandi, omnemque aliam tuam uoluntatem et utilitatem exinde libere faciendi, cum omnibus suprascriptis certis terminis, pertinenciis, confinibus et habenciis tam subtus terram quam supra terram nemine tibi tuisque heredibus et successoribus in perpetuum contradicente, pro precio octo librarum venetorum paruorum, quod precium ego suprascripta Dragosti confessa et contenta sum a te predicto Domcho plene habuisse et recepisse, et unum par subtellarium pro talione. Vnde teneo et promitto cum heredibus et successoribus meis tibi tuisque heredibus et successoribus dictam vendicionem excalumpniare et defensare in racione ab omni homine et persona super me et omnia mea bona habita et habenda in hoc seculo. Actum est hoc et firmatum coram hiis vocatis et rogatis testibus scilicet. Petro filio Barthi de Slurado et Andrea filio quondam Petri Braçe Jadratino.

*(Drugi rukopis).*

Ego Thomasius Çauate examinator manum meam misi.

Ego Vincencius ecclesie sancti Stephani diaconus et Jaderensis notarius predictis interfui rogatus, vt audiui scripsi et roboraui.

*(Signum notarii).*

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru. (Odio rogovski).*

*Na hrptu suvremena bilješka. Qualiter Domcho emit unam uineam in Pasmano . . . Draga.*

*Glagoljska bilješka: »Ot škola.«*

## 287.

**1280, 10. maja. Blizu Warkuna.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski zapovijeda banu Stjepanu, da vrati posjed Belusovim sinovima.*

Ladislaus dei gratia rex Hungarie dilecto et fideli suo St. bano totius Sclauonie salutem et gratiam plenam cum dileccione. Dicit nobis Belus, Nicolaus et Stephanus filii Belus conquerendo, quod Bachader quandam possessionem ipsorum Lapathk vocatam potentialiter occupatam detineret. Unde cum nos iuri ipsorum Belus, Nicolai et Stephani nolumus in aliquo derogari, fidelitati tue precipiendo mandamus, quatenus prefatam possessionem Lapatk, quam idem Bachadyr (!) occu-

patam detinet, eisdem reddas et restituas possidendam, conservando eosdem auctoritate nostra mediante in possessione antedicta ab omnibus volentibus indebite molestare. Aliud non facturi optentu nostre gracie plenioris. Datum prope Warkun, quarto die quindenarum beati Georgii martiris.

*Izvana: »St. bano tocius Sclauonie pro filiis Belus«.*

*Wenzel Cod. dipl. Arpad. XII. 326. — Kukuljević Reg. no. 1301*

## 288.

**1280, 22. maja. U Ninu.**

*Radoslav prodaje Marku, Dragi itd. zemlju svoju za sedam libara.*

In Christi nomine. Anno incarnacionis eius millesimo ducentesimo octuagesimo, mense madii die decimo exeunte, indiccione octaua, None. Temporibus domini Ladislay magnifici regis Hungarie, et Stephani venerabilis Nonensis episcopi, Radoslaui egregii comitis, ac Johanis Ciualelli potestatis. Ego quidem Radoslaus filius olim Ratine Mahurci per hoc presens scriptum confiteor vendidisse atque transactasse vobis Marco et Drage sorori mee vterine iugalibus et Stancio fratri meo et Prodance coniugibus totam meam porcionem terre mee proprie mihi iure mei patrimonii pertinentem videlicet quintam partem sitam iuxta uestram terram Naberda aput Mahurci, ex boreali iuxta terram monasterii ecclesie sancte Marie de Nona et iuxta terram Plaucie ac Drusig. ex octo gonays quintam porcionem pro semptem(!) libris denariorum paruorum a uobis plene susceptis, in talione mihi dedistis quinque solidos. Quam dictam terram teneor uobis ab omnibus discalumpniare ac deffensare super me et omnia mea bona. De racione igitur a modo in antea liceat vobis prefatam terram cum omnibus suis pertinenciis libere habere, perpetuo possidere, heredibus et successoribus derelinquere, colendi, gaudendi, dandi, donandi, vendendi, pro anima et corpore indicandi et omnimode exinde faciendi et alienandi nemine uobis contradicente. Actum est hoc et firmatum coram hiis uocatis et rogatis testibus scilicet: Moysa Stepcouic nunc iudice, Milegosto Dessine Davissic. Et ego Nycolaus puplicus(!) Nonensis notarius interfui, rogatus ut audiui scripsi et roboraui.

*(Signum notarii).*

*Original u arkivu samostana sv. Marije u Zadru.*

## 289.

**1280, 22. maja.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski daruje posjed Dubovac u županiji požeškoj, koji je smrću Čeha sina Pučine pripao kruni, Nikoli sinu Dominika od plemena Čaka i braći njegovoj.*

[L]adizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod terram Dobouch in Pasaga existentem, a Cheh filio Pocina sine herede decedente ad nostras manus de iure et regni consuetudine aprobata deuolutam, quam domina Maria regina aua nostra karissima pie memorie a suis prioribus possessoribus sine herede decedentibus sibi sepius iure predicto remanentem eidem Cheh in concambium possessionis sue Lobor vocate et castri in eadem constituti contulerat, prout in eiusdem domine Marie regine priuilegio continetur, cum suis vtilitatibus et pertinenciis vniuersis ac cum silua Zawabereke nuncupata, in eadem quantitate prout latitudo eiusdem terre Dobouch extenditur, Nycolao filio magistri Dominici filii Petri de genere Chack domine E[lisabeth] regine matris nostre karissime filio spirituali, et Stephano ac Petro fratribus suis filiis dicti magistri Dominici, recensitis seruiciis et fidelibus eiusdem que domino Bele regi auo nostro ac domino Stephano karissimo patri nostro illustrissimis regibus, et demum nobis laudabiliter exhibuit, pro regalis corone honore personam suam fortune casibus comittendo, dedimus donauimus et contulimus per eosdem Nycolaum et fratres suos ac eorum heredes heredumque suorum successores perpetuo et pacifice possidendam et tenendam in eadem libertate, qua dictus Cheh et Pucina(!) pater eiusdem possessionem eorum hereditariam Lobor uocatam et postmodum dictam terram Dobouch cum libertate ipsius possessionis eorum hereditarie eis in concambium datam possidebant, videlicet ut collectam marturinarum, ponderum et submarturinarum populi in ipsa terra Dobouch residentes nullatenus soluere teneantur. Mete autem ipsius terre Dobouch, prout in priuilegio domine Marie regine aue nostre inspeximus, tali ordine distinguntur: prima meta incipit ab oriente in radice cuiusdam montis lapidosi ubi coniungitur Oroycha et Lipolch, deinde egreditur versus meridiem in quodam berch transeundo per fluuium Lipot ad montem, in cuius cacumine est meta terrea, inde per eundem montem vadit ad locum ubi in terra est fixus unus lapis pro

meta, inde declinat iterato uersus orientem in vallem ad fluuium Bregounik uocatum, inde per eundem fluuium uadit uersus meridiem usque terram Bylote Oroycha uocatam, inde eundo per Bregounik vadit ad montem ad quandam arborem berekene cruce signatam sub qua est meta in ore cuiusdam vallis, inde uersus meridiem ad arborem ilicis cruce signatam sub qua est meta, inde uertitur ad occidentem et cadit in potock Ziuni uocatum, ubi commetaneus est quidam Dras nomine, et prope illum locum uersus Oroycha est quidam locus apertus Nadostlaz uocatus pertinens ad terram Dobouch, inde declinando asscendit ad montem ad arborem gyartianfa sub qua est meta, et prope illum locum in margine silue sunt tria loca aperta pertinencia ad terram Dobouch: Bogdasateluke, Boboycha et Kerecklaz nominata vicina domui Dras, de predicta arbore gyartianfa uadit ad occidentem per montem descendendo ad potock Kuhneck uocatum, inde sursum eundo palisper(!) per eundem potock exit ad arborem gyartianfa ubi est meta, inde transiens per campusculum vadit ad arborem nyrfa cruce signatam ubi est meta ad potock Zkorin uocatum, inde per idem potock versus meridiem ad Zowabereke(!) in cuius introitu a meta Drras(!) separatur, inde ad occidentem ad gyartianfa ubi est meta una Pouse et altera terre Dobouch, inde ad arborem tyulfa sub qua est meta, inde iterum ad tyulfa sub qua est meta, inde ad terciam arborem tyulfa sub qua est meta, inde ad bickfa ubi est meta iuxta potock Skopchonick uocatum, per quem uadit uersus meridiem, de quo exit ad arborem tyulfa furcatam sub qua est meta, inde ad potock Pokolosnick, inde reflectitur ad aquilonem et exit ad uillam Mortunus iobagionis castri Inferior Vrba uocatam, et per campum vadit iuxta eandem villam usque ad locum ubi quidam paruus potock cadit in Pokolosnick, inde in magno spacio vadit sursum ad fontem Polosnick ubi exit ad calistam, de qua uadit successiue per tres arbores piri in bereck sub quibus sunt mete, deinde uertitur ad aquam Dobouch ubi Corin est commetaneus, per ipsam aquam itur sursum in magno spacio et exit inde supra nucis arborem ad bereck supra arborem cherasi, inde sursum ad latus montis ad quandam collem, inde ad uiam antiquam per quam uadit supra quandam vineam, deinde per berch uadit ad radicem montis Trikuch, inde asscendit ad eundem montem ad calixtam ubi separatur a Colino, inde uadit ad terram Iwance filii Drusk ad berch, inde flectitur ad orientem usque locum ubi est quasi decliuium eiusdem berch, deinde per berch et ibi descendit ad duos fontes qui coniunguntur, inde transit per berch et transit ad aliud berch, per quod uadit in longum uersus villam Chochan ad pirum ubi est meta, inde ad berekunafa, inde per idem berch eundo ad meridiem ex parte terre Zbrabatnick reuertitur ad priorem

metam ad radicem montis lapidosi predicti et ibi terminatur. Habuit eciam dictus Cheh extra metas predictas in aqua Chernuck loca piscature, quarum una est in fine campi Wnuhleu uocati, altera in Copunicha, item clausura in aqua Kenezicha, item quarta piscatura in aqua Luky, que per omnia pertinent ad terram Dobouch antedictam. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti viri magistri Achonis aule nostre viceeancellarii dilecti et fidelis nostri, anno domini M° CC° octuagesimo, regni autem nostri anno octauo, indicione octaua, XI. kalendas iunii.

*Original u kr. ug. državnom arkivu u Budimpešti: M. O. D. L no. 33.730. (Stara signatura N. R. A. fasc. 1508. no. 20.*

*Na listini visi crvena svilena vrvca s ulomkom dvostrukog pečata.*

*Wenzel Cod. dipl Arp. cont. IX. 278. donosi regest iz budim. komor. arkiva, jer je original za tada bio u Zagrebu. — Kukuljević Reg. no. 1286.*

## 290.

**1280, 24. maja. U Zadru.**

*Braća Mager, Desača, Marija, djeca Rajnerije Varikaše, prave brata svoga Ivana svojim zastupnikom u Spljetu.*

In Christi nomine. Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo octogesimo, indicione octaua, die octauo exeunte mensis madii, Jadre. Temporibus equidem domini Johannis Danduli incliti ducis Venecie, et magistri Laurencii venerabilis Jaderensis archiepiscopi, ac domini Johannis Cornaro egregii comitis. Nos Mager filius domini Raynerii de Uaricassa ciuis Jadre et Dessaça, Maria ac Stria eius sorores filie ipsius Rainerii per hoc publicum instrumentum facimus manifestum, quomodo facimus, constituimus et ordinamus Johannem dilectum fratrem nostrum presentem et recipientem nostrum certum nuncium, procuratorem, syndicum et actorem coram omni regimine, iudicibus et officialibus tam ecclesiasticis quam ciuilibus de Spaleto et eius districtu, ad omnes causas, questiones et placita, que et quas habet uel habere intendit cum quibuscumque personis tam ecclesiasticis quam layces(!) de Spaleto et eius districtu et extra; ad agendum, petendum, placitandum, proponendum, alegandum, respondendum, confitendum, negandum, excipiendum, replicandum, protestandum, causandum, terminos locandum et recipiendum testes, instrumenta et eius raciones produ-

cendum, et si necesse fuerit in animas nostras iurandum, iudices elligendum, pactum et concordiam faciendum, in iudicio standum, aduocatorem tollendum, sentenciam vnam et plures audiendum, securitatem et caucionem prestandum, atque nostra bona uel habere ubicumque et denes quemcumque erit uel erunt et ex eis alienandum, vendendum, dandum et affictandum nec non et diffitandum, et cartas vendicionis et affictacionis faciendum, et ad omnia alia gerendum et faciendum, que in predictis et singulis predictorum necessaria fuerit(!) facienda u[t] uerus actor uel procurator alicuius uel aliquorum et sicut nosmet presentes et personaliter facere possemus; tam in lucro quam in contrario semel et pluries eundo et reddendo. Promittentes nos cum heredibus et successoribus nostris firmum et ratum habere perpetuo et tenere quicquid in predictis et singulis predictorum per te dictum Johannem dilectus(!) fratrem nostrum et procuratorem actum fuerit, tractatum et procuratum, sub pena auri libras quinque, que soluta uel non, nichilominus omnia et singula suprascripta in sua permaneant firmitate. Actum est hoc et firmatum coram hiis vocatis et rogatis testibus scilicet: Johanne V[u]lceta et Crise filio quondam Mixe.

*(Drugi rukopisi.)*

Ego Vite de Petrina examinator manum misi.

Ego Vicencius ecclesie sancti Stephani diaconus et Jaderensis notarius predictis interfui rogatus, vt audiui scripsi et roboraui.

*(Sign. not.).*

*Na rubu: Ego Franciscus Zadulinus examinaui.*
*Original u arkivu grofova Begna u Posedarju: P. no. 6.*

## 291.

**1280, 28. maja.**

*Bilješka.*

*Karlo I. šalje u Dalmaciju:* »salmas frumenti mille« . . . »pro munitione quorundam castrorum, que nuper ad Karoli primogeniti nostri regis Ungarie etc. fidem et dominium peruenerint«.

*Registri Angioini.*
*Makušev Zapiski XIX. 2. prilož. 3. p. 48.*
*Rački Rad XVIII. 218.*

## 292.

**1280, 9. juna. U Zadru.**

*Dimitrije de Stricala gradjanin zadarski prodaje svoje zemlje Martinu svećeniku sv. Stjepana.*

In nome de Cristo. Dal ano del incarnacion de mille dusento otanta, indicion octaua, a di VIIII insando(!) lo mese de zugno in Zara. Al tenpo ancora mo de miser Zoane Dandolo inclito dose de Venetia, e de magistro Lorenzo venerabele arciuescouo de Zara, e de miser Zoane Corner egregio conte. Jo ancora mo Demitrio de Stricala citadin de Zara per questo presente instrumento curie scripto fazo manifesto in per zo, cheo, do, dono, vendo, dago e transato a uui ancora mo Martin clerego de la glesia de San Stefano e a Zoane fradeli e fioli che fo de Lemeso Zaratino tuta la tera mia la qual eo posta a Liscouiza zo e vna peza in uerso ostro preso la tera de Rogoua, la qual e de sete gognai de comun, ancora mo vn altra peza in Drazane de sete gognai de comun, item la terza peza uerso austro a preso la peza de quale fradelo me(!) la qual e de sei gognai de comun; ancora mo quarta peza uerso austro a preso la tera de quale fradel meo, la qual e de quatro gognai de comun; ancora la quinta peza uersu(!) austro a preso la peza del fradel meo quale che de cinque gognai de comun, ancora la sexta peza uerso austro e bora a preso la tera de quale souradito la qual e de cinque gognai de comun, ancora la setima peza, che fidato Drasiza uerso trauersa a preso la tera de Nichiforo neuode meo de quatro gognai de comun; ancora poduornize che en(!) de gognai dese de comun; de le qual de bora posiede lo dito Nichiforo; ancora plase sete zascuna de doi gognai e mezo del una de le dite plase de bora et plasa del dito Nichiforo del altra plasa e plasa de Nichiforo de bora dela terza e quarta plasa, quinta, sexta e septima de le dite plase de borea sie plase del dito Nichiforo; ancora silisze(!) vechie uerso trauersa a preso le silisze del dito Nichiforo che sun de gognai doi de comun; ancora vn gognai de tera a preso Rasela uerso quirina sie via publicha; ancora vna peza de tera che fi dito Drasiza uerso quirina si sun Tuclezane che e de tre gognai de comun; ancora l'altra peza de tera ue[r]so austro preso la peza del prenominado quale meo fradelo de gognai sei de comun, cum plena uertude e podestade da mo in anzi cum li vostr heredi et sucesori, quele peze, plase e selisze e pouornize(!) intrometere auer regnir, gauder, posedere, dar, donar, vendere per anima e corpo indigar e ogna altra vostra voluntade e utilitade de quele in parte e in

tuto liberamente far nesun a uoi in perpetuo contradir; cum tute soe termini, pertinencie, confin che an e cum tuti soi pradi, aque, pascoli, boschi e ancora mo cum ogna rason e iuresdicion a mi per quele peze de tera, plase et selisze e anchora mo poduernize(!) che a cusi soto tera como(!) soura tera a integritado che li pertegnise. Lo presio de la qual vendicion io souradito Demitrio de Stricala a uui prenominati fradeli fioi plenamente o abudo e receudo libre tresento de dinari pizoli da Uenesia li quali a mi aue uui dado e intregamento pagado. Vnde cum li heredi e sucesori si ue son regnudo e prometo la dita vendicion excaluniar e defendere a uui prenominadi fradeli e a li vostri heredi e sucedori(!) in rason da ogno homo e persona soura mi e tuti li mie beni cusi queli che o como[1] queli che o deuese auere in questo mundo. Fato e questo e formado de nanzi questi clamadi e pregadi testimonii zo e: Desa Manuuetri, Andrea de Grubogna e Uitaza fiol che fo de Micha de Lemeso Zaratini e altri. Io Volzena de Matafaro examinador la man mia o meso. Io Vincenzo de la glesia de san Stephano diacono e de Zara nodaro a le predicte cose sein stado e pregado e cosi como eo audi cusi eo scripto eroborado.

*Originalni prijevod iz kasnije dobe (XV. vij.) u gubernijalnom arkivu u Zadru (odio samostana sv. Dominika br. 2244.)*

## 293.

**1280, 12. juna. U Čazmi.**

*Pred kaptolom čazmanskim prodaje župan Rodin polovicu svog posjeda medju potocima Bukovcem i Srednikom županu Lumpertu sinu Zadurovu.*

Nos capitulum Chasmensis ecclesie t[enore presencium sig]nificamus vniuersis, quod comite Rodyno a p[arte vna ab a]ltera autem comite Lumperto coram nobis personaliter constitutis, idem comes Rodynus dimidietatem terre inter fluuios Bukouch et Zrednik vocatos . . . . . parte Martini filii Petk secundem formam priuil[egii] . . . . . . . . . . . . quam mete infrascripte circumdant et . . cludunt equali diuisione confessus es[t] vendidisse eidem comiti Lumperto et per eum heredibus pro . . . . . . . . . . . . . . . . plene acceptis sicut dixit iure perpetuo [possidendam et habendam]. Cuius terre mete sunt in priuilegio . . . . . . [cui]us testimonio seu auctoritate eandem [ad i]psum comitem Rodynum deuoluta esse contineri vidimus . . . . . . . . . . . . . . . . . prima meta

[1] Ovo pisano od: »como« do »o« dva puta.

incipit a parte orientali in commetacione [ipsiu]s comitis Lumperti ab arbore iegune cruce signata meta terrea circumfusa vbi [predictus] fluuius Bokouch cadit in aquam, inde in minori fluuio . . . . [procede]ns superius versus septemtrionem peruenit ad arbo[rem hara]zth cruce signatam meta terrea circumfusam, inde in eodem fluuio in magno spacio procedens exit ad arborem egur cruce signatam meta terrea circumfusam, inde ad . . . . . metam dictam, per quam procedens in commetacion[e terre] comitis Lumperti eidem per Isanum obligate per diuersas arbores cruce signatas versus orientem peruenit ad caput fluuii Zrednik vocati vbi est arbor . . . . . . . cruce signata meta terrea circumfusa, inde in . . . . . . . Zrednik(!) descendens versus meridiem in magno spacio exit ad viam iuxta quam rippa eiusdem Zrednik est arbor . . . . . . . . . cruce signata meta terrea cir[cumfusa, i]nde in eadem via versus orientem procedendo [decli]nat versus meridiem ad arborem gertan cruce signatam meta terrea circumfusam vbi commetatur terre Lodomerii, inde versus meridiem procedens iuxta . . . . . . . [veni]t ad arborem nar cruce signatam que est meta [Lodom]erii, inde versus orientem ad viam iuxta quam est meta terrea, inde per eandem viam in planicie procedens versus occidentem venit ad quoddam fossatum . . . kop dictum vbi est arbor fyz iuxta quam [est met]a terrea, inde in eodem kop procedens cadit in aquam Plumcha, per quam procedens inferius peruenit ad priorem metam ibique terminatur. In cuius [rei memoriam] presentes concessimus sigilli nostri patrocinio con[signat]as. Datum[1] quarta feria post festum penthecostes proxima, anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo.

*Iz originalnog prijepisa čazmanskoga kaptola na papiru, vrlo oštećena, iz početka XV. vijeka (14 . ), u arkivu jugoslavenske akademije u Zagrebu: Diplomata a. 1268.*

## 294.

**1280, 12. juna. U Zadru.**

*Dešeslava, kći Dragoslavova, prodaje Komesu Zadraninu svoju zemlju u Pusterli.*

In Christi nomine. Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo octoagesimo, indicione octaua, die duodecimo intrante mense iunio,

[1] Slijedi prekriženo: feria.

Jadre. Temporibus equidem domini Johannis Danduli incliti ducis Venecie, et ma[gistri] Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Johannis Cornari egregii comitis. Manifestum facio per hoc presens instrumentum ego quidem Desseslaua filia condam Dragoslaui de Nona, quomodo do, dono, vendo et transacto vobis namque Comesso Jadratino et eius vxori Heufemie filie condam Andree de Vegla totam meam medietatem vnius loci positi in Pusterla, quem habeo indiuisum cum Stanislaua consanguinea mea; cui de borea sunt loca Mergye condam Blasii de Soppe, de austro sunt loci Bogde de Lourechna, de trauersa est domus vestra, et de quirina est domus et locus Jurmani de Scardona; cum plena virtute et potestate a modo cum vestris heredibus et successoribus ipsam meam medietatem dicti loci indiuisi intromittendi, habendi, tenendi, gaudendi, possidendi, vendendi, donandi, pro anima et corpore indicandi omnemque aliam vestram voluntatem et vtilitatem libere faciendi nemine uobis uel vestris heredibus in perpetuum contradicente uel molestante; cum omnibus suis certis terminis, pertinenciis, confinibus et habenciis ipsi mee medietati dicti loci indiuisi tam subtus terra quam supra terram in integrum pertinentibus uel que pertinere sibi possunt, precio cuius vendicionis plene a uobis habui et recepi libras denariorum venetorum paruorum sex et dimidium, quas mihi dedistis et integre persoluistis. Vnde cum meis heredibus et successoribus teneor et promitto ipsam medietatem dicti loci indiuisi excalumpniare et defensare vobis vestrisque heredibus et successoribus in racione ab omni homine et persona super me et omnia bona mea presencia et futura. Actum est hoc coram hiis rogatis testibus scilicet: Angelo Stranioto et Donato Çuparo Jadrensibus et aliis.

*(Drugi rukopis).*

Ego Thomasius Çauate examinator manum meam misi.

Ego Henricus imperiali auctoritate notarius Jadrensis iuratus hiis interfui et rogatus scripsi et roboraui.

*(Signum notarii).*

*Original u arkivu samostana sv. Marije u Zadru.*

## 295.

**1280, 14. juna. U Zadru.**

*Damijan sin Lemeskov prodaje svojoj braći Martinu i Ivanu trećinu svoje kuće.*

In Christi nomine. Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo octogesimo, indicione octava, die quarto decimo intrante mensis iunii, Jadre. Temporibus equidem domini Johanis Danduli incliti ducis Venecie, et magistri Laurencii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Johanis Cornaro egregii comitis. Ego quidem Damianus filius quondam Lemesci ciuis Jadre per hoc presens scriptum facio manifestum, quomodo do, dono, vendo atque transacto vobis namque Martino ecclesie sancti Stephaui clerico et Johani fratribus filiis dicti Lemesci totam veram et integram terciam partem vnius camere amorate posite ad arsanatum de austro iuxta palacium quondam Lemesci patris nostri, et versus trauersa(!) et austrum super vias publicas. Item do, vendo atque transacto vobis dictis fratribus vnam veram et plenam terciam partem vnius loci possiti(!) ibidem ad arsanatum in curia olim dicti Lemesci patris nostri versus quirinam iuxta domum Dobre de Gramatico; quam quidem cameram et locum habeo pro indiuiso cum Stana sorore nostra et cum heredibus condam Boyslaue nostris nepotibus, ita quod a modo in antea plenam virtutem et potestatem mea auctoritate habeatis vos dicti Martinus et Johanes fratres ipsas tercias partes dicte [ca]mere et loci cum vestris heredibus et successoribus habendi, tenendi, gaudendi, possidendi, dandi, donandi, vendendi omnemque aliam vestram voluntatem et vtilitatem exinde libere faciendi cum omnibus pertinenciis et habenciis suis tam subtus terram quam supra terram; precio cuius vendicionis pleno habui et recepi libras Venetorum paruorum quinquaginta a uobis prenominatis fratribus, quas mihi dedistis et integre persoluistis. Vnde promitto cum heredibus et successoribus meis dictam vendicionem excalumpniari(!) et defensari(!) vobis vestrisque heredibus et successoribus in racione ab omni homine et persona super me et omnia mea bona presencia et futura. Actum est hoc et firmatum coram hiis vocatis et rogatis testibus scilicet· Marino Gayta et Prode Macaruno et aliis.

*(Drugi rukopis).*

Ego Vite de Petrina examinator manum misi.

Ego Vincencius ecclesie sancti Stephani diaconus et Jaderensis notarius predictis interfui rogatus vt audiui scripsi et roboraui.

*(Signum not.).*

*Original u arkivu samostana sv. Marije u Zadru.*

## 296.

**1280, 26. juna. U Budimu.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski obustavlja povelju svoju proti Joakimu bivšem banu radi nevjere.*

Ladislaus dei gratia rex Hungarie memorie commendantes significamus vniversis quibus expedit presentium per tenorem, nos intellexisse, quod Radislaus et Stephanus frater eiusdem tacita veritate non ex conniuencia(!) nostra litteras nostras privilegiales recepissent supra eo, quod magister Joachinus infidelitate perpetrata fuisset interemptus. Vnde cum idem magister Joachinus nullam infidelitatem contra nostram maiestatem commisisset, imo semper nostre maiestati studuit multipliciter suis meritoriis serviciis complacere, volumus, quod omnia priuilegia nostra et littere nostre, si que super huiusmodi facto contra dictum magistrum Joachinum processerint, cassentur, et ubicunque fuerint presentate uires non habeant, sed penitus pro irritis et cassis habeantur, quia dictus magister Joachinus pro fidelitate corone regie debita per suos emulos extitit interemptus. Datum Bude, quarto die quindenarum pentecostes, anno domini M.° C°C.° octuagesimo.[1]

*Fejervari Analecta mon. omnis aevi vol. II. no. 177. f. 156. Mss. XVIII. vijeka u narod. muzeju u Budimpešti (sign. 2011. fol. lat.) Prepisivač veli, da je crpao iz originala.*

*Fejér Cod. dipl. Hung. VII. 2. p. 82—3. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. IX. 444 (pod g. 1286.) po izvorniku u Pečuhu. — Kukuljević Reg. no. 1287 pod g. 1280 i no. 1397. pod. god. 1286. Priopćeno po Wenzelu.*

## 297.

**1280, 18. jula.**

*Ljubavac, sin Bratodružev iz Skradina pravi svoju oporuku.*

Nos capitulum uniuersorum Nonensis ecclesie memorie comendamus significantes quibus expedit presencium per tenorem, quod accedens ad nostram presenciam venerabilis et religiosus vir frater Georgius de Jadra ordinis fratrum minorum, qui nobis exhibuit quoddam testamentum cum duobus sigillis sigillatum, vno sigillo fratrum minorum de Jadra, alio uero Glubauci filii[2] condam Bratodruxio de Scardona, cuius tenor talis est:

---

[1] Wenzel ima još: (»sexto«).
[2] Slijedi prekriženo: Brat.

In Christi nomine amen. Anno domini MCCLXXX⁰, die XVIII. iulii. Cum nil cercius morte et incercia die mortis, ideo ego Glubauac filius Bratodrussi de Scardona mente et corpore sanus, nolens, ut bona mea intestato remanerent et questio de eis fieret, uolui sic ordinare testamentum meum: In primis uolo heredes meos omnium bonorum meorum mobilium et immobilium filium meum Radoslauum et filiam meam Radoslauam, ut ipsi diuidant inter se secundum statuta ciuilia ciuitatis Jadre; item uolo et ordino comessarios meos P . . . . guardianum monasterii sancti Francisci fratrum minorum de Jadra quicumque esset, et dominum Jacobum de Gays. Item volo, quod dentur centum libre ecclesie sancte Marie de Scardona, quas dimisit pater meus in testamento; item uolo, quod dentur centum libre ecclesie sancti Johannis Baptiste de Scardona, et uolo, quod restituantur eedem ecclesie terre que sunt in Crimlanica, quas indebite tenuimus usque nunc; item volo, quod peccunia et deposito ducentarum marcarum denariorum paruorum venetorum que sunt in deposito apud dominam abbatissam monasterii sancti Nicolai de Jadra, quod dentur de illa peccunia matri mee ducente libre, item volo et ordino, quod dentur alie ducente libre uxori mee Bratoslaue; item uolo, quod dentur trecente libre tribus sororibus(!) meis cuilibet centum; item uolo. quod dentur et distribuantur in helymosinis pauperum ducente libre; item uolo, quod dentur centum libre in celebrandis missis pro anima mea et predecessorum meorum; item uolo et ordino, quod si aliquis heredum meorum decesserit, succedat ei alter, et si ambo heredes mei decesserint, sint omnia mea mobilia et immobilia ad uelle comessariorum meorum supradictorum, ut ipsi distribuantur(!) pro anima mea, ut melius sciunt et insuper et in speciali potestati domino et beatam uirginem(!) Mariam(!) et sanctos(!), recommendo animam meam fratri Jeronimo lectori, ut ipse faciat omnia que comisi sibi pro anima mea predecessorumque meorum. Et hec est uoluntas mea ultima et uolo, ut hec omnia inpleantur non obstante aliqua litera uel testamento per me facto uel faciendo. Hec facta sunt in domo Jacobi de Gays coram testibus: fratre Lumbardino et fratre Jeronimo lectore Jadrensi, et domina Katharina consorte domini Jacobi. In cuius rei testimonium et robur presentes muniuimus cum sigilli(!) pendentis(!) conuentus fratrum minorum de Jadra et cum sigillo meo Glubauci. Hec omnia ego Glubauaç filius Bratodrussi manu mea propria scripsi et confeci. Nos uero ad petitionem suam adinplere volentes reuerenter, ut tenemur, dictum testamentum inspeximus et eum inuenimus non rasum, non cancellatum, nec in aliqua sui parte suspectum, et ipsum testamentum rescribi fecimus de uerbo ad uerbum nil adendo uel minuendo quod sensum mutet uel uariet intellectum, ac ipsum legi et ascultari fe-

cimus cum presente copia nostra, et quia insimul concordabat, ad instanciam et requisitionem dicti fratris Georgii hanc presentem paginam in formam priuilegii redactam sigilli pendentis nostri capituli sollito et antiquo fecimus munimine confirmari. Actum et datum None in nostra cathedrali ecclesia sancti Anselmi, sub anno domini MCCCC⁰ secundo, indicione undecima, die decimo mensis octubris.

*Original u arkivu franjevačkog samostana u Šibeniku, no. 16. Vidi se trag, da je visio pečat.*

## 298.

**1280, 19. jula.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski vraća županu Junku i njegovu sinu Ivanu zemlje Vrbovec i Ebris izmedju rijeka Zlonina i Kemičnice.*

Ladizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris salutem in omnium saluatore. Ab ore sedentis in trono procedit gladius bis acutus, vt contra iusticiam nulli parcat, et reddat vnicuique quod suum est; huius imitacione exempli ab ore regalis fastidii solio presidentis iustissima debet prodire sentencia, qua velamento defensionis seu occupacionis iniuste ueritas palliata uigore celsitudinis regie detegatur, et scalore rubiginis confuscata lima recti iudicii reformetur, nec non et suum consequatur effectum, quod iur[i]s firmat racio et ipsa delucidata ueritas persuadet. Proinde ad vniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod accedens ad nostram presenciam comes Iwnk et Johannes filius eiusdem, humili nobis insinuacione declarauit, quod quedam terre Vrbouch et Ebrys vocate ipsorum hereditarie site iuxta fluuios Zlonyn et Kemychnice vocatos, per falsam et iniquam suggestionem officialium suorum domina regina aua nostra consors Bele regis illustris felicium recordacionum, nomine et occasione dandi concambii et permutacionis, quod iidem acceptare noluerunt, fecerat occupari et vsui pastorum porcorum de Lona applicari; quas sibi postmodum restitutas conperta et cognita rei veritate a baronibus et regni nostri nobilibus auctoritate literarum nostrarum exinde confectarum asseuerantes priuilegii nostri postularunt munimine roborari. Nos igitur, quia ex debito suscepti regiminis unicuique, quod suum est reddere iusticie libramine deposcente et iuris tra-

mite dirigere gressus nostros, consideratis eciam eorumdem fidelitatis operibus meritoriis seruiciis, que nobis semper et vbique inpenderunt corone regie, predictas terras cum vtilitatibus et pertinenciis suis vniuersis nomine iuris sui tamquam ipsorum hereditarias, sicut iuste possederant, conperta et cognita, vt prehabitum est, a baronibus nostris ueritas omnimoda constitit pleno iure, ymo restitucionem antea factam approbamus et presentibus roboramus. Volentes igitur, ut predicti comes Iwnk et filius eius ac heredes heredumque suorum successores in posterum eorum hereditariis habitis in prefatis terris Vrbouch et Ebrys ac earum pertinenciis vniuersis auctoritate regie excellencie in integrum restitutis, plena securitate gaudeant et robore firmitatis gratulentur, nec per quempiam processu temporum occasione prefate occupacionis et detencionis indebite inquietari valeant seu turbari, interpollaciones huiusmodi et interupciones turbate possessionis regie magnificencie reintegracione continuamus, et iuris ac iusticie examine adunimus, ut in eisdem metis, signis et terminis quibus antea tenuisse, possedisse dinoscuntur, nunc habeant et possideant pacifice et quiete. In cuius rei memoriam sempiternam, roburque perpetue firmitatis presentes litteras nostras duplicis nostri sigilli concessimus munimine communitas. Datum per manus discreti viri magistri Achonis,[1] aule nostre vicecancellari dilecti et fidelis nostri, anno domini MCC° LXXX, XIIII kalendas augusti, indiccione octaua, regni autem nostri anno octauo. Venerabilibus patribus. Lodomerio Strigoniensi, et Johanne Spalatensi archiepiscopis, ac Johanne in archiepiscopum Colocensem electo; Job Quinqueecclesiensi(!), Tymotheo Zagrabiensi, Dyonisio Jauriensi, Andrea Agriensi, Petro Transsiluano, Gregorio Chanadiensi, Petro Wesprimiensi, Thoma Waciensi episcopis, et Thoma electo Waradiensi ecclesias [dei] feliciter gubernantibus; Matheo palatino comite Symigiensi iudice Comanorum, Lau[r]encio] magistro tawarnicorum nostrorum, Petro bano tocius Sclauonie, Phynta woyuoda Transsiluano et comite de Zonuk, Stephano comite Suproniensi, Petro iudice curie nostre, Petro magistro dapiferorum comite Posoniensi et Musuniensi, Opowr magistro agasonum nostrorum comite Zaladiensi, Rubino comite Castri ferrei, Petro comite Nitriensi, Johanne comite de Baranya et aliis quam pluribus comitatus et magistratus regni nostri tenentibus et honores.

*Iz potvrde kralja Karla od god. 1325. 14. juna. Ova potvrda iz potvrde kralja Ljudevita od god. 1359. 23. aprila.*

*Original potonje potvrde (od god. 1359.) u arkivu jugoslavenske akademije u Zagrebu: Diplomata a. 1280.*

[1] Athonis?

*

## 299.

**1280, 15. augusta i 24. oktobra. U Barulli.**

*Frater Albert de Marsilia posudjuje sedamdeset bizant. zlatnika od Franje de Nicola Zadranina.*

Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris, quod ego frater Albertus de Marsilia . . . . . . . . . asione sancte domus militie templi confiteor et recognosco me habuisse et recepisse mutuo gratis et amore uice et nomine fratris Roberti de Rupe acuta gerentis uicem preceptoris domorum milicie templi per Ungariam et Sclauoniam, virtute et potestate quarumdam literarum suarum suo sigillo certo sigillatarum de foris manuproprio habencium hunc tenorem: Nos frater Rubertus(!) de Rupe acuta gerens vicem preceptoris milicie templi per Ungariam et Sclauoniam significamus quibus expedit vniuersis, quod pro quibusdam rebus, quibus indigemus de ultra mare, damus et concedimus religioso viro fratri Alberto Bonifacii latori presencium plenariam potestatem mutuo recipiendi ex parte nostra et super baiuliam domus templi de Ungaria a quocumque uoluerit viginti marchas argenti, promittentes in fide nostra dictas viginti marchas soluere in termino creditori assignato per fratrem Albertum sine aliqua questione; et si dictus creditor da[m]pnum aliquod haberet in solutione, tenemur sibi restituere plenarie et perfecte. Datum in Barulle, anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo, videlicet in die asumpsionis beate uirginis Marie. Vnde ut dictum est confiteor ego dictus frater Albertus, quia mutuo habui et recepi gratis et amore vice et nomine dicti fratris Roberti de Rupe acuta a te Marino de Carleço de Jadra, dante et mutua[n]te pro parte et nomine Francisci filii quomdam(!) Lumbri de Jadra de Nicola bizantinos aureos sane septuaginta ad rectum pondus auri, quas quidem bizantinos tuos mihi, ut dictum est, mutuatos conuenio et promitto dare et reddere seu dari aut reddi facere tibi prenominato Marino uel Francisco aut uestris nuntiis specialibus in Jadra amodo usque ad festum pasce dominice resurrectionis saluos interea sine omni periculo ad presam tuarum mercationum, quas tu dictus Marinus tecum ad presens portas in Jadra, credendo de presa dictarum tuarum mercium solo simplici verbo tuo aut dicti Francisci sine sacramento et alia probatione. Et ad maiorem huius rei euidentiam et pleniorem firmitatem hoc presens scriptum fieri feci et mei sigilli cerei munimine roboraui. Actum est autem anno incarnationis domini millesimo ducentesimo octuagesimo, mensis octubris die

octauo exeunte, none indictionis. Que omnia predicta et singulla (!) conuenio et promitto attendere et obseruare sub pena duppli totius quantitatis predicte, in personna (!) nobilium virorum dominorum Marin Superatii (!) et Petri Basilio et Johannis Superancii, ciuium Vinetie (!).

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru, (odio samostana sv. Nikole br. 64.) — Pečat djelomice sačuvan.*

## 300.

**1280, 19. augusta.**

*Elizabeta kraljica ugarska i hrvatska obećaje istrti heretike u svojim oblastima u Hrvatskoj i Bosni.*

Elisabetha dei gracia maior regina Hungarie, ducissa de Machou et de Wazna, omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in omnium salvatore. Ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod cupientes sanctam fidem katolicam in ducatibus de Machou et de Wazna, et in comitatibus de Pasega et de Wolkou ceterisque comitatibus nostre iurisdictioni subiectis, ac aliis, quos, miserante deo, nos habere contigerit in futurum, destructis herroribus(!), ac eliminatis atque destructis inde hereticis, qui ecclesiam sanctam et fidem ipsius demoliri atque destruere dampnabiliter moliuntur, per nostre regalis mansuetudinis ac potestatis nec non iurisdictionis officium et ministerium dilatari, ad requisicionem et commonicionem reverendi patris nostri Philippi dei gracia Firmani episcopi, apostolice sedis legati, promittimus et assumimus per presentes, quod omnia statuta, iura atque decreta contra hereticos et hereticam pravitatem, quibuscumque nominibus censeantur, per sanctam sedem apostolicam edita aut approbata, seu etiam acceptata, observabimus et ad mandatum sancte ecclesie romane, et per nos etiam ea efficaciter faciemus a nostris subditis in ducatibus ceterisque comitatibus nostre reginali potestati subiectis inviolabiliter observari, decernentes ex nunc statutorum et decretorum huiusmodi transgressores atque violatores per penas canonicas atque legitimas compelli, eisque penis subiacere et subiacere debere. Si quis autem contra huiusmodi salubria statuta et sanctam ordinacionem fidei katolice contraire presumpserit, iram omnipotentis dei et nostram indignacionem se noverit incursurum. Ut igitur huiusmodi sponsionis seu promissionis series robur optineat perpetue firmitatis, nec possit ullo umquam tem-

pore in irritum revocari, presentes concepimus litteras sigilli nostri duplicis munimine roboratas. Datum per manus magistri Luce sancte Strigoniensis ecclesie prepositi, aule nostre cancellarii, fidelis nostri. Anno domini MCC. octagesimo. XIIII. kalendas septembris, indictione octava.

*Theiner Mon. Hung. I. br. 565. str. 347—348. Iz reg. orig. an. II caps. VII no. 6. — Katona Hist. crit. VI. 840. — Koller Hist. episc. Quinqueeccl. II. 217—219. — Fejér Cod. dipl. Hung. V. 3. 37. — Fermendžin Acta Bosnae br. 89. str. 16. — Kukuljević Reg. no. 1290.*

## 301.

**1280, 29. augusta. U Budimu.**

*Moys meštar kraljičinih dvoranika daruje Mihajlu sinu kneza Andrije svoju zemlju Fekethev (Črnec?).*

Moys magister thawarnicorum domine regine omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod cum comes Andreas filius Johannis de Wruzy seruiens noster diuersis fortune casibus se pro nobis committendo plurima fidelitatis opera et laudabiles famulatus semper et ubique, specialiterque in Teotonia, vbi eciam in seruicio nobis exhibendo et extractis dentibus ac amputatis digitis per Teotonicos multa cruciamina passus fuit, nobis exhibuisset, et demum Michael filius eiusdem iuuenis noster a tempore puericie sue cum omni fidelitatis deuocionisque studio continue existens in domo nostra, nobis et domine consorti nostre laudabiliter seruiuisset. Nos consideratis huiusmodi fidelitatibus et meritoriis seruiciis eorundem, in recompensacionem ipsorum fidelium seruiciorum manu munifica eisdem occurentes quandam terram nostram hereditariam Fekethev uocatam, inter terras Zyman et Fyzesth nominatas a parte orientali et meridionali, item inter terras filiorum Gyurk et Symonis filii Wyd a parte occidentali, necnon inter terram Kus Egresd dictam a septemtrionali plaga existentem, dicto Michaeli et per eum suis heredibus heredumque suorum successoribus sub antiquis metis et terminis dedimus, donauimus et contulimus iure perpetuo et irreuocabiliter possidendam. Vt igitur huius nostre collacionis series robur optineat perpetue firmitatis, et ne processu temporum per quempiam possit uel debeat in nichilum retractari, presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum Bude, tercio die

octauarum beati regis Stephani, anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo, indicione octaua.

*Original u kr. ug državnom arkivu u Budimpešti. M. O. D. L. no. 35.159. (Stara signatura: Actor. monast. Garigh fasc. 1. no. 4.)*
*O crvenoj i zelenoj svilenoj vrvci visi liepo sačuvani pečat.*
*Ovu listinu potvrdi kralj Ladislav god. 1280. 30. dec. (M. O D L. no. 35.160.; Act. mon. Garig fasc. I. no. 5.)*
*Kukuljević Reg. no. 1292.*

## 302.

**1280, 31. augusta. Kod jezera Pensilskoga.**

*Izvoz žita iz Napulja za templare.*

Idem frater Robertus habet licentiam extrahendi per mare sine iure exiture salmas ordei ducentas ferendas apud Jadaram et Zablacam pro vsu ipsius domus templi. Datum apud Lacum Pensilem, vltimo augusti, VIII. indictionis.

*Wenzel Acta extera I., 67.*

## 303.

**1280, 6. septembra. U Ostrogonu.**

*Papinski legat Filip ovlašćuje prepozita čazmanskoga Jakoba, da postupa protiv Virovitičana i Lipovljana radi uskrate desetine.*

Philippus miseracione diuina Firmanus episcopus, apostolice sedis legatus, discreto viro (Jacobo) preposito de Chasma salutem in domino. Sua nobis venerabilis pater dei gracia Zagrabiensis episcopus conquestione monstrauit, quod homines de Vereuche et de Lipoa, sue diocesis, decimas, quas eidem et ecclesie Zagrabiensi exhibere tenentur, sibi soluere indebite contradicunt, ideoque discrecioni tue presensium tenore committimus et mandamus, quatenus detentores huiusmodi decimarum ex parte nostra efficaciter monere procures, ut decimas ipsas eidem episcopo et ecclesie, ut tenentur, cum integritate persoluant, et de subtractis con-

dignam satisfaccionem inpendant, alioquin ipsos ad id, monicione premissa, per censuram ecclesiasticam sicut iustum fuerit, appellacione ad nos remota, compellatis. Datum in castro Strigoniensi, VIII. idus septembris, pontificatus domini Nicolai pape III. anno III.

*Liber privileg. eppatus. Zagrab. list. 68.*

*Tkalčić Monum. episc. Zagrab. I. 203. — E collect. Hevenes. XII. LD. 321. — Fejér Cod. dipl. Hung. V. vol 3., 15.–17. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 310—12. — Kukuljević Reg. no. 1296*

## 304.

**1280, 27. septembra. U Budimu.**

*Filip firmanski biskup i legat papin nalaže virovitičkomu gvardijanu, da pritera sudce i stanovnike virovitičke i lipovljanske na plaćanje dužne desetine biskupu zagrebačkomu.*

Philipus miseracione diuina Firmanus episcopus, apostolice sedis legatus, religioso uiro . . . . guardiano fratrum minorum de Veruche, Zagrabiensis diocesis, salutem in domino. Querelam venerabilis patris T[hymotei] dei gracia Zagrabiensis episcopi recepimus continentem quod iudices et homines de Veruche et de Lipua et comitatu eiusdem, Zagrabiensis diocesis, pretextu guerrarum, que in partibus illis fuerunt temporibus retroactis, de decimis ad ipsum et ecclesiam suam de iure spectantibus non curarunt hactenus nec curant eidem in aliquo respondere in animarum suarum periculum et ipsorum episcopi et ecclesie preiudicium et grauamen Quare idem venerabilis pater nobis humiliter supplicauit, ut sibi et ecclesie super hoc curaremus de oportunis remediis prouidere. Quocirca discrecioni tue, qua fungimur auctoritate committimus et mandamus, quatenus iudices et homines supradictos ex parte nostra efficaciter monere et inducere procures, ut de predictis decimis episcopo et ecclesie respondeant et de subtractis satisfaciant, ut tenentur; alioquin cum simus omnibus in iusticia debitores, super hiis non possemus salua consciencia pertransire, quin ipsius ecclesie indempnitati et animabus ipsorum curaremus prouidere saluti. Insuper uos ex corde rogamus, ut omnes transeuntes per partes uestras pro reuerencia omnipotentis dei et sancte Romane ecclesie nostrorum precaminum inter-

uentu securum transitum prebeatis. Datum in castro Budensi, V. kalendas octobris.

*Liber privileg. eppatus Zagrab. list. 68.*

*Tkalčić Monum. episc Zagr. I. 201. — Wenzel Cod dipl. Arp. cont. XII. 307. — Kukuljević Reg. no. 1270., stavlja ovu listinu pod g 1279. (Sravni Tkalčić no. 197).*

## 305.

**1280, 16. oktobra. U Ostrogonu.**

*Ugarski episkopat potvrdjuje darovanje županije garešničke, koju kralj Ladislav poklonio episkopatu zagrebačkom.*

Lodomerius dei gracia archiepiscopus Strigoniensis, eiusdemque loci comes perpetuus, Dyonisius Jauriensis, Petrus Transilvanus, Thomas Waciensis, miseracione divina episcopi. Vniuersis Christi fidelibus presentes literas inspecturis salutem in vero salutari. Nouerit uestra vniuersitas, quod venerabilis pater dominus Thymotheus dei gracia episcopus Zagrabiensis exhibuit nobis quoddam priuilegium excellentissimi domini nostri Ladizlai dei gracia regis Vngarie, in hec uerba : *(Slijedi Ladislavova listina g. 1277. u odlomku).* Nos itaque ad peticionem dicti domini Thymothei episcopi Zagrabiensis, ipsum priuilegium predicti domini nostri sub dupplici sigillo pendenti inuenientes non cancellatum nec abrasum uel in aliqua sui parte uiciatum, de uerbo ad uerbum legi et transcribi fecimus et in perpetue rei memoriam presens scriptum sigillorum nostrorum munimine consignari. Datum Strigonii, XVII kalendas nouembris. Anno domini M. ducentesimo octuagesimo.

*Liber privileg. eppatus. zagrab. list 84.*

*Tkalčić Monum. episc. Zagr. I. 202. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 308.—9. — Knauz Mon. eccl. Strig 124.—125. — Kukuljević Reg. no. 1293.*

## 306.

**1280, 30. oktobra. U Ozlju.**

*Ban Nikola sklapa ugovor mira s Babonićima.*

Nos magister Jhoannes(!) comes de Vrbaz et de Zana, Nycholaus(!) banus tocius Sclauonie et Petrus miseracione diuina episcopus Vesprimiensis omnibus quibus expedit tenore presencium volumus esse notum, quod, cum regnum Sclauonie propter longa guerrarum discrimina quasi ad inreparabilis exina[n]icionis materiam ac infime paupertatis inediam deuenisset, dominus noster L[adizlaus] dei gracia illustris Vngarie rex, sui et suorum baronum circumspecta deliberacione consilii decreuit, ut nos licet tante reparacionis modicos ad huius dissolucionis materiam transmitteret reparandam, et ea que in partibus Sclauonie nostris actibus congrua uiderentur sue dignaretur autoritatis munimine roborare. Nos igitur adtendentes(!), quod per guerras et grauium guerrarum simultates adhuc ipsum regnum Sclauonie maioris dissolucionis periculis grauaretur, cum uiris nobilibus Stephano bano, Raduzlao comite, Nycholao Stephano filiis Baboneg fratribus suis, Jhoanne(!) et Duymo comitibus de Vegla et de Modrus, nec non comite Ga[r,]di[n]o in talem pacis uenimus vnionem, quod nos tactis sacrosanctis euangeliis promisimus et promittimus bona fide, quod eos omni prosequemur amicicia et nostre dileccionis participes esse volumus et fauoris et perpetue inter nos firmitatis ligamine obligati, eos in suis iuribus permittimus illebatos permanere. Promittentes nichilominus, ut dampna et iniurie que in regno Sclauonie per eos et per eorum familiam sedicioso tempore sunt illate, penitus transeant inpunite, nec predicti grauaminum et dampnorum illatores alicuius iudicis grauamine agrauentur, nisi ueterem resuscitantes querelam, nouas in regno Sclauonie depredaciones facerent uel facere conarentur; in quo casu extitit concordatum, ut secundum scita capituli Zagrabiensis domini eorundem grauaminum illatorum de pla[n]o satisfacere teneantur, alioquin ipsos de sua familia et societate excludant, si de eisdem satisfacere non ualerent. Promittimus eciam bona fide, quod St[ephanum] banum, R[aduzlaum] comitem et filios Baboneg fratres ipsorum ac comitem G[ardinum] in suis possessionibus et comitatibus secundum relacionem ipsorum ex donacione regia aquisitis, scilicet in Podgoria in Gerce, Dresnik, Gay cum Cladosa, Nouo castro nec non in utroque Pzet et in villa Petrina tempore nostro inconcussos seruabimus et illesos, ita tamen, quod consueta iura banalia ex integro in

predictis comitatibus persoluantur, nisi banus ea ex liberalitate propria duxerit relaxanda. Si uero St[ephanum] banum, R[aduzlaum] comitem filios Babonyg, J[ohannem] et D[uymum] comites, aut G[ardinum] comitem in suis iuribus hereditariis uel in comitatibus suprascriptis per dominum nostrum regem contingeret molestari, nos erga dominum nostrum regem diligentem curam cum omni fidei puritate adhibebimus, ne ipsi in suis possessionibus aut comitatibus supradictis agrauentur. Subiungimus etiam, quod uillam Chehi, quam comes G[ardinus] ex donacione regia se asserit possedisse, et comitatum Hraschina eum permittimus tempore nostro sine aliquo discrimine possidere. Adicimus eciam, quod, si predictus comes R[aduzlaus] seruauerit omnes articulos, qui in suis et fratris seu litteris continentur, uel nos non seruaremus, que promisimus secundum scita capituli Zagrabiensis, tunc in festo purificacionis beate virginis obses ipsorum restituetur et reddetur; si uero ipse comes R[aduzlaus] non seruaret, nostris manibus assignabitur sine fraude. Et ut hec omnia premissa inuiolabiliter perseuerent, in lucem volumus venire clariorem, quod nos sub pena periurii obseruamus (!) omnia premissa et singula premissorum; ita tamen, quod si predicti nobiles viri iura et condiciones inuiolabiliter obseruabunt, quas in suis litteris propriis suorum appensione sigillorum roboratis et litteris capituli Zagrabiensis confirmatis et nichilominus iuramentis propriis solidatis, irreuocabiliter ac inuiolabiliter obseruabunt. Vt autem huius nostre reformacionis ordinacio perpetuo valeat esse inconcussa, presentes sigillorum nostrorum munimine duximus roborandas. Datum sub castro Ozul, tercio die apostolorum Simonis et Jude, anno domini M⁰ CC⁰ octuagesimo.

*Iz originalnog prijepisa kaptola zagrebačkog od g. 1280. 17. novembra u kr. ug državnom arkivu u Budimpešti M. O. D. L. no 38.479 (bivši arkiv frankop. u Porpettu no. 7.)*

*Thallóczy-Barabas Cod. Blag. 40—42 br. 18 — Starine XXV. 319. (donosi regest). — Kukuljević Reg. no. 1294. (nepotpuno i krivo)*

## 307.

**1280, 5. novembra. U Ostrogonu.**

*Filip biskup firmanski i legat papinski potvrdjuje biskupiji zagrebačkoj grad Garić, koji grad poklonio mu kralj Ladislav.*

Venerabili in Christo patri (Thimotheo) dei gracia episcopo Zagrabiensi, Philippus miseracione diuina Firmanus episcopus, apostolice sedis

Nouerit vestra paternitas, quod discretus vir magister Jacobus prepositus ecclesie nostre et doctor decretorum et domini pape capellanus in festiuitate omnium sanctorum proximo preterita de Vereuche et de Lipoa villicos et viginti quatuor seniores, maiores et iuratos utriusque uille pro eo, quod trina ammonicione legitima premissa decimas venerabili patri domino Thymoteo Zagrabiensi episcopo et ecclesie sue debitas soluere non curarunt nec satisfacere de subtractis, sicut in uestre paternitatis literis continetur, vestrarum fretus auctoritate literarum,' post euangelium decantatum, tam in nostra quam plurimorum nobilium presencia, qui illo die ad diuinum officium et ad predicacionem audiendam conuenerant, publice excommunicatos denunciauit nominatim, et suam sentenciam in scriptis fecit legi et recitari ac vulgariter populo interpretari, et totam terram domine regine senioris ad comitatum de Vereuche pertinentem ecclesiastico subiecit interdicto, et in conclusione sui anathematis fecit campanas pulsari et candelas extingui et predictas excommunicacionum et interdicti sentencias per vicearchidiaconos suos, tam n supradictis uillis, scilicet de Vereuche et de Lipoa, quam eciam in toto comitatu de Vereuche fecit solempniter publicari, denunciari ac districcius obseruari. Et quia publici notarii siue tabelliones in partibus istis non existunt, ad fidem astruendam uestre paternitati de suo processu nostras litteras super hoc testimoniales requisiuit instanter. Et nos ad eius peticionem et instanciam presentes litteras pro sui processus testimonio uestre paternitati transmisimus nostro sigillo authentico consignatas Datum et actum in choro ecclesie Chasmensis, sequenti die post octauas omnium sanctorum proximo preteritas. Anno domini MCC octuagesimo.

*Liber privileg. eppatus. Zagrab. list. 68.*
*Tkalčić Mon. episc. Zagr. I. 204, — Ex collec. Hevenes. XII L. D. 321.—2. — Fejér Cod. dipl. Hung V vol. 3. pag. 33. 55. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 312. donosi regest.*

## 310.

**1280, 11. novembra. U Slankamenu.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski daje županu Sevridu za nanešenu mu štetu dio brata mu Nikole u imanjima Ibran i Kuzmatovac u vukovskoj županiji.*

Nos Ladizlaus dei gracia rex Hungarie memorie commendantes significamus vniuersis quibus expedit presencium per tenorem, quod

cum nos procederemus contra Comanos de regno nostro recedentes et inferius Danubium descendissemus, comes Seueridus filius Marcelli coram nobis constitutus nobis conquerendo significare curauit, quod, cum Nicolaus frater suus quosdam tauarnicos nostros Gallum videlicet et Demetrium de Ketel spoliasset, ipse pro nocumento dicti fratris sui sine culpa in equis bonis, bobus, vaccis et rebus aliis minutis, mobilibus et immobilibus dampnum ducentarum marcarum habuisset. Et cum postmodum super eo nobis constitisset certa fides, nosque restauracionem dictarum rerum indixissemus ipsi Nicolao, prout iusticia exigebat, certis ad hoc terminis deputatis; quia demum ipse Nicolaus dictam summam pecunie eidem comiti Seuerido refundere non potuit, uel forsitan non curauit solucionis terminos omittendo, nos ex officii nostri debito ipsi comiti Seuerido in sua iusticia deesse nolentes, porcionem terre prefati Nicolay ipsum in terris Ibran et Kusmeteluke uocatis contingentem, in recompensacionem premissorum dampnorum eidem comiti Seuerido et suis heredibus, dedimus et contulimus perpetuo pacifice possidendas. Datum in Zolunkemen, in festo sancti Martini, anno domini MCCLXXX°.

*Iz originalne potvrde kralja Ladislava od god. 1286. u arkivu grofa Draškovića u Trakošćanu fasc. 12. no. 5.*

*Fejér Cod. dipl. V. 3. 32. — Cod. dipl. patrius VI. 317—318. no. 230. — Kukuljević Reg. no. 1297.*

## 311.

**1280, 17. novembra. U Zagrebu.**

*Kaptol zagrebački prepisuje listinu bana slavonskoga Nikole (od 1280. 30. oktobra) o miru s Babonićima.*

Nos capitulum ecclesie Zagrabiensis significamus vniuersis quibus expedit memorie commendantes, quod accedentes ad nostram presenciam Nycholaus banus tocius Sclauonie pro se et fratribus suis, et nuncii Stephani bani et Raduzlay comitis, petiuerunt a nobis, ut litteras ipsorum super composicione pacis inter ipsos confectas transscribi(!) faceremus et sigillo nostro consignari. Quarum tenor talis est:

*(Slijedi listina Ivana vrbaškoga župana itd. od 1280. 30. oktobra.)*

Nos igitur peticionibus ipsorum annuentes iustis et honestis, presentes litteras ad evidenciam plenarie transscribi fecimus et transsumi, ac inpressione sigilli nostri roboramus. Datum die dominico proximo ante octauas beati Martini confessoris, anno domini M° CC° octuagesimo.

*Original pisan po širini vrlo zbijeno, u kr. ug. drž. arkivu u Budimpešti M. O D. L 38.479. (bivši arkiv Frankop. u Porpettu no. 7) — Na listini nalazi se još uzica od pergamena; pečata na njoj nema više. Na hrptu savremena bilješka, drugom crnijom tintom. super composicione Stephani bani fratris Juachini in filios Stepan Stephanum et Radizlaum banos.*

*Thallóczy-Barabas Cod. Blag. 42. no. 19. — Kukuljević Reg. no 1294 (spominje se kao identična s listinom, koju sadržaje).*

## 312.

**1280, 9. decembra. U Čazmi.**

*Pred kaptolom čazmanskim zamjenjuju se zemlje.*

Nos capitulum Chasmensis ecclesie tenore presencium significamus vniuersis, quod Georgio filio Zlobsa tam pro se quam pro Nycolao fratre suo a parte una, ab altera autem Ladizlao filio Pousa comite de Riuch[e] seruiente Nycolay bani filii H[er]rici bani vice et nomine eiusdem domini sui coram nobis personaliter constitutis, idem Georgius tale se concambium super terris cum eodem Nycolao bano fecisse et habuisse retulit ac publice est confessus videlicet: quod omnes terras ipsum et predictum Nycolaum fratrem suum in comitatu de Riuche contingentes, tam hereditarias quam acquisitas, nec non terras seu possessiones comitis Sauli filii Endree fratris sui ad ipsum et fratrem suum prefatum eedem comite Saulo sine filiorum solacio decedente iuxta regni consuetudinem approbatam deuolutas in predicto comitatu existentes, cum omnibus utilitatibus earundem et insula seu indagine eiusdem comitis Sauli in districtu de Crisio inter aquas Blyzna et Velika uocatas existenti, tam suo nomine quam predicti fratris sui vice et nomine eidem Nycolao bano suisque per eum heredibus iure perpetuo possidendam statuit et assignauit. Pro quarum terrarum seu possessionum et indaginis premisse concambio idem dominus banus, sicut in litteris eiusdem contineri uidimus et predicto comite Ladizlao constitit referente, quandam terram suam apud sanctum Benedictum Ploncha vocatam, cum omnibus utilitatibus suis ipsis Georgio et Nycolao eorumque per eos heredibus irreuocabiliter et iure perpetuo possidendam contulit et assignauit; addendo insuper et soluendo eisdem, quia possessiones ipsorum pocioris valoris, quantitatis et vtilitutis fore constabat, quadraginta marcas, quas idem Georgius ab ipso domino bano plene recepisse et habere est confessus. Ceterum homo noster, qui ad instanciam parcium per nos

destinatus prefato concambio pro testimonio intererat, nobis retulit ad nos reuersus, quod ipsum concambium predictus Nycolaus frater ipsius Georgii uiua voce confessus est ipso presente processisse de suo beneplacito et consensu. Dicimus etiam, quod dictus Georgius pro parte sua et fratris sui prescripti vniuersas litteras, priuilegia et instrumenta, si que super facto terrarum seu possessionum dicti comitis Sauli emanassent, auctoritate presencium uiribus reliquit carituras, quandocumque in lucem proferrentur. Vt igitur huiusmodi concambii series robur firmitatis obtineat nec processu temporis ualeat retractari seu in irritum reuocari, presentes concessimus sigilli nostri patrocinio communitas. Datum secunda feria proxima post festum beati Nicolay, anno domini MCC° octuagesimo.

*Original u kr. ug. drž. arkivu u Budimpešti: M. O. D. L. no. 35.837 (bivša zbirka Kukuljevićeva).*

*Na listini visi o svilenoj vrvci modre i žute boje okrugli izlizani pečat.*
*Kukuljević Reg. no. 1299.*

## 313.

**1280, 24. decembra. U Messani.**

*Berceraymus Umbertus Prouincialis i Georgije Supanus obvezuje se platiti dužnu svotu Marinu de Garlizo Zadraninu.*

In nomine domini amen. Anno dominice incarnationis eiusdem millesimo ducentesimo octogesimo, vicessimo quarto die mensis decembris, none indicionis. Regnante domino nostro rege Karolo dei gratia excellentissimo rege Jerusalem, Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue principe, Achaye, Andegauie, Prouincie, Folkalconis et Comodorii comite, regnorum suorum Jerusalem anno quarto, Sicilie uero anno sexto decimo feliciter amen. Coram nobis Jacobo de Bufalo iudice Messane, Gregorio de Garofalo regio puplico ciuitatis eiusdem notario, et subscriptis testibus ad hec specialiter uocatis et rogatis. Berceraymus Umbertus Prouincialis et Georgius Supanus filius quondam Leonis Supani, consentientes in nos predictos iudicem et notarium tanquam in eorum iudicem et notarium, cum ex certa consciencia eorum scirent nos suos non esse iudicem et notarium, confessi sunt se ex gracia et precibus presencialiter recepisse mutuo et integre habuisse a Marino de Garlizo de Jara (!) libras de venecianis grossis argenteis quatuor bonas legales et iusti ponderis, renunciando excepcioni pecunie non recepte seu non

habite et non numerate, quas libras de venecianis grossis argenteis quatuor predictis prefatı Berceraymus Umbertus et Ge[orgıus Supanus] . . . . . [debı]tores conuenerunt et promiserunt eidem Marino de Garlizo creditori quılibet eorum in solidum per stipulacionem sollemp[nem] reddere, restituere, soluere et assignare eidem uel certo nuncıo suo aut habenti ius et causam ab eo hinc usque per totum mensem marcıi primo futurum huius presentıs nonc indicıonis, bonas legales iusti ponderis et sıne aliqua diminucıone, alioquin penam dupli dıcte pecunie soluere dicto credıtori legitıme stipulanti promiserunt et reficere sibi ac resarcire omne dampnum, expensas et interesse propterea facta et faciendа in curia et extra curiam rato pacto manente, renunciando expressim beneficio de duobus reis et diuidende actionis. Et proinde ad sic obseruandum obligauerunt eidem creditorı pignori omnia bona eorum habita generaliter et habenda ubicumque melius apparencia pacto habıto inter eos, quod dicta pena commissa liceat ipsi Marıno creditori uel habenti ius et causam ab eo auctoritate propria et sine magistratus decreto cum patrocinio et auctoritate presentis puplici(!) scripti intrare in dicta bona eorundem debıtorum et capere et uendere, que maluerit, et exinde satisfacere sibi ıntegre de sorte predicti debitı, pene, interesse et expensıs admissis et iure lıceat celebrare uendicıonem ipsam ad satisfactionem dicte pecunie, non obstante ipsorum absencia uel contradicente necessaria uel probabilı et renunciauerunt beneficio fori, quod in quolıbet foro electo a dicto creditore debeant conuenıri, renuncıauerunt eciam omnıbus iuribus et legum allegacıonum et excepcionum ac consuetudinum auxılıis ıuris et facti, quibus contra presens instrumentum uenire possint. Et iurauerunt dicto Marino ad sancta deı euangelia lıbro coram nobis corporaliter tacto, omnia et sıngula supradicta rata et firma habere, adimplere et in nullo contrauenıre. Vnde ad futuram memoriam et predıcti Marini creditoris cautelam factum est exınde presens puplıcum ınstrumentum per manus meı predicti notarii Gregorii nostris suscrıpcıonibus communitum. Actum Messane, anno, die, mense, indıcıone premissıs.

*(Drugi rukopisi).*

† Ego Jacobus de Bufalo iudex Messane.
† Ego Symon Conuto testor.
† Ego Bonjohannes de Joffo testis sum.
† Ego Pachi Simcha testor.

*(Signum notarii).*

Ego Gregorius de Garofalo regius puplicus Messane notarius rogatus scripsi.

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru. Odio samostana sv. Nikole br. 65. — Ponešto oštećen.*

## 314.

**1280, 30. decembra.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski potvrdjuje Mihalju sinu Andrije de Wruzy darovanje zemlje Feketev, koje mu je učinio Moys meštar kraljičinih dvoranika (1280. 29. augusta).*

[L]adizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in eo, qui regibus dat salutem. Quod auctoritate regia sanccitur, fundamento innititur perpetue firmitatis. Proinde ad vniuersorum tam presencium quam futurorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod Mycael filius Andree de Wruzy ad nostram accedens presenciam exhibuit nobis litteras magistri Moys bone memorie, sub pendenti sigillo super collacione terre Feketeu uocate per eundem sibi facte confectas, petens a nobis cum instancia, ut easdem ratas habere et nostro dignaremur priuilegio confirmare, quarum quidem litterarum tenor talis est: *(Slijedi listina Moysa od god. 1280. 29. augusta, kojom ovaj daruje rečenom Mihajlu zemlju Feketheu zvanu).* Nos itaque easdem litteras magistri Moys consensu regio ratificantes et assensu, de uerbo ad uerbum presentibus inseri faciendo, auctoritate presencium duximus confirmandas sigilli nostri duplicis munimine roborando. Datum per manus discreti uiri magistri Bartholomey aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno domini M⁰CC⁰ octuagesimo, regni autem nostri anno nono, tercio kalendas januarii.

*Original u kr. ugar. državnom arkivu u Budimpešti: M. O. D. L. no. 35.160. Stara signatura Actor. monasterii Garigh: fasc. 1. no. 5. — Na listini visi crvena svilena vrvca s neznatnim ulomkom pečata.*

*Kukuljević Reg. no. 1292. (spomen.)*

## 315.

**1280.**

*Kaptol požeški čini obhodnju posjeda Ibrahinova.*

A B C

Capitulum ecclesie de Posaga omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris salutem in domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod Ybrahun filius Ahae, Apa filius Ezbeusy, Mutimer filius Negani, Gurdosa filius Zlaumeni de Churkunyk, iobagiones castri, ad nostram personaliter accendentes(!) presenciam a nobis diligenter postularunt, quod vnum ex nobis transmitteremus, coram quo terra ipsorum de Churkunyk, quam dudum perditam et amissam per humanitatem, laborem et expensam Ybrahyni recuperarunt, conuocatis cognatis et vycinis certis metis distingerent, et porcionem eiusdem Ybrahuni separarent. Nos igitur iustas peticiones eorum attendentes vnum ex nobis misimus fidedignum, qui quidem ad nos reuersus dixit, quod predicti Apa, Mutymer(!), Gurdosa et alii cognati eorundem conuocatis omnibus commetaneis eorundem et vycinis, terram Ybrahyni propter hoc, quia idem Ybrahun in recuperanda possessione ipsorum maiorem laborem et expensam adibuit(!) et inpendit, metis et terminis infrascriptis distingendo et separando, eidem Ybrahyno et suis heredibus, heredumque suorum successoribus ex communi voluntate et consensu tocius generacionis ipsorum dedissent, statuissent et assignassent, sicut ipsum competebat et congruebat perpetuo possidendam. Cuius terre prima meta incipit iuxta fluuium Churkunyk tendens versus occidentem per quandam vallem, et in capite ipsius vallis est arbor gymulchyn, et subtus est meta terrea, inde tendit per montem iuxta terram Batus comitis, et peruenit ad arborem piri, inde descendit versus aquilonem, et transit quoddam pothok ad arborem piri, sub qua est meta terrea, inde tendit per terras arabiles, in quibus est arbor gymulchyn, et sub ipsa est meta terrea, et ibidem prope cadit in caput cuiusdam fontis, inde reflectitur versus occidentem ad arborem gurtyan, et subtus est meta terrea, et ibi separatur a terra comitis Batus, et commetatur terre filiorum Negan, Mutymeri videlicet et Andree, et Jacobi filii Neraad, tendens versus septemtrionem per berch in magno spacio, et transita quadam via per ipsam peruenit ad monticulum et de ipso monticulo descendit ad metam terream, inde ad magnam vallem, in qua currit Seryzeunyk pothoka, transitoque ipso pothok peruenit ad latus

cuiusdam lapidis, separatur a terra filiorum Negan et commetatur terre Apa, Stephani et Leustahii tendens ad montem maximum, et super quandam vyneam(!) est arbor horazth et sub ea est meta terrea, inde descendit ad quoddam pothok(!), et transito ipso pothok ascendit ad montem Oztryhyg vocati, et in fine ipsius montis supra siluam est meta terrea, inde descendit ad vallem, et transita ipsa valle ascendit ad viam que vocatur Banuta, transitaque ipsa via in fine cuiusdam montis est meta terrea, deinde cadit ad fluuium Prezelolch, et per ipsum pothok vadit ad Zelemen et ibi est arbor has cruce signata, ibique separatur a terra Apa et Stephani supradictorum et commetatur terre magistri Benedicti filii Iwanche, ab inde descendit et cadit ad fluvium Churkunyk iuxta metam eiusdem magistri Benedicti, per quam descendit vsque dum fluvius Prezeukouch cadit in Churkunyk, et per ipsum Prezeukolch (!) venit in modico ad viam et per ipsam viam cadit in stagnum Truglo vocatum, inde per fluvium superius Truglo cadit in fluvium Churkunyk supradictum, et per ipsum Churkunyk descendendo in bono spacio venit ad metam antedictam, ibique terminatur. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes supradicto Ybrahyno concessimus sigilli nostri munimine roborando. Datum anno domini millesimo CC⁰ octagesimo.

*Original u arkivu knezova Eszterházy. Na listini visi pečat o svilenoj vrvci zelene i ljubičaste boje.*

*Wenzel Cod. dipl. Arpad. XII. 314—316. — Kukuljević Reg. no. 1308.*

## 316.

**1280.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski daje dozvolu, da se rodjaci Vrkun ban i župan Dionisije od plemena Tomaj izmjenično nasljede, u svojim imanjima u Srijemu, ako jedan ostane bez nasljednika.*

— — — magister Stephanus filius Dyonisii . . . . . . . quoddam priuilegium serenissimi principis Ladislai condam illustris regis Vngarie felicis recordacionis, anno domini MCC⁰ octoagesimo confectum nobis presentarat, cuius tenor nos informabat, quod Vrkun banus filius Ipoliti de genere Thomoy in presencia dicti domini Ladislai regis personaliter comparendo, ex beneplacito et consensu eiusdem domini Ladislai regis mediatatem omnium possessionum suorum et Dyonisii fratris sui sine herede decedentis, videlicet Pacheg, Jaksynch, Swsy, Vesnich,

Petrich, Solch, Katha et Tuuch vocatarum, cum pertinenciis et vniuersis attinenciis earundam hereditariarum, acquisitarum et quouis iuris titulo possessarum et optentarum in comitatu Syrmiensi existencium, propter vnionem et mutue consanguineitatis dileccionem Dyonisio comiti filio Dyonisii quondam palatini de eadem generacione reliquisse, tradidisse et donasse perpetuo possidendam. Tali condicione interposita, quod si eundem Vrkun banum sine heredum solacio primo mori contingeret, predictam medietatem possessionum dictum Vrkun banum contingentem idem Dyonisius comes simul cum alia medietate sibi devoluta possideret; si vero heredes haberet, tunc in ius et proprietatem heredum ipsius Vrkun bani porcio eiusdem deuoluatur; si vero prefatus comes Dyonisius primo sine herede decederet, medietas dictarum possessionum ipsum Dyonisium contingens predicto Vrkun bano remaneret possidenda, si autem heredes haberet, ipsa dimidietas prefatarum possessionum eundem contingens heredibus eiusdem remaneret; si uero iidem Vrkun et Dyonisius comes heredum carentes solacio decederent, prefatas possessiones Nicolaus frater sepedicti comitis Dyonisii et sui heredes, heredumque suorum successores possiderent, prout id per partes concorditer extitisset ordinatum — — —

*Iz naloga kralj. suca Pavla od g. 1332. 15. januara bosanskom kaptolu, prepisana po ovom takodjer g. 1332. Izvor potonjeg prijepisa kaptolskog s odlomkom pritisnuta okrugla pečata u arkivu obitelji Banfi u Kološvaru. Za Cod. patr. prepisao Szabó.*

*Cod. dipl. patrius VI. no. 265.*

## 317.

**1280. U Zagrebu.**

*Ivan Okićki sin Jaroslavov poklanja Cistercitima kod sv. Marije neku zemlju u Samoboru.*

Nos Iuan comes, filius Irizlai, comes de Ocluch significamus quibus expedit universis presencium per tenorem memorie commendantes, quod nos quandam terram nostram prope Zamobor sitam et existentem, ecclesiam sancte Elene circumdantem, metis subscriptis distinctam, dedimus et contulimus ecclesie sancte Marie virginis abbati seu fratribus cisterciensis ordinis in eadem ecclesia deo iugiter et devote famulantibus pro salute anime nostre, ad honorem dei et virginis gloriose, et per eosdem fratres suorum successoribus iure perpetuo pacifice possidendam et habendam, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis ipsius terre universis,

ecclesie beate Marie videlicet, que est sita in terra nostra Brezoicha nuncupata. Cuius quidem terre mete tali ordine distinguuntur. prima meta incipit a meridie in arbore ghimulchin, circa quam est meta terrea, et tendit sub montem Strazniwerh per metas terreas, et pervenit ad arborem pruni circa quam est meta terrea, ab hinc iiens minime cadit in unam viam, que procedit in montem Strazniwerh supradictum, per quam viam tendit et pervenit ad locum ubi iuxta eandem viam est meta terrea circa arborem pomi circumfusa, hinc in eadem via minime procedendo pervenit ad arborem pomi, circa quam est meta terrea, et per eandem viam tendit versus septemtrionem, ab hinc procedendo circuit duas valles et pervenit ad indaginem, et iuxta eandem procedit usquequo pervenit ad Teluk porte indaginis, inde vergit se ad levam manum versus septemtrionem et girat eundem Teluk per metas terreas ordine suo distinctas et exit extra et descendit usque ad antiquam piscinam, que pertinet ad ecclesiam sancte Elene supradictam, et in fine dicte piscine intrat iterum in indaginem ad metam terream, et inde procedit iuxta indagines, et pervenit ad unum angulum indaginis et ibi est meta terrea, inde vero tendit versus meridiem per metas terreas et venit ad locum Mlak vocatum, ad arborem egur et ibi est meta terrea inde procedit per metas terreas et pervenit ad metam antedictam, et sic terminantur. In cuius rei memoriam et certitudinem, ut huiusmodi dacio seu nostra donacio robur perpetue firmitatis obtineat, nec per quempiam processu temporis possit retractari, presentes concessimus litteras munimine sigilli nostri roboratas. Datum et actum Zagrabie. Anno domini MCC octuagesimo.

*Iz prijepisa kaptola zagrebačkoga od god. 1321. i 1557. — U arkivu kaptola zagrebačkog.*

*Tkalčić Mon. episc. Zagrab. I. 206. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 321—2. — Kukuljević Reg. no. 1306.*

## 318.

**1280. U Zagrebu.**

*Ivan Okički sin Jaroslava poklanja Cistercitima na otoku sv. Jakoba kod Zagreba neku zemlju u Brezovici i trsje u Čučerju, želeći, da se čim prije podigne nova opatija u Brezovici.*

Nos Iwan comes, filius Irizlay, significamus universis quibus expedit presencium per tenorem, quod nos pro salutari remedio anime nostre

dedimus, contulimus seu donavimus ad honorem dei et virginis gloriose quandam partem terre nostre hereditarie Brezoicha vocate, metis infrascriptis distinctam, cum quadam vinea nostra in Chucheri sitam et existentem, abbati et conventui ecclesie sancti Jacobi de insula prope Zagrabiam, cisterciensis ordinis, et per eos suis successoribus iugiter in eadem ecclesia deo famulantibus, iure perpetuo et irrevocabiliter pacifice et quiete possidendam et habendam, ut eciam abbacia sub nomine nostro in ipsa terra nostra Brezoicha ordinetur, edificetur seu eciam construetur. Cuius quidem terre mete hoc ordine distinguuntur: incipit prima meta a via retro capellam iuxta rivulum nomine Mochirad, inde ascendit superius iuxta eundem rivulum versus meridiem, inde vergit recte ad siccam arborem kercus, ibi est meta terrea, inde vadit ad alium rivulum nomine Damerie, inde descendit inferius iuxta eundem rivulum usque ad magnam viam, inde per magnam viam vadit versus occidentem iuxta quam viam sunt tres mete terree, in tercia vero meta terrea vergit ad septemtrionalem plagam et descendit ad fontem unum Bukoui vocatum, et inde rursus tendit versus septemtrionem per silvam Starch nomine, per viam antiquam et venit ad campum, inde vergit versus occidentem iuxta nemus et de nemore vadit ad locum nomine Thopolgran ubique est meta terrea, inde vadit recte ad arborem kercus, iuxta quam est meta terrea, inde vadit versus orientem, venit recte ad alium kercum ibique est meta terrea, inde recte tendit ad locum nomine Rakitgran ibique est meta terrea, et inde venit ad arborem nomine brezth, et de eadem arbore brezth tendit recte per silvam et venit sub quoddam monticulo ibique est meta terrea, inde tendit aliquantulum versus orientem iuxta eandem silvam, venit iterum ad rivulum Damerie supradictum, et inde ascendit parumper versus meridiem, venit iterum ad magnam viam, et per magnam viam vadit iterum ad metam pristinam, sic tamen pro[1] terra que est a parte sinistra pertinet ad nos, terra vero a parte dextra pertinet ad ecclesiam supradictam cum medietate cuiusdam curie nostre, que est in indagine similiter a parte sinistra, pertinet ad ecclesiam sepedictam In cuius rei memoriam et certitudinem, ut huiusmodi dacio seu nostra donacio robur perpetue firmitatis obtineat, nec per quempiam possit processu temporis retractari, presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum et actum Zagrabie. Anno ab incarnacione domini MCC octuagesimo.

*Iz prijepisa kaptola zagrebačkog od god. 1321. i 1557. u arkivu kaptola zagrebačkog.*

*Tkalčić Monum. episcop. Zagr. I. 205. — Wenzel Cod. dipl Arp. cont. XII. no. 320. — Kukuljević Reg. no. 1305.*

[1] Za cijelo: quod.

## 319.

**1280.**

*Kaptol požeški ustanovljuje medju izmedju posjeda sinova Rolanda bana i sinova Zoboje.*

Capitulum ecclesie beati Petri de Pasaga omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris salutem in domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod Rocoldus filius Rolandi bani ab vna parte, et Ladizlaus, Arnoldus, Gula ac Blasius filii Zoboo ab altera coram nobis personaliter sunt constituti, et idem Rocoldus confessus est viua voce, quandam particulam terre sue empticie Pechne vocate, que Jelsewek dicitur, supradictis Ladizlao, Arnoldo, Gyule(!) ac Blasio pro triginta marcis denariorum plene receptis vendidisse perpetuo possidendam, ita [tamen], quod si frater suus, uel quicunque de cognatis suis et aliis ipsam particulam terre de supradictis filiis Zoboo processu temporum impeteret, idem Rocoldus tenebitur expedire. Prima meta ipsius terre, sicut iidem retulerunt, incipit a parte septemtrionali iuxta quoddam kalista, que est iuxta viam in monte Mocheych, tendens ad meridiem, et descendit inferius ad Jelsewech potoka, et per ipsum potok descendendo exit ad arborem piri, inde vadit per silvas ad arborem fyz, inde per quandam planiciem peruenit ad arborem harasth que est iuxta quoddam fuk, quod dicitur gradinin, quod eciam currit de fluuio Morchuna, inde ad fluuium Zaua iuxta terminos filiorum Benedicti, et per ipsam aquam Zaua tendit superius ad occidentem, et exit iterum ad aquilonem, et semper uenit in silua in quantitate et spacio terre exterius continentis et peruenit ad fluuium Murzuna, transitoque ipso fluuio Murzuna uadit directe uersus eandem plagam, et exit in quandam vallem, in qua est Gramachnyk potoka, et per ipsum potok peruenit ad caput eiusdem; inde descendit ad berch et cadit in quandam viam, et per ipsam viam peruenit ad kalista supradictum, ibique terminatur. In cuius rey memoriam firmitatemque perpetuam presentes sepedictis filiis Zoboo concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno gracie millesimo CC° LXXX°.

*Original u narodnom muzeju u Budimpešti, pečat otpao.*

*Kubinyi Cod. dipl. Arp. I. 116. — Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont IX. 285.—286. — Kukuljević Reg. no. 1308.*

## 320.

**1280.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski na posredovanje papinskoga legata zapovijeda progoniti heretike.*

Ladislaus dei gratia Hungarie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in omnium salvatore. Ad universorum tam presentium quam futurorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod nos ad imitationem sanctorum progenitorum nostrorum cupientes sanctam fidem catholicam in regno nostro, miserante deo, per ipsorum progenitorum nostrorum ministerium propagatam atque firmatam, evulsis atque destructis inde erroribus et eliminatis atque exterminatis hereticis, cuiuscunque erroris vel secte, qui ecclesiam et fidem catholicam demoliri damnabiliter moliuntur, et specialiter de ducatu nostro ac dioecesi Bosnensi et quibusdam adiacentibus terris sub nostra iurisdictione ac dominio constitutis, in quibus diverse heretice pravitatis secte, peccatis exigentibus, in contumeliam creatoris et fidei Christiane opprobrium nostrorum et regni nostri scandalum et infamiam manifestam iam dudum miserabiliter pullullasse et damnabiliter excrevisse noscuntur, per regalis nostre auctoritatis et potestatis officium ac ministerium dilatari; omnia statuta, constitutiones, leges et iura atque decreta contra hereticos atque hereticam pravitatem, quibuscunque nominibus censeantur, per sanctam sedem apostolicam edita, accepta et quomodolibet approbata, ad requisitionem et commonitionem reverendi patris domini Philippi dei gratia Firmani episcopi apostolice sedis legati, devote recipimus, acceptamus ac etiam approbamus, presenti pagina statuentes, quod huiusmodi statuta, constitutiones et leges, iura atque decreta in regno atque omnibus terris nobis subiectis, tam per nos, nostrosque successores, quam per duces, comites, barones, nobiles, iudices, officiales ac populos universos regni nostri et terre nostre iurisdictioni subiecte, perpetuis temporibus inviolabiliter observentur, decernentes statutorum, constitutionum, legum, iurium ac decretorum huiusmodi transgressores seu violatores penis canonicis atque legitimis in eisdem statutis, constitutionibus, legibus, iuribus ac decretis contentis, subesse ac subiacere debere, ipsasque penas et alia que in eiusmodi statutis et legibus continentur nec non et sententias, quas auctoritate eorum ferri contigerit per nos nostrosque successores ac regni nostri iudices et officiales et alios quoscunque in regno nostro iurisdictionem habentes, exe-

cutioni debitae irrefragabiliter mandari debere Si qui autem huius statuti nostri transgressores extiterint, indignationem nostram merito se noverint incurisse et regiam sentient ultionem. Datum per manus discreti viri magistri Bartholomei, aule nostre vicecancellarii. Anno domini MCCLXXX, indictione octava, regni autem nostri anno octavo

*Raynaldi ad. a. 1280. no. 9. - Fejér Cod. dipl. Hung. V. 3. 356. — Kukuljević Reg. no. 1303.*

## 321.

1280.

*Pred požeškim kaptolom prodaje Herele Obradov dio svog posjeda u Predišincu Provši i Prvoslavu.*

Capitulum ecclesie sancti Petri de Posaga omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris salutem in domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod Herele filius Obrad ab vna parte, nec non Prousa et Poruozlau filii Zuoysa pro se et pro Bogda fratre ipsorum minori ex altera coram nobis personaliter constituti; et idem Herele confessus est viua voce quandam particulam terre sue hereditarie sitam in Predysynchyn, contiguam terre predictorum filiorum Zuoysa, ipsis Prousa et Poruozlao pro quinque pensis denariorum vendidisse perpetuo possidendam, astantibus et concedentibus Symone[1], Tuchen et Myrozlao filiis Omchyd, pro quibus Symon frater ipsorum comparauit, et Petro filio Cupse, item Nemouche pro Budak patre ipsorum, item Odula et Martino pro se et pro Philippo fratre ipsorum. Cuius prima meta incipit iuxta terram predictorum cognatorum suorum ab oriente penes Wodozkak potoka tendens ad quandam semitam et ibi est meta terrea, et per ipsam semitam peruenit ad magnam viam qua itur ad castrum, inde transita ipsa magna via est meta terrea, inde venit ad quoddam mege, et ibi est meta terrea in fine ipsius mege, inde reflectitur ad orientem iuxta terram Symonis sepedicti et venit ad arborem piri et ibi cadit in supradictum potok, et per eundem tendit superius et peruenit ad metam antedictam. Item iidem Symon et alii superius nominati dixerunt, quod quoddam nouellum Laz vocatum, pro quinquaginta denariis eisdem Prousa et Porvozlao vendidissent perpetuo possidendum, quod idem Laz situm est iuxta vineam supradicti Poruozlai, et circuit ipsum quedam via vsque terram eorun-

[1] Slijedi prekriženo »Tuten«.

dem. In cuius rey memoriam firmitatemque perpetuam presentes litteras ad instanciam predictorum concessimus eisdem Prousa et Poruozlao sigilli nostri munimine roborando. Datum anno gracie millesimo CCLXXX.

*Iz originalnog prijepisa kaptola požeškog od god. 1380. 21. juna u kr. ugar. državnom arkivu u Budimpešti M. O. D. L. no. 34.295 — Stara signatura N. R. A. fasc. 1597. no. 10.*

## 322.

**1281, 3. marta. U Zadru.**

*Drago de Pestriça prodaje Marku Sporaši svoj vinograd u Cerodolu.*

In Christi nomine. Anno incarnationis eiusdem millesimo ducentesimo octagesimo, indictione nona, die tercio intrante mense marcii, Jadre. Temporibus equidem domini Johannis Danduli incliti ducis Venecie, et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Johannis Cornari egregii comitis. Manifestum facio per hoc presens scriptum ego quidem Dragus de Pestriça habitator Jadre, quomodo cum voluntate et assensu Volcosce vxoris mee, do, dono, vendo atque transacto tibi namque Marco Sporascio Jadratino vnam meam vineam positam ad Çerodolum iuxta viam publicam versus boream, et iuxta vineam condam Priuoslaui uersus austrum, et de trauersa iuxta vineam Blançe pellipare, et de quirina iuxta vineam vxoris condam Marangoni siue Marini Marangoni, cum plena virtute et potestate a modo in antea cum tuis heredibus et successoribus ipsam vineam intromittendi, habendi, tenendi, gaudendi, possidendi, vendendi, donandi, pro anima et corpore indicandi, omnemque aliam tuam voluntatem et vtilitatem ex ea libere faciendi, nemine tibi uel tuis heredibus in perpetuum contradicente uel molestante, cum omnibus suis certis terminis, pertinenciis, confinibus et habenciis ipsi vinee tam subter terram quam supra terram in integrum pertinentibus uel que pertinere sibi possunt. Precio cuius vendicionis ego prenominatus Dragus plene habui et recepi a te suprascripto Marco Sporascio libras denariorum venetorum paruorum quinquaginta sex et soldos tres. Vnde cum meis heredibus et successoribus, quia dictam pecuniam mihi dedisti et integre persoluisti, teneor et promitto ipsam vineam excalumpniare et defensare tibi tuisque heredibus et successoribus excalumpniare et defensare(!) in racione ab omni homine et persona super me et omnia bona mea presencia et futura. Actum est hoc

coram hiis rogatis testibus scilicet: Marco Tampagno et Phylıppo filio condam Grisogoni de Mauro, Jadrensibus et aliis.

*(Drugi rukopis).*

† Ego Micha Maranusis examinator manum misi.

Ego Henricus imperiali auctoritate notarius et Jadrensis ıuratus hiis interfui et rogatus scripsi et roboraui.

*(Signum not.)*

*Orıgınal u gubern. arkıvu u Zadru (odio samostana sv. Nikole no. 63.)*

## 323.

**1281, 29. marta. U Spljetu.**

*Radoš kožar ostavlja kaptolu spljetskom zemljište i ulja za rasvjetu velikog križa u stolnoj crkvi.*

In nomine dei eterni amen. Anno natiuitatis eiusdem mıllesımo ducentesimo octoagesimo primo, indicione nona, die tercio exeunte marcio, regnante domino nostro Ladaslao(!) serenissimo rege Vngarie, temporibus domini Johannis venerabilıs Spalatensis archiepiscopi, domini Mladeni comitis Stepconi incliti comitis, domini Vite Cerni Merge de Jadera egregie potestatis, Gausinne Dusciçce, Leonis Kaçette, Ioseb Petri iudicum. Radosius pellipanus sanus tam mente quam corpore uolens hunc caducum mundum relınquere et viam salutis aripere, tale sibi condidit testamentum, saluis tamen omnibus in alio suo testamento manu Francisci notarii confecto legatis, et non obstante testamento predicto. Voluit et mandauit, quod statım post suum recessum capitulum ecclesie beati Domnii haberet terram ipsıus de Çunano prope terram Medule et iuxta terram Dragi Stephani ita, quod de ipsius fructu annuatim sibi exequias faciant, ut est consuetum. Aliam uero suam terram de Ballo reliquid(!) ita perpetuıs temporibus permanere sub manu et potestate suorum commissarıorum, de cuius fructu dicti commissarii dare debeant viginti sextarıas de oleo pro accendenda cruce magna ferea in ecclesia beati Domnii ın nocte epiphanie in quoli[bet] anno, de residuo quod restauerit de ipsis viginti sextariis fieri facerent libros necessarios et vtıles in predicta ecclesia beati Domnii in obsequıo et laude ipsius preciosi martiris et pro anime sue et suorum parentum remedio animarum, semper eius prenominato alio testamento in suo robore perdurante. Super quibus omnibus exequendis constituit ac ordinauit suos commıssarios· dominum archidiaconem(!) et sacristam quicumque pro tem-

pore fuerit in ecclesia beati Domnii, ut ipsi bona fide et in suarum remedio animarum omnia congrue iuste et fideliter exequi debeant et ad effectum ducere peroptatum. Actum est hoc et firmatum in camera mei domni Luce notarii in presencia et testimonio domni Mathei diaconi, Nicole Leonardi, Valentini, Blasii pelliparii, Stephane(!) Priliepce pelliparii et plurium alliorum.

*(Drugi rukopis).*

Et ego Nicolaus Johannis Andri conscius examinaui.

Ego vero domnus Lucas canonicus et iuratus notarius Spalatensis hiis interfui et vtriusque partis uoluntate rogatus, ut audiui, scripsi et roboraui.

*(Signum not.)*

*Original u arkivu kaptola u Spljetu a. 1281. (XVI. 1. 27.)*

*Nepotpuno izdao Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. IX. 328—329, po kopiji u tajnom bečkom arkivu. — Kukuljević Reg. no. 1311.*

## 324.

**1281, 12. aprila. U Zagrebu.**

*Timotej biskup zagrebački izopćuje meštra Ivana župana sanskoga, Nikolu bana i župana Hinka, sinove bana Hinka i njihove pristaše poradi nasilja učinjenih na posjedima crkve zagrebačke i radi neplaćanja dužne desetine.*

Venerabilibus in Christo patribus, dominis L[odomerio] dei gracia archiepiscopo Strigoniensis ecclesie, D[ionisio] Jauriensi, P[etro] Transiluano et A[ndree] Agriensi, T[home] Waciensi episcopis, et magistris A . . . . . preposito Albensi, ac uiris reuerendis et religiosis fratribus P . . . . priori prouinciali ordinis fratrum predicatorum per Vngariam et Sclauoniam, A . . . . ministro ordinis fratrum minorum per Vngariam et Sclauoniam, et A . . . . priori heremitarum ordinis sancti Augustini ac aliis uniuersis ecclesiarum prelatis, Thymotheus miseracione divina episcopus Zagrabiensis mutuam in domino caritatem Nouerit uestra paternitas, quod quinta feria proxima ante dominicam oculi mei post nostrum recessum de curia venerabilis patris domini Philippi dei gracia episcopi Firmani et apostolice sedis legati, ad quandam possessionem episcopatus nostri Wasca uocatam uenissemus, propter depredaciones Nicolai bani tocius Sclauonie et comitis Henrici, filiorum Henrici bani, ac eorum complicum et sequacium uiolentos descensus, de-

strucciones et depredaciones manifestas, sic inuenimus eandem desolatam et destructam, quod non solum res uel bona illic residencium fuerunt ablata, verum eciam uix pauci homines propter destrucciones huiusmodi remanserunt in eadem; vbi eciam quinque mulieres expulse de suis domibus per eosdem algore frigoris spiritum exalarunt. Pecudes eciam, scilicet oues et capras, quas pellere propter inpedimenta niuium non potuerunt, scorticauerunt et scorticari fecerunt propter pelles. Et cum postremo uenissemus ad alias nostras possessiones per continuos et uiolentos descensus magistri Johannis comitis de Zana, Vrbaz, Guarig et Guechke, Nicolai bani et comitis Henrici prefatorum, inuenimus ipsas fere totaliter desolatas et destructas et bonis omnibus, que reperiri potuerunt per eosdem spoliatas, contra libertatem ecclesiasticam et specialia priuilegia ab illustribus regibus Vngarie data et concessa et usque nunc inuiolabiliter obseruata, contra que nullus baronum uel banorum aliquid attemptare presumpserit, in tantum, quod iam uix tenuis sustentacio haberi potest in eisdem. Iidem eciam magister Johannes et Nicolaus banus comitatum de Guerzence, quem nobis excellentissimus dominus noster Ladizlaus dei gracia rex Vngarie contulit, detinent in nostrum et ecclesie nostre preiudicium et grauamen, nec eciam ad mandatum eiusdem domini regis pluries destinatum, ac per literas dicti domini legati requisiti et moniti restituere et reddere minime curauerunt. Item iidem filii Henrici bani Johannes scilicet, Nicolaus banus et comes Henricus, decimas nostras in terris ipsorum et ad eorum iurisdiccionem spectantibus collegerunt, et per suos satellites colligi fecerunt in iniuriam dei et ecclesie sue sancte. Insuper prefatus Nicolaus banus fecerat quosdam officiales et uasallos ecclesie nostre meliores et maiores iam pridem captiuari, quos per quemdam predonem regni nomine Vritz, et publicum latronem in tantum fecerat tormentari, ut ea, que habuerunt usque ad extremam exinanicionem extorserunt ab eisdem. Vnde cum huiusmodi mala, uastus, spolia et destrucciones tam episcopatus quam capituli nostri iusticia exigente et urgente consciencia oculis conniuentibus non possimus uel debemus pertransire, licet pluries per nos et nostrum vicarium, qui tunc temporis gerebat nostras uices requisiti, amoniti extiterint et inducti, eosdem magistrum Johannem, Nicolaum banum et comitem Henricum ac ipsorum sequaces in festo annunciacionis beate virginis proximo preterito, in Wereuce apud ecclesiam fratrum minorum, que in honore beate virginis Marie est constructa, publice excommunicauimus in scriptis et denunciauimus excommunicatos, pulsatis campanis, candelis accensis et extinctis, et ab omnibus arc[t]ius euitandos, totam terram ipsorum ecclesiastico supponimus interdicto, donec de premissis excessibus et commissis dampnis et iniuriis illatis

deo, ecclesie et nobis ac fratribus nostris, capitulo videlicet Zagrabiensi, satisfaciant. Quare uestre supplicamus paternitati diligenter requirendo et deuote, quatenus prefatos magistrum Johannem, Nicolaum banum et comitem Henricum ac eorum complices vestra paternitas tamquam excommunicatos uelit euitare et ab omnibus arc[t]ius faciat euitari. Datum Zagrabie, in sancto sabbato. Anno domini MCCLXXXI.

*Liber priv. eppiscopatus Zagrab. List. 35.*

*Opširni regest ima Kercselich Hist. eccl. Zagrab. 92. — Fejér Cod. dipl. Hung. V. 3. 105. — Knauz Monumenta eccl. Strig. I. 143. 5. i 146. — Tkalčić Monum. episc. Zagrab. I. 207.—208. — Wenzel Cod. dipl. Arpad. XII. 336.—338. — Kukuljević Reg. no. 1314.*

## 325.

**1281, 15. aprila.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski potvrdjuje posjed Osuvak Pavlu Pakračkomu.*

Ladizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Galicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentes literas inspecturis salutem in omnium salvatore. Quod regia [sublimitate sanccitur] robur habere debet perpetue firmitatis, presertim, ne ea que geruntur in tempore, processu temporum valeant quomodolibet retractari, aut in irritum revocari. Proinde ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod comes Paulus filius comitis Benedicti, dilectus et fidelis noster, ad nostram accedens presenciam nobis significare curavit humiliter supplicando, quod quedam possessio ipsorum [hereditaria], Ozenag vocata, olim ab ipsis non exigentibus culpis eorum, ablata fuisset et subiuncta iuri comitatus de Barana, petens a nobis cum instancia, ut ipsam possessionem eandem de regia magnificencia sibi reddere et restituere dignaremur. Nos itaque, utpote cuius ex officio suscepti regiminis unicuique in sua iusticia non deesse, consideratis eciam nihilominus obsequiis meritis et fidelitatibus gratuitis ipsius comitis Pauli idem ....... regni nostri coram ..... maiestatis oculis pro fidelitate corone regie impendenda studuit multipliciter complacere, et maxime in eo cum per [nonullos infideles] barones regni nostri capti et in quoddam castrum [incarcerati] fueramus, personam suam cum laudabili multitudine suorum armatorum pro eo, quod nos liberare valeat de captivitate infidelium eorumdem, exponere non formidans, pre-

notatam possessionem Ozenag a iure seu iurisdiccione comitatus de Barana exceptam de cetero penitus et exemtam, svadente equitate et ex certa sciencia fuisse hereditariam possessionem eorumdem evidencius annoscentes, habito consilio omnium baronum nostrorum, ipsi comiti Paulo et per eum suis heredibus, heredumque suorum in posterum successoribus perpetuo irrevocabilitur pacifice duximus restituendam, ac nove donacionis titulo pro fidelitatibus et fidelibus serviciis ipsius de gracia speciali conferendam, volentes, quod omnia instrumenta seu litere qualescumque, quibus mediantibus ipsa possessio Ozenag per quospiam habita fuisset hactenus et detenta, auctoritate presencium revocentur et ubicumque in lucem fuerint presentata, viribus careant, casse sint penitus et inanes habeantur. Ut igitur huiusmodi possessionis restitucio seu nove collacionis nostre confirmacio robur optineat perpetue firmitatis, nec per quospiam ullo unquam tempore retractari valeat aut qualitercumque revocari, presentes eidem comiti Paulo concessimus literas duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti viri magistri Achonis aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno domini M° CC° octuagesimo primo, septimo decimo kalendas maii, regni autem nostri anno nono.

*Original nešto oštećen. Na crveno-zelenoj svilenoj vrvci visio je pečat Codex patrius VIII., 211—2.*

## 326.

**1281, 24. aprila.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski vraća posjed Osuvak banu Petru Pakračkomu.*

Ladizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentes literas inspecturis salutem in omnium salvatore. Ne livoris iatus aut oblivionis caligo successiva excellencie regie donaciones offuscare nubilo in memorie valeat, digne ea inscribuntur, que de regibus conferuntur. Proinde ad universorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod Petrus banus filius comitis Benedicti dilectus et fidelis noster, ad nostram accedendo presenciam nobis significare curavit, quod quedam possessio Ozyag uocata, que olym progenitorum suorum fuerat, ab ipsis non exigentibus culpis suis, sed potencialiter alienata et iurisdicioni comitatus de Barana dedita fuisset et subiecta;

petens a nobis cum instancia, ut ipsam possessionem Ozyag ex munificencia regia sibi reddere et restituere dignaremur. Nos itaque cuius . . . . [u]nicuique in suo iure non deesse, et specialiter hys, quorum experta probitas insignit et extollit, consideratis serviciis ipsius Petri bani, que nobis in diuersis et omnibus expedicionibus regni nostri, videlicet intestenis(!) et extrinsecis, corone regie incommutabiliter adherendo impendit, et specialiter in expugnacione castri Zumbothel, quod rupta pace treugarum et vinculo federis dissoluto per regem Boemorum inimicum nostrum occupatum fuerat, ubi letalia sustulit vulnera, fideliter exhibitorum; consideratis eciam hys, que in compescendis Croatis et hominibus transdravanis, qui se de iurisdicione nostra uolebant alienare, ipsos potencie nostre reducendo et restituendo, exercuit et impendit. Tam igitur ob recompensationem seruiciorum ipsius Petri bani prescriptorum et aliorum quam plurimorum, que propter sui multitudinem longum esset enarrare, et eciam racione illa, ne in possessionibus olim per progenitores suos possessis et postmodum comiti Paulo bone memorie fratri suo per nos traditis extraneum doleat possessorem, dictam possessionem Ozyag ipsi Petro bano reddidimus, restituimus, dedimus, donavimus et contulimus iure perpetuo et irrevocabiliter possidendam, cassatis omnibus literis et privilegiis cuiquam super collacione dicte possessionis Ozyag preter ipsum Petrum banum datis et concessis, et ubicunque et per quemcunque exhibite fuerint, viribus careant et inanes habeantur. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem presentes concessimus literas duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti viri magistri Achonis aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri. Anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo primo, octavo kalendas maii, regni autem nostri anno nono.

*Original nešto oštećen, smrvljen kraljevski pečat visi na crvenozelenoj svilenoj vrvci. Alm. V. lad. I. no. 18. u Körmendu.*

*Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 329—331. — Kukuljević Reg. no. 1313.*

## 327.

**1281, 29. aprila. U Ostrogonu.**

*Lodomerij nadbiskup ostrogonski odobrava listinu o ekskomunikaciji izrečenoj od Timoteja biskupa zagrebačkoga.*

Lodomerius dei gracia Strigoniensis archiepiscopus, eiusdem loci comes perpetuus, et capitulum ecclesie sue Strigoniensis uniuersis Christi

fidelibus presentes literas inspecturis salutem in auctore salutis Vniuersitati vestre tenore presencium cupimus esse notum, quod discretus uir magister Paulus canonicus Zagrabiensis, ex parte venerabilis patris domini Thymothei episcopi Zagrabiensis ad nostram presenciam accedens, nobis exhibuit literas eiusdem domini episcopi de uerbo ad uerbum formam huiusmodi continentes: *(Slijedi listina biskupa zagrebačkog Timoteja od 1281. 12. aprila).* Nos uero predictis literis prefati domini episcopi finem, ut debuimus, credulam adhibentes, ac eius predictam excommunicacionis sentenciam approbantes, vniuersitatem vestram requirimus et monemus, quatenus dictos filios Henrici bani et ipsorum complices et sequaces cum ad uos accesserint, tamquam excommunicatos et anatematizatos uelitis arc[t]ius euitare, donec ipsi domino episcopo et ecclesie sue prestita satisfaccione dampnorum et iniuriarum huiusmodi secundum formam ecclesie fuerint legittime(!) absoluti. Datum Strigonii, eodem anno[1] tercio die quindenarum dominice resurreccionis.

*Liber privil. eppatus Zagr 35. — Kercselich Hist. eccl. Zagrab. 92. Opširan regest. — Fejér Cod. dipl. Hung. V. 3. 105. Po Kercselichu. — Wenzel Cod. dipl. Arpad. XII 336.—358. — Knauz Monum. eppatus. Strigon. I. 143—5. i 146. — Tkalčić Mon. episcop. Zagr I 206.—208. — Kukuljević Reg. no. 1314.*

## 328.

**1281, 6. maja. U Dubrovniku.**

*Razdioba imetka.*

In Christi nomine. Anno incarnationis ducentesimo octuagesimo primo, indictione nona, die sexto intrante mense madii, Ragusii, coram nobis subscriptis testibus. Nos quidem Nichola et Dimitrius filii condam Vite de Vidosclauo confitemur, quod de toto mobili fecimus diuisionem inter nos et in[ter] . . . qui . . cum nobis habet partem suam de dicto mobili. Vnde sumus quietati et . . . . . . . or. Et omnia debita nostra hactenus facta cum cartis et sine cartis debeant eidem domino Nichole, et unus alteri super predictis non possit aliquam questionem vel calumpniam facere in perpetuum. Et de hoc sunt due carte similes. Hec autem carta nullo testimonio rumpi possit. Hii sunt testes: Grubessia de Ragusium iuratus iudex.

*(Signum notarii).*

[1] Scilicet 1281.

Ego Thomasinus de Sauere sacri palacii et comunis Ragusii iuratus notarius interfui testis et scripsi et roboraui.

*Original u arkivu samostana dominikanskoga u Dubrovniku nešto oštećen.*

## 329.

**1281, 1. jula. U Kotoru.**

*Punomoć za kotorske poslanike, koji idu tražiti poklad Dešin u Dubrovniku.*

Salutifere incarnationis domini anno millesimo ducentesimo octogesimo primo, mense iulii primo die intrante. Nos comune Catari consentimus Johanni de Pribi, Nicolao Dabronis, Johanni Gymanoi, Johanni Gille, Marco Basilii et Medossio Thome Dragonis, quos dominus noster rex Stephanus misit Ragusium ad recipiendum depositum, quod reposuit iuppanus Dese et mater eius. Unde nos dictum comune facimus nostros supradictos concives nostros syndicos et procuratores ad recipiendum dictum depositum per iuppanum Dese et matrem suam in Ragusio positum, et facimus cartam per manum nostri iurati notarii scriptam ad conservandum comune Ragusii et homines eius indempnes a iuppano Desse, matre eius et omni humana persona super nos et omnia nostra bona. Et quicquid nostri supradicti syndici et procuratores fecerint in hoc facto, promittimus et obligamus semper habere ratum et firmum. Actum est hoc in presencia testium, videlicet. Petri de Calixto iurati iudicis, Bartholomei Dobrossii et Marci Guzolane. Inter quos et ego presbiter Triphon Petri comunis iuratus notarius Catarensis manu propria complevi et roboravi utraque parte presente. Hec autem carta nullo testimonio rumpi possit. Hii sunt testes: Vitagna de Cerna, Vitale Binçole, Grubessa de Ragnana, iurati iudices, et ego Thomasinus de Savere sacri palacii et comunis Ragusii iuratus notarius interfui et rogatus duas cartas similes et eiusdem tenoris scripsi et roboravi.

*(Signum notarii).*

*Original u dubrovačkom arkivu. Zbirka Saec. XIII.*

## 330.

**1281, 3. jula.**

*Kotorski izaslanici primaju u Dubrovniku poklad župana Deše.*

In Christi nomine. Anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo primo, indictione nona, die tertio intrante mense iulii, Ragusii in minori concilio congregato, ut moris est, coram nobili viro domino Nicholao Mauroceno comite honorabili Ragusii. Subscripti testes, nos quidem Johannes de Pribi, Nicholaus Dabronis, Johannes Gymanoi, Johannes Gille, Marcus Basilii et Medossius Thome Dragonis cives Catari, syndici et procuratores comunis et hominum Catari ad hoc specialiter consignati notariali et publico instrumento confecto manu presbiteri Triphonis Petri iurati notarii communis(!) Catari ibidem lecto confitemur, quod pro nobis et nomine et vice comunis et hominum Catari recepimus a prenominato domino comite et comuni Ragusii res infrascriptas depositas olim in Ragusio per condam iuppanum Dessam filium condam domini regis Ladisclavi et dominam Belloselavam matrem ipsius iuppani Dese. Unde nos dicti syndici et procuratores comunis et hominum Catari pro nobis et nomine et vice dicti comunis et hominum Catari, obligantes nos et comune et homines Catari et omnia bona nostra et comunis et hominum Catari, promittimus et obligamus prenominato domino comiti et comuni et hominibus Ragusii, si aliquo tempore apparuerit aliqua persona, que petat predictas res depositas per dictum iuppanum Dessam et matrem eius predictam, et domino comiti Ragusii, qui pro tempore fuerit et comuni Ragusii videbitur, quod illa persona, que petierit dictas res, habeat in ipsis ius et ad ipsam pertineant, comune et homines Catari sine aliqua questione teneantur omnes dictas res de deposito predicto restituere et assignare in manibus domini comitis, qui pro tempore fuerit in Ragusio et comunis Ragusii infra unum mensem, postquam dicti commune et homines Catari fuerint requisiti. Et si non restituerent dictas res infra dictum terminum prenominati comune et homines Catari, debeant in continenti sine ulla contradictione solvere dicto domino comiti et comuni Ragusii tantum, quantum dicte res extimate fuerint per ipsum dominum comitem, qui per tempora fuerit in Ragusio et comune Ragusii. Et etiam promittimus et obligamus, nos et comune et homines Catari conservare comune et homines Ragusii perpetuo indempnes ab omnibus dampnis et expensis, que possint eis quocunque modo occurrere occasione dicti depositi. Pro quibus omnibus et

singulis suprascriptis attendendis et inviolabiliter observandis, nos dicti syndici et procuratores comunis et hominum Catari obligamus nos et comune et homines Catari et omnia bona nostra et comunis et hominum Catari et omnium singularium personarum de Cataro, mobilia et immobilia presencia et futura. Iste autem sunt res de dicto deposito, primo una capsella, in qua erant res infrascripte, videlicet · ycona una, in qua erat Christus sicut dormivit, ycona una cum cruce et cum ligno domini, drapus unus de seta, in quo erat Christus cum discipulis operatus ad aurum, pecie due de drapo de seta operate ad aurum longe palmo uno. Duo cherubini de argento, qui dicuntur ripidi in lingua sclavonica. Pecie de xamito operato ad aurum pro cooperiendo calice. Planeta una parva pro diacono de zendatto nigro. Liber unus evangeliorum, qui habet in una tabula Christum in cruce de argento, et in alia tabula crucem de argento. Pecia una de xamito per quadrum de palmo uno et dimidio cum smaldis et perlis. Item liber alius evangeliorum cum tabulis operatis argento et cum petris duplicibus et cum smaldis. Drapus unus pro cooperienda altari de xamito cum una cruce intus. Item drapus unus pro cooperienda altari cum lista circumcirca de auro filato. Item in una peciola de drapo lineo ligate aliquot peciole de argento et de cristallo. Item una secunda capsella, in qua erant res iste: silicet(!) liber unus evangeliorum, qui habet in una tabula resurrectionem Christi operatam argento, et in alia tabulla(!) Christum in cruce operatum argento. Item liber alius evangeliorum cum tabulis operatis corio nigro et cum aliquantulo de argento per angulos et de medio. Item cooperte due pro calice de drapo ad aurum, in qua erat lignum domini, et cum reliquiis et perlis. Incenserium unum de ramo deauratum. Duo saculi de reliquiis, qui portantur ad gulam. Carta una, in qua est scripta(!) officium misse. Ycona una, in qua est sanctus Theodorus cum modico argento et libri quatuor. Item in una tercia capsella, in qua erant ycona una cum tribus sanctis et cum argento. Ycona una cum sancto Georgio et cum argento et cum perlis circa caput. Ycona una cum sancta Maria et cum argento et cum petris. Ycona una parva cum sancto Nicholao et cum argento. Ycona una cum Christo et cum argento et cum petris et cum aliquot perlis. Ycona una cum multis sanctis et cum argento et cum perlis. Ycona una parva cum sancto Michaele et cum argento et cum perlis Ycona una parva cum sancto Johanne babtista et cum modico argento. Vrceolus unus de ramo. Ycona una parva cum sancta Maria et cum argento et in perlis. Ycona una vetus cum Christo et cum modico argento. Cooperte quatuor pro calice de drapo ad aurum. Ycona una cum sancto Simeone et cum argento et cum septem petris de cristallo. Item drapus una de seta longum septem cubitis, cum virgis blavis intus.

Ycone due cum sancto Petro et sancto Paulo et cum argento et petris. Pecia una de zendato rubeo, et ycona una de osse cum figura sancte Marie Item una quarta capsa, in qua sunt: caput sancti Gregorii, una cum cruce smaldi in vertice. Item os unum cum zendato circa ipsum bullato. Crux una parva de argento de uno pomo et cum petris Calix unus de nuce Pharaonis cum argento. Cooperta una de argento pro calice facta in modum crucis cum coclearı uno de argento. Manipuli duo de drapo ad aurum. Cooperte due pro calice ad aurum. Pecie due de lista cum crucibus nigris et pecie de zendato blavo, que omnes sunt cubiti viginti tres. Binde due de seta cum capitibus ad aurum. Pantaree(!) due de frisis, una blava et alia rubea. Item capsella una bullata parva. Botaçulum unum parvum de ramo bullatum. Peciola una parva de drapo ad aurum sigillata. Saculus unus parvus bullatus. Groppus unus de cartula bullatus Toralia una parva de seta et vexillum unum de zendato rubeo et blavo. Item una quinta capsella, in qua erant: coopertura una de bumbusino albo pro facienda umbra. Cortine due de drapo lineo operate cum seta. Cintura de corio cum argento, et bocale unum de stagno. Item una sexta capsa, in qua erant: camisie tres magne pro femina. Leones tres de drapo ad aurum, camisie tres parve, pecie tres de camisiis Intrecature due de seta cum auro filato. Toalie tres pro tabubis, conlie tres pro manibus, cintura una de corio cum bucla de argento. Bragerium unum de corio cum bucla de argento. Bragerium unum de seta. Lista una ad aurum longa tribus cubitis. Pantaree due una alba de seta et alia zala ad aurum. Binda una de seta ad aurum. Bursa una parva ad aurum. Pecia una de tignamine, pecia una de stola veteri. Coverçerium unum longum uno cubito de seta ad aurum. Capiçera una de drapo ad aurum modici valoris. Specula tria. Item in uno saculo: pometi tres de auro et perlis et una perla et una frexatura longa cubitis duobus et dimidio. Capsulla una parva cum cartis intus. Item groppeti quatuor sigillati. Carta una magna scripta. Cordelle due de seta. Ycona una vetus cum Christo et cum argento. Ycona una cum sancto Michaele, Ycona una cum sancta Maria. Smaldi tres parvi et bocla una de argento deaurata. Item res infrascripte extra capsellas: videlicet libri viginti duo, paramenta quinque de lana alba, paramentum unum de lana sanguinea et cubiti viginti novem de drapo de lana pro faciendis paramentis, drapus unus magnus de cavenacia inbindata pro facienda umbra, media pellis de foynis, et lavarum unum de foynis. Tenor autem instrumenti syndicatus presentati per dictos syndicos et procuratores comunis Catari talis est: *(Vidi listinu od 1. jula g. 1281 U Kotoru.)*

*Original u dubrovačkom arkivu. Poveća pergamena.*
*Rački Listine u Radu I. 135—139. Po slabom prijepisu.*

## 331.

**1281, 17. augusta. U Zadru.**

*Radoj sin Drašinje prodaje svoju zemlju u Ceredolu Damijanu Dobrinu dozvolom samostana sv. Krševana.*

In nomine domini amen. Anno incarnacionis eius millesimo ducentesimo octuagesimo primo, mensis augusti die quinto decimo exeunte, indicione nona, Jadre. Temporibus equidem domini Johanis Danduli incliti ducis Venecie, et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Johanis Cornari egregii comitis. Ego namque Radoy filius quondam Drascinge(!), qui moror in Crinisa, fateor, quomodo habita licencia et permissione a dompno Johane de Curtiscia abbate dignissimo monasterii sancti Grisogoni de Jadra, vendo, do, trado atque transacto tibi quidem Damiano de Dobre ciui Jadrensi, tuisque heredibus et successoribus totam vnam vineam meam duorum gonayorum minus quarta, positam ad Ceredolum super terra monasterii suprascripti uersus boream iuxta vites Radoslaui Marangoni, uersus trauersam iuxta vites Volcoy Velcigi, uersus austrum iuxta vites Bratosti relicte Bratoy, et uersus quirinam iuxta vites Grisanni Gimbosi; cum omni longitudine et latitudine sua, cum omnibus suis certis terminis, habenciis et pertinenciis tam subtus terram quam supra terram, atque cum omni meo laborerio seu opera, quem et quam ibi circa predictam vineam feci, nec non et cum omnibus iurisdictionibus et racionibus suis et etiam cum omni iure meo a modo cum plena virtute, auctoritate, racione et potestate, totam ac omnimodam voluntatem tuam ex ea pro anima et corpore faciendi nemine tibi in perpetuum contradicente; saluo tamen semper omni iure monasterii suprascripti, silicet(!) septima parte omnium fructuum inde habenda, saluoque etiam omni alio iure eiusdem monasterii supradicti iuxta suorum continenciam instrumentorum. Ob quam vendicionem, dacionem, tradicionem siue transactionem tu suprascriptus Damianus mihi bene et plenarie pro precio in pecunia numerata dedisti et persoluisti libras venetorum paruorum viginti quinque, de quibus iam pacatum me teneo. Vnde ego predictus Radoy cum heredibus et successoribus meis debeo et teneor tibi tuisque heredibus et successoribus prefatam vineam cum omnibus pertinenciis suis ab omni homine ipsam calumpniante defensare et excalumpniare super me et omnia bona mea habita et habenda. Actum est hoc et firmatum presentibus his vocatis et rogatis testibus, videlicet: Madio Bouis et Bença Petri Genasi.

† Ego Volcina de Matafaro examinator manum meam misi.

Ego Vincentius ecclesie sancte Marie maioris clericus et Jadrensis notarius predictis interfui rogatus vt audiui hanc cartam scripsi, roborani et signo solito signaui.

*(Signum not.).*

*Original u gubern. arkivu u Zadru, (odio samostana sv. Kršcvana caps. XVII. masso S. no. 32.)*

## 332.

**1281, 22. septembra.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski potvrdjuje opatiji topuskoj sve darovnice svojih pretšastnika, a naročito pako darovnicu glasecu na zemlju Grasnić kod Save.*

Ladislaus dei gracia Hungarie rex omnibus Christi fidelibus presentes literas inspecturis salutem in omnium salvatore. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod religiosus vir abbas de Toplica sua nobis conquestione demonstravit, quod propter viarum discrimina et propter depredatores ac emulos ecclesie nostre, privilegium regis Andree, attavi nostri, et domini Bele regis, avi nostri, super collacione possessionum ecclesie nostre de Toplica confecta(!) et super possessionis collacione Graznich, iuxta fluvium Zawa existentis, quas eciam privilegio domini Stephani regis inclite recordacionis, karissimi patris nostri retulit confirmatas, ad nos deferre vel transmittere non presumpsisset, petens cum instancia, ut dictam possessionem Graznich sicut rex Andreas et rex Bela avus, ac eciam rex Stephanus karissimus pater noster contulisse dinoscuntur et donasse, eidem ecclesie relinquere et conferre secundum formam privilegiorum regum memoratorum, predecessorum nostrorum, dignaremur Nos itaque cuius est proprium quemlibet in suo iure conservare, sed pocius ecclesias dei amplecti et fovere et in suis iuribus illesas conservare, peticionibus ipsius abbatis de Toplica iustis, modestis, salubribus et honestis assensum favorabilem adhibentes, dicta privilegia attavi, avi et patris nostri quondam illustrium regum Hungarie, super collacione possessionum ecclesie nostre de Toplica confecta et super possessionem Graznich concessa, auctoritate presencium innovamus et presentibus innovando confirmamus. Volentes, ut easdem possessiones ecclesia nostra de Toplica eo modo et ea plenitudine possidere valeat et habere, prout in privilegiis predecessorum nostrorum continetur. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem

presentes concessimus literas duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti viri magistri Achonis, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri. Anno domini MCCXXXI, decimo kalendas octobris regni autem nostri anno decimo.

*Privileg. monaster. B. V. Mariae de Toplica, no. XXVI. Tkalčić Monum. episc. Zagr. I. 208.—209. — Wenzel Cod. dipl. Arpad. XII. 335. donosi regest. — Kukuljević Reg. no. 1317.*

## 333.

**1281, 16. novembra. U Zadru.**

*Dobrača i sin joj Luka prodaju svoj vinograd Mariji kćeri Stjepana de Çeputa i njezinoj kćeri Miri.*

In Christi nomine. Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo octoagesimo primo, indictione decima, die sextodecimo intrante mense novembris, Jadre. Temporibus equidem domini Johannis Danduli incliti ducis Venecie, et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Gabrielis Michaelis egregii comitis. Manifestum facimus per hoc presens instrumentum, nos quidem Dobraça filia condam Dinoscii et eius filius Lucas, quomodo damus, insimul vendimus et donamus atque transactamus vobis namque Marie filie condam Stephani de Çeputa, et eius filie Myre vnam nostram paruam vineam positam in insula Heçii iuxta vineam Laurencii de Çeualellis uersus austrum, et iuxta vineam vestram versus boream, et de trauersa iuxta vineam heredum condam Moscardelli, et de quirina iuxta montem, cum plena virtute et potestate a modo in antea cum vestris heredibus et successoribus ipsam vineam intromittendi, habendi, tenendi, gaudendi, possidendi, vendendi, donandi, pro [anima] et corpore indicandi, omnemque aliam vestram voluntatem et vtilitatem ex ea libere [fa]ciendi, nemine vobis uel vestris heredibus in perpetuam contradicente uel molestante, cum o[mni]bus suis certis terminis, pertinenciis, confinibus et habenciis ipsi vinee tam subter terram quam supra terram in integrum pertinentibus, uel que pertinere sibi possunt Precio cuius vendicionis plene a uobis recepimus et habuimus libras denariorum venetorum paruorum tres, quas nobis dedistis et integre persoluistis. Vnde cum nostris heredibus et successoribus promittimus et tenemur ipsam vineam excalumpniare et defensare vobis, vestrisque heredibus et successoribus in racione ab omni homine et persona super nos et omnia bona nostra

presencia et futura. Actum est hoc coram hiis rogatis testibus, scilicet. Grisogono de Sextogiso, et Platone diacono sancti Michaelis, Jadrensibus, et aliis.

*(Drugi rukopis).*

Ego Thomasius Çauate examinator manum meam misi.

Ego Henricus imperiali auctoritate notarius et Jadrensis iuratus hiis interfui et rogatus scripsi et roboraui.

*(Signum not.)*

*Original u gubernial. arkivu u Zadru (odio samostana sv. Nikole no. 66.)*

## 334.

**1281, 15. decembra.**

*Samostanu sv. Nikoli Viškomu daje se u službu Dragosta.*

In Christi nomine amen. Anno natiuitatis eiusdem millesimo ducentesimo octuagesimo primo, die lunae, 15. intrante mensis decembris, nonae indictionis. Temporibus egregii viri domini Joannis Dandoli dei gratia incliti ducis venetorum, venerabilis patris domini Simonis dei gratia Farensis episcopi, et nobilium virorum dominornm Marci Dulfini Farae et Brachiae potestatis, ac Henrici Zantani eius consiliarii, nec non Joannis et Guidosii Farensium iudicum. Justitiae ratio postulat et requirit, ut laudabile desiderium votivus prosequatur effectus; et quod bona voluntate suscipitur, dignis ordinationibus compleatur. Ideoque ad summam memoriam et rei geste firmitatem hoc presens conficitur instrumentum · qualiter consensu et voluntate totius communitatis Farensis Dracdosta filia quondam Draiectae voluntarie obtulit se servire cum omnibus suis mobilibus et immobilibus toto tempore vitae suae, videlicet cum quadam pectia(!) terre, que est in loco, quae dicitur Piscopatt, monasterio sancti Nicolai de Lissa, quam pectiam terre idem monasterium a presenti die in antea habeat, teneat, possideat in perpetuum, in ea et ex ea quodcumque sibi placuerit faciat etc.

*Farlati Illyr. sacr. IV. 248. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 351. — Kukuljević Reg. no. 1318.*

335.

**1281, 23. decembra i 14. marta 1282, U Cittavecchii.**

*Martin IV. papa imenuje Bonaventuru de Parma nadbiskupom dubrovačkim.*

Martinus episcopus servus servorum dei dilecto filio fratri Bonaventure de Parma electo Ragusino, salutem et apostolicam benedictionem. Militanti ecclesie, disponente domino, licet immeriti presidentes circa curam omnium ecclesiarnm solertia reddimur indefessa solliciti, ut iuxta pastoralis officii debitum crediti nobis dominici gregis custodiam utiliter gerere, divina cooperante clementia, studeamus. Sane vacante dudum ecclesia Ragusina per obitum bone memorie Salvii archiepiscopi Ragusini, canonici eiusdem ecclesie quondam fratrem Marcum de Venetiis ordinis fratrum Minorum in Ragusinum archiepiscopum, ut dicitur, elegerunt, sed eodem fratre Marco, antequam esset eius electio confirmata, nature debitum persolvente, predicti canonici ad tractandum de futuri substitutione pastoris insimul convenerunt, et dubitantes, ne, si ad electionem procederent, et si non possent omnes pariter in unam concordare personam, exinde oriretur inter ipsos dissentionis materia, per quam eis et ipsi ecclesie dispendia imminerent, deliberaverunt communi consensu et unanimi voluntate felicis recordationis Nicolao pape, predecessori nostro, humiles preces porrigere, ut dignaretur eidem ecclesie apostolica auctoritate de pastore ydoneo providere, ac super hoc subsequenter tam ipsi quam dilecti filii nobilis vir . . . . . comes ac consilium et commune Ragusini eidem predecessori suas supplicatorias litteras per certum nuntium destinarunt. Sicque dictus predecessor dictorum canonicorum votis favorabiliter annuens, de dilecto filio fratre Philippo de Mantua ipsius ordinis, inquisitore heretice pravitatis in Marchia Tervisina, de fratrum suorum consilio ecclesie prefate providit, sed dictus frater Philippus provisionem huiusmodi non acceptans, omne ius, si quod sibi ex provisione competebat eadem, libere resignavit, et dictus predecessor huiusmodi resignationem admittens, de dilecto filio fratre Luca de Padua eiusdem ordinis ecclesie memorate de simili consilio iterato providit; quo quidem fratre Luca provisionem de ipso factam minime acceptante, ac omne ius, si quod sibi competebat ex illa, similiter resignante, dictus predecessor provisionem ecclesie memorate illa vice dispositioni apostolice reservavit. Nos autem ecclesie prefate, que diutine vacationis incomoda deploravit, paterno compatientes affectu, ac canonicorum et

fliorum predictorum vota ex preteritis contemplantes, illa prosequendo benignius de ipsius ecclesie ordinatione celeri, ne prolixioris vacationis exposita remaneat incomodis, diligentius cogitantes, ad personam tuam, quam nobis et fratribus nostris de literarum scientia, honestate morum, providentia spiritualium, et circumspectione temporalium fidedignorum testimonia commendarunt, direximus oculos nostre mentis, teque dicti ordinis professorem licet absentem de ipsorum fratrum consilio nostrorum supradicte ecclesie in archiepiscopum preficimus et pastorem, administrationem ipsius ecclesie spiritualiter et temporaliter tibi plenarie committentes, firma spe fiduciaque concepta, quod dirigente domino actos tuos inibi cultus divinus augebitur, et eadem ecclesia per tue circumspectionis industriam in spiritualibus et temporalibus prospere dirigetur, et salubria, dante domino, suscipiet incrementa. Reverenter igitur suscipe iugum domini, et suavi eius oneri humiliter colla flecte, manumque mittens ad fortia, ipsius administrationem ecclesie prudenter exequi studeas, et gregis tibi commissi custodiam prosequi diligenter, solerter, et constanter oppositurus te murum pro domo domini ascendentibus ex adverso, ut laudabili de ipso reddita in die districti examinis ratione, regnum patris eterni ab origine mundi preparatum electis accipias, in dilecta domini tabernacula letabundus introeas, et eumdem tibi commissum gregem ad uberioris meriti retributionis commodum introducas. Datum apud Urbemveterem, X. kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno primo. In e. m. Capitulo ecclesie Ragusine, clero civitatis et diocesis Ragusine, populo civitatis Ragusine et universis suffraganeis ecclesie Ragusine.

Martinus episcopus servus servorum dei venerabili fratri Bonaventure archiepiscopo Ragusino salutem et apostolicam benedictionem. Cum palleum, insigne videlicet pontificalis officii. etc. Nos tuis supplicationibus annuentes, ipsum de corpore beati Petri sumptum tibi per dilectum filium nostrum I. sancte Marie in Cosmedin diaconum cardinalem, prestito a te etc. iuramento, duximus assignandum. Ut igitur signum non discrepet a signato etc. Datum apud Urbemveterum, II. idus martii, pontificatus nostri anno primo.

*Original u dubrovačkom arkivu, pečat otpao. - Bull. rag. 389—391. veli · Pendet bulla plumbea Martini IIII. — Drugo pismo od istoga dana i istoga sadržaja upravljeno na kneza dubrovačkoga s uvodnim riječima · »Divina gracia maiestatis« u originalu u istom arkivu Bull. rag. 33—35.*

*Theiner Mon. Slav. Mer. I. br. 131. str. 97—98. Iz Reg. An. I. ep. 101. fol. 29. — Farlati Illyr. Sacr. VI. 115. — Wadding Annal. Minor. V. 481. — Sbaralea Bullar. Francisc. III. 477. no. 14. — Potthast Reg. pontif. II. no. 21.826 i no. 21.870. — Kukuljević Reg. no 1319.*

## 336.

**1281.**

*Pred kaptolom požeškim prodaje magister Bartol svoj posjed Paku Mirku sinu Atanasovu.*

Capitulum ecclesie sancti Petri de Posoga omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris salutem in domino sempiternam. Ad universorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod magister Bertholo[meus] filius Jacobi per literas suas autenticas et per Natum custodem ecclesie nostre, quia infirmitate prepediente personaliter coram nobis comparere nequierit, nobis fecit manifestum, quod quandam possessionem suam Paca vocatam, Emirico filio Athanas pro septuaginta marcis denariorum, quas, cum in legacione domini regis Romam iverat, se dixit recepisse, insuper et pro meritoriis serviciis eiusdem Emirici dedisset, donasset et locasset perpetuo possidendam; commetanei autem ipsius terre sicut in literis eiusdem magistri Bartholomei vidimus contineri, sunt hii: Thomas comes videlicet et fratres sui filii Petri, Wlkoslau filius Buda, Thomas filius Laurencii, et idem magister Bertholo[meus] in possessionibus Worhoyna et Nevna vocatis. Nos igitur ad peticionem eiusdem magistri Bertholom[e]i, ut iustum erat, inclinati, presentes ad robur perpetue firmitatis ipsi Emirico concessimus literas sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno domini M°CC°LXXX primo.

*Po originalnoj potvrdi kralja Ladislava od god. 1282. koja bijaše u arkivu obitelji Hettyeya u Makkoshely-u, i u arkivu Ivana Gramatha u Kis-Czclu u željeznoj županiji. Pečat visi na svilenoj crvenoj vrvci. Na naleđju malne onodobnim slovima: »De Paka de comitatu Walko«.*

*Cod. dipl. patrius. III. 35. no. 26. VIII. 216—217 no. 171.*

*Kukuljević Reg. no. 1323.*

## 337.

**1281.**

*Pred kaptolom čazmanskim prodaje se komad zemlje u Kamarči.*

In cuius litere [capituli Chasmensis in anno M°CC° octuagesimo primo emanate] tenore inter talia reperiebatur, quod Dionisius Albus de Kamarcha personaliter coram eodem capitulo constitutus, quandam porcionem terre in Kamarcha, ad ipsum ex parte Martini filii Pethk et

Petri filii eiusdem Martini, iuxta formam aliarum literarum eiusdem capituli exinde confectarum devolutam, iuxta terram comitis Jacobi filii Blagonya, que eidem ex parte Martini predicti cessisset, confessus extitisset se vendidisse eidem comiti Jacobo, suisque per eum heredibus, pro duabus marcis et dimidia, sub metis in eisdem expresse contentis iure perpetuo possidendam.

*Iz presude bana Nikole Seča od god 1368., od koje se nalazi original u arkivu grofova Festetića u Keszthelyu.*

*Cod. dipl. patrius. VIII. 217. no. 173.*

## 338.

1281.

*Stjepan Uroš kralj srpski obnavlja mir s Dubrovčanima.*

✝ Пише кралевьство ми кнезȣ дȣбровьчьскомȣ Николѣ Макрижинȣ и сȣдиамѣ и вѣћьникомь и властеломь и всои ѡбщинѣ дȣбровьчьскои Како сте послали кралевьствȣ ми властеле ваше, придоше Зрьзь и Грȣбѣша, како се свршило бѣше врѣме ȣстрою петь годищь, како сте были ȣговорили сь кралевьствомь ми, да ѡдь селѣ и напрѣдь кралевьство ми чини милость властелом дȣбровьчьскимь и ѡбьщинѣ и тръжникомь ихь, да имь є мирь, кои є и прьво имь быль, доклѣ живȣ право сь кралевьством ми. Ако ли що погрѣше земли кралевьства ми, и не исправе ми се, да имь се да вѣдѣние трьми мѣсеци, ꙗко си могȣ тръжьници ихь ѡтити ȣ градь сь всѣмь своимь. А да даю кралевьствȣ ми на годище двѣ тисȣщи перьперь. И семȣзи мирȣ не ȣрече кралевьство ми ȣрока, доклѣ хоће быти, нъ ако ми не сьгрѣше, и до живота моега да си имаю сизи мирь и сизи двѣ тисȣћи да даю на Дмитровь дань.

**С т є ф а н ь  п о  м и л о с т и  б о ж и є и  к р а л ь  с р ь с к и х ь  з є м л ь  и  п о м ѡ р с к и х ь.**

*Na ledjima: Pouclia Vrosii regis pro confirmacioni pacis et libertate mercatorum.*

*Miklosich Mon. Serb. 54—55. no. 57. — Kukuljević Reg. no. 1325.*

## 339.

**1281.**

*Elizabeta kraljica ugarska i hrvatska vraća Junku zemlje Vrbovac i Ebreš, koje im je bila oduzela kraljica Marija.*

Elysabeth dei gracia regina Hungarie omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in domino sempiternam. Quia per decursus temporum nonunquam rerum gestarum veritas obscuratur, et per hoc lites ac iurgia frequenter suscitantur, ideo hoc restringere cupiens pocius quam laxare provida hominum discrecio adinvenit, ut ea que aguntur vel tractantur, litterarum patrocinio roborentur. Proinde universorum presencium, futurorumque noticie harum serie volumus fieri manifestum, quod comes Junk et Johannes filius eiusdem de genere Isaan ad nostram accedentes presenciam exposuerunt humiliter supplicando, quod cum domina Maria, felicis recordacionis avia nostra karissima, quasdam terras eorum hereditarias, Wrbouch et Ebres vocatas, in partibus transdrawanis constitutas, ab eis indebite abstulisset, et usui pastorum porcorum suorum de Lona fecisset applicari, nunc dominus Ladizlaus illustris rex Hungarie, consors noster karissimus, inquisita et cognita veritate pleniori, predictas terras, nomine iuris eorum hereditarii, ipsis cum omnibus utilitatibus earum restitui fecisset pleno iure possidendas, suum exinde privilegium conferendo; petentes a nobis cum instancia, ut restitucionem predictarum terrarum per ipsum dominum nostrum regem factam, ratam, gratam et acceptam habere, ac nostro privilegio ratificare dignaremur. Cum itaque ex officii nostri debito unicuique quod suum est conservare teneamur, nec alicui in suo iure deesse debeamus, predictas terras Wrbouch et Ebres vocatas, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis suis, ipsis comiti Junk et Johanni filio eiusdem ac ipsorum heredibus consequenter, de solita benignitate reliquimus et permisimus eo iure, eaque plenitudine, quibus a domino nostro rege predicto, secundum formam privilegii eiusdem exinde confecti, obtinuisse dinoscuntur. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem, presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis patris Thome dei gracia episcopi Waciensis, aule nostre cancellarii et comitis de Plys fidelis nostri Anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo primo.

*Original u arkivu jugoslavenske akademije u Zagrebu; pečat manjka.*

## 340.

**1281.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski vraća Petru banu i njegovu bratu posjed Gaj.*

Ladizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in omnium saluatore. Regalis excellencie inmensitas ad omnes fideles prospicua eo in se pocius recipit incrementum, quo fidelium merita condignarum remuneracionum presidiis refocillat. Proinde ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod Petrus banus et comes Kemen filii comitis Benedicti fideles nostri ad nostram accedentes presenciam nobis significare curauerunt, quod quidam(!) possessio Gayul uocata, que olim progenitorum suorum fuerat, ab ipsis non exigentibus culpis suis, sed potencialiter indebite fuisset alienata et occupata, petentes a nobis cum instancia, vt ipsam possessionem Gayul eisdem reddere et restituere dignaremur. Verum quia vnicuique in sua iusticia deesse non debemus, fidelibus nostris capitulo Chasmensis ecclesie nostris dederamus litteris in mandatis, ut cum Johanne filio Gugye homine nostro testimonium ipsorum mitterent fidedignum, coram quo idem homo noster predictam possessionem Gayul reambularet presentibus commetaneis et vicinis et restitueret eisdem, si non fieret contradictum, contradictores vero, si qui fierent, ad nostram citaret presenciam ad terminum conpetentem. Qui postmodum nobis rescripserunt, quod conuocatis commetaneis et vicinis, et nemine contradictore apparente, idem homo noster predictam possessionem Gayul eisdem Petro bano et comiti Kemen statuisset. Cursus autem metarum terre seu possessionis sepedicte talis est, sicut in predictis litteris contineri vidimus. Incipit enim prima meta vbi Mogoroch potoka cadit in fluuium Sopluncha, et per eundem Mogoroch tendit supra usque caput, et ascendit ad unam vallem, que vocatur Zuhodol, et ibi cadit ad magnam viam et ascendit in eadem uia per modicum spacium, deinde exit uiam et tendit ad partem orientalem inter siluam et vineas, vbi tangit metas St[ephani] Borch, et tendens circa metas eiusdem St[ephani] per longum spacium peruenit ad arborem vocatum(!) et inde vadit ad magnam viam, vbi tangit metas terre Saul, deinde tendens in eadem via per longum spacium ad partem orientalem peruenit ad arbores, que megieharasta vocantur, deinde exit de megie-

harasta et cadit in caput cuiusdam fluuii, qui vocatur Megyepothoka, et per eundem fluuium descendendo cadit ad fluuium Desinche[1] minorem, et per eundem descendendo cadit ad fluuium Sopluncha, vbi tangit metas terre Petri filii Benedicti Pukur vocate, et descendens per eundem fluuium Sopluncha peruenit ad priorem metam, ibique terminatur Nos itaque, cuius proprium est vnicuique in suo iure deesse non debemus, et specialiter hiis, quorum ex parte probitas insignit et extollit, consideratis seruiciis ipsius Petri bani, que nobis in diuersis expedicionibus regni nostri, bellis videlicet intestinis et extrinsecis corone regie incommutabiliter adherendo inpendit, et specialiter in expugnacione castri Zombothel, quod rupta pace et vinculo federis dissoluto per regem Boemorum inimicum nostrum occupatum fuerat, vbi letalia sustulit vulnera, fideliter exhibitorum, consideratis eciam hiis, que in compescendis Croatys et hominibus transdrauanis, qui se de iurisdiccione nostra volebant alienare, ipsos potencie nostre reducendo et restituendo, exercuit et inpendit; tam igitur ob recompensacionem seruiciorum ipsius Petri bani prescriptorum et aliorum quam plurimorum, que propter sui multitudinem longum esset enarrare, et eciam racione illa, ne in possessionibus olim per progenitores suos possessis, et postmodum comiti Paulo fratri suo per nos traditis, extraneum doleat possessorem; dictam possessionem Gayul ipsi Petro bano et per eum Kemen fratri suo reddidimus, restituimus, dedimus, donauimus et contulimus iure perpetuo et irreuocabiliter possidendam, cassatis omnibus litteris et priuilegiis cuiquam super collacione ipsius possessionis, preter ipsum Petrum banum, datis et concessis, et vbicumque et per quemcunque exhibite fuerint, viribus careant et inanes habeantur. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem presentes concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Anthonii viri discreti aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo primo, regni autem nostri anno nono

*Iz originalne potvrde kralja Sigismunda od g 1420. 8 augusta, što ju moli: »Egregius Ladizlaus filius Nicolai filii Nicolai filii Pauli de Pakur, in sua et ac magnifici Johannis de Maroth alias bani nostri Machoviensis personis«. U kr. ug. drž. arkivu u Budimpešti M. O. D. L. no. 1104. — Stara sign.: N. R. A. fasc. 380. no. 39.*

*Wenzel Cod. dipl. Arpad. IX. 292—294. po istom izvoru. — Kukuljević Reg. no. 1320.*

[1] Desniche (?)

## 341.

**1281. U Želinu.**

*Ivan Okićki sin Jaroslava poklanja podružnoj cistercitskoj crkvi sv. Jelene kraj Samobora polovinu prihoda samoborske vratarine i pijacovine.*

Nos Iwan comes de Oclich, filius Irizlai, significamus omnibus quibus expedit presentium per tenorem, quod nos medietatem tributi nostri in Zamobor, tam de porta, quam de foro, contulimus seu donavimus in remedium anime nostre et progenitorum nostrorum abbati et fratribus de insula sancti Jacobi cisterciensis ordinis, et per eosdem fratres suorum successoribus iure perpetuo pacifice possidendam et habendam, ita, quod ecclesia sancte Elene prope Zamobor per hoc melioretur, et fratres ibidem existentes sui victus inde capiant fulcimentum. In cuius rei memoriam et certitudinem, ut nostra donacio firma sit et stabilis, predicto abbati et fratribus dedimus hanc cartulam sigilli nostri munimine roboratam Datum in Selin, anno incarnacionis dominice MCCLXXX primo.

*Iz prijepisa kaptola zagreb. od god. 1321 i 1557. u arkivu kaptola zagrebačkog.*

*Tkalčić Monumenta episc. Zagr. I 209. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 341.—342. — Kukuljević Reg. no. 1322.*

## 342.

**1282, 10. januara.**

*Bilješka.*

1282 die 10. januarii. Almisi in platea ante ecclesiam sancti Michaelis tempore Joannis Danduli ducis Venetorum, domini Marini Venerii egregii capitanei Almisi.

*Lucius De regno Dalm. et Cr. l. IV. c. 9. 183.*

## 343.

**1282, 13. januara. U Zadru.**

*Petaška sin pokojnog Bratele obvezuje se, da će platiti sedam libri Damijanu de Begna.*

In Christi nomine. Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo octuagesimo primo, indictione decima, die tercio decimo intrante ianuario. Temporibus equidem domini Johannis Danduli incliti ducis Uenecie, et magistri Laurencii uenerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Gabrielis Michaelis egregii comitis. Promittens promitto ego quidem Petasca filius quondam Bratelle dare et soluere tibi namque nobili uiro Damiano Dobri de Begna Jadratino uel tuis heredibus septem libras denariorum uenetorum paruorum hinc ad festum sancti Machaelis(!) de mense septembri hinc in ciuitate Jadrensi sine aliqua excepcione sub pena duplici et omnium expensarum, quas proinde in curia uel extra curiam feceris super me et omnia mea bona presencia et futura, et hoc sepicialiter(!) pro blado ouili habito a te, quod tibi dare remansi. Actum est hoc et firmatum coram hiis uocatis et rogatis testibus, scilicet: Slauosco piscatore et Matheo filio quondam Johannis pellipарii Jadratini.

*(Drugi rukopis).*

Ego Thomasius Çauate examinator manum meam misi.

Ego Vincencius ecclesie sancti Stephani diaconus et Jadrensis notarius predictis interfui rogatus, ut audiui scripsi, roboraui.

*(Signum not.)*

*Original u arkivu jugoslavenske akademije u Zagrebu. Diplomata a. 1281.*

*Kukuljević Reg. no. 1309.*

## 344.

**1282,[1] 7. marta. Kod Cittavechije.**

*Papa Martin IV. daje vlast opatu lokrumskom, da izopći one, koji otimaju dobra nadbiskupu dubrovačkomu.*

Martinus episcopus seruus seruorum dei dilecto filio . . . . . abbati monasterii Lacromoniensis Ragusine diocesis salutem et apostolicam

[1] Papa je izabran 22. febr a posvećen tek marta 23. 1281., zato postavljamo ovu listinu u 1282.

benediccionem. Sua nobis venerabilis frater noster, frater Bonaventura archiepiscopus Ragusinus peticione monstrauit, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorat, decimas, terras, possessiones, census, redditus, domos, legata, piscarias et quedam alia bona ad archiepiscopalem sedem suam Ragusinam spectancia, temere et malicione ocultare ac oculte detinere presumunt, non curantes ea dicto archiepiscopo exhibere in animarum suarum periculum et ipsius archiepiscopi non modicum detrimentum, super quo idem archiepiscopus apostolice sedis remedium implorauit Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus omnes detentores occultos decimarum, possessionum et aliorum predictorum ex parte nostra publice in ecclesiis coram populo per se vel alium moneas, ut infra terminum competentem, quem eis prefixeris, ea dicto archiepiscopo a se debita restituant et reuelent, et de ipsis plenam ac debitam ei satisfaccionem impendant; et si id non impleuerint infra alium terminum competentem, quem eis ad hoc peremptorie duxeris prefigendum, extunc in eos generalem excommunicacionis sentenciam proferas, et eciam ubi et quanto expedire videris, facias usque ad satisfaccionem condignam solempniter publicari. Datum apud urbem veterem, nonis marcii, pontificatus nostri anno primo.

*Original u dubrovačkom arkivu, bulla otpala. — Rukopis »Bullarium Ragusinum« 65—66.*

*Farlati Ill. sacr. VI. 116. — Potthast Reg. pontif. no. 21.863. — Kukuljević Reg. no. 1326*

## 345.

**1282, 25. marta. U Zadru.**

*Braća Dominik i Radiša, sinovi pokojnog Dešinje Zlogodine, dijele između sebe djedovinu.*

In nomine domini amen. Anno incarnationis eius millesimo ducentesimo octuagesimo secundo, mensis martii die septimo exeunte, indictione decima, Jadre. Temporibus equidem domini Johannis Danduli incliti ducis Venecie, et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Gabrielis Michaelis egregii comitis. Nos namque Dyminçius et Radisco fratres, filii quondam Desnige Slogodini habitatores Jadre, confitemur, quomodo diuidimus et ad inuicem inter nos partimur duas vineas nostras, positas ad Montem Fereum, que nobis ex successione quondam Stançii aui nostri peruenerunt, ex quarum vna, que uocatur Doleç, venit mihi suprascripto Dymincio, maior pars quiri-

nalis secundum quod diffinitur seu terminatur per metas siue terminos infra positos, et secundum quod Grebla diuidit cum tota illa terra australi, quam dicta quantitas vinee comprehendit, que mihi euenit in partem meam. Et mihi dicto Radisco venit in partem meam totum ressiduum dicte vinee cum toto ressiduo suprascripte terre australis, que siquidem vinea prenominata iacet uersus boream iuxta viam publicam, uersus trauersam iuxta vineam monasterii sancti Nycolai, et uersus quirinam iuxta vineam Cunne de Lisiça. Et de alia vinea minor ibidem posita venit mihi suprascripto Dyminçio in partem meam vna minor pars borealis cum tota prima maceria veniendo a via publica boreali uersus austrum cum tota terra quirinali et trauersali in tantum, quantum dicta pars vinee cum dicta maceria sua conprehendit. Et mihi dicto Radisco venit in partem meam totum superfluum iam dicte vinee cum toto superfluo dicte terre quirinalis et trauersalis, que enim minor vinea iacet uersus boream et austrum iuxta vias publicas, versus quirinam iuxta vineam et terram heredum quondam Petri Suscelle, et uersus trauersam iuxta vineam Gregorii de Carlaco. Item de una terra ibidem posita versus austrum iuxta viam publicam, uersus trauersam iuxta vineam Theodori, et uersus boream iuxta vineam dicti Gregorii venit mihi dicto Dyminçio vna medietas australis. Et mihi suprascripto Radisco venit alia medietas borealis. Item mihi suprascripto Dyminçio uenit in partem meam totus unus ortus positus in valle iuxta vineam heredum quondam G[risogoni] de Mauro. Verum tamen sciendum est, quod ego suprascriptus Dyminçius addidi et persolui tibi dicto Radisco fratri meo pro melioramento partis mee libras quinque. Vnde liceat vnicuique nostrum de cetero de parte sua predictorum omnium suam omnimodam tam pro anima quam pro corpore facere voluntatem, excalumniantibus nobis ad inuicem seu inter nos alter alteri res seu possessiones predictas. Sicque nos predicti fratres per nos, nostrosque heredes et successores volumus, quod hec diuisionis carta robur perpetue obtineat firmitatis. Actum est hoc et firmatnm presentibus his vocatis et rogatis testibus, videlicet · Micha Plantaueç filio Nosco, et Ghrantis dicto Chreuatinus, filio quondam Duymi.

*(Drugi rukopis).*

Ego Bartolomeus Saladino examinator manum misi.

Ego Vincentius ecclesie sancte Marie maioris clericus et Jadrensis notarius, predictis interfui rogatus, vt audiui hanc cartam scripsi, roboraui et signo solito signaui.

*(Signum not.)*

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru odio samostana sv. Nikole no.* 67.

## 346.

**1282, 1. aprila. U Trogiru.**

*Bera, žena Dragonje, prodaje Srećoju sinu Deše svoju zemlju.*

In nomine domine amen. Anno eiusdem millesimo ducentesimo octuagesimo secundo, indictione decima. Temporibus domini Ladislay serenissimi regis Vngarie, domini Johannis Traguriensis episcopi, nobilis viri domini comitis Georgii de Birberio Traguriensis comitis, et nobilis et sapientis uiri domini Jacobi Rusticii de Ancona, potestatis eiusdem ciuitatis Tragurii, die mercurii primo aprilis. Bera vxor Dragogne filii Se[r]echoe ipso suo uiro presente et uolente iure proprio in perpetuum per se suosque heredes uendidit, dedit et tradidit Serechoe filio Desse Coccote et Jacobo eius fratri, suisque heredibus vndecim veretinorum et nouem passus plus terre, in qua habet vites dictus emptor, posite suptus sanctam Mariam de Spilltano prope Nicolam fratrem dicte venditricis, terram heredis Milettini et terram ecclesie supradicte, et si quo alia sunt latera; cum omnibus et singulis iuribus, circumstanciis et pertinenciis suis, et cum introitu, et exitu suo ad habendum, tenendum, uendendum, possidendum et quicquid sibi suisque heredibus deinceps placuerit perpetuo faciendum; precio viginti nouem librarum venetorum paruorum, quod precium totum dicta uenditris(!) uere confessa et manifesta fuit se a dictis emptoribus recepisse et apud se habere, sibique datum et numeratum esse; renuncians exceptioni non numerate et non accepte pecunie et omni iuris auxilio. Promittens dicta uenditres (!) per se suosque heredes predictis emptoribus pro se suisque heredibus stipulanti de predicta terra uendita litem nec molestiam inferre, et [eam] legitime defendere et discalumpniare contra omnes personas hominum sub obligatione bonorum suorum. Actum Tragurii in curia domus domine Petronelle filie Casiotti(!) presentibus Barti Siluestri et Petrossio Corba filio Dominici testibus, et domino Nicola Casotti examinatore.

*(Drugi rukopis).*

† Ego Nicolaus Kasotti examinator manum meam misi.

Ego Ba . . erti Oradini de Ancona, sacrosancte ecclesie auctoritate notarius et nunc notarius iuratus comunis Tragurii his omnibus interfui, rogatus scripsi et roboraui.

*(Signum not.)*

*Original u biblioteci Paravia u Zadru.*

## 347.

**1282, 31. maja. U Trogiru.**

*Trogirani izabiru sebi biskupa.*

In dei nomine amen. Anno eiusdem 1282., indictione X. Tempore domini Martini pape, et Ladislai serenissimi regis Hungarie, die dominico ultimo madii. Cum ecclesia sancti Laurentii episcopatus Traguriensis proprio pastore vacaret, ideoque ad honorem et reverentiam altisimi dei, gloriose virginis Marie beate, sancti Laurentii, et sancti Johannis congregatis, et vocatis . . canonicis . . . d. . . . vocandi et congregandi ad electionem celebrandam de pastore et episcopo ecclesie sancti Laurentii nominate, uidelicet omnes infrascripti canonici congregauerunt se in prefata ecclesia causa eligendi episcopum et pastorem episcopatus et ecclesie nominate, qui deliberaverunt concorditer electionem huiusmodi per scrutinium fieri debere, quorum canonicorum nomina sunt hec: Gervasius filius Zanci, pelegrini diaconi archidiaconi eiusdem episcopatus, dominus Casioctus filius domini Zaniche primicerius canonicus diaconus, dominus Marcus canonicus sacerdos filius Bod, dominus Michael canonicus presbiter filius Stojse, dominus Dessa sacerdos filius Nadini, dominus Natalis sacerdos filius Musinne, dominus Firminus diaconus filius Vitalis, Laurentius subdiaconus filius Priville, Bogdanus subdiaconus filius Michae, Michael subdiaconus filius Cerni, Kasaricius subdiaconus filius Yurinc; omnes supradicti canonici his peractis eligerunt unanimiter et concorditer universi de ipsorum communi concordia et voluntate, ad perscrutandum voluerunt, et vota singulorum seorsum in quem volunt consentiunt, quod sit, et esse debeat episcopus et pastor episcopatus supradicti, dominum Gervasium archidiaconum, dominum Casioctum primicerium, dominum Marcum, qui tres disquisitos vocavere ad se quemlibet, infrascriptorum seorsum et singillatim, ut suam eis voluntatem exprimeret. Unde accedens dominus Michael canonicus dicte ecclesie eligendo et postulando assensit in fratrem Gregorium filium Ma[r]chii de Tragurio de ordine minorum; dominus Dessa eligit et postulando consensit in eundem fratrem Gregorium, dominus Natalis eligendo et postulando consensit in eundem fratrem Gregorium, dominus Forminus(!) eligit et postulando consensit in eumdem, Laurentius eligit et postulando consensit in eumdem, Bogdanus eligit et postulando consensit in eumdem, Michael eligit et postulando consensit in eumdem, Casaricius eligit et postulando consensit in eumdem, dominus Marcus eligit et postulando consensit in eumdem, dominus Casioctus primicerius

eligit et postulando consensit in eumdem, dominus Gervasius archidiaconus eligit et postulando consensit in eumdem. Presentatis ipsorum voluntatibus, ut supra scriptum est, statim fuit dicta electio et postulatio et assensus publicata et divulgata inter eos, unde diligenti deliberatione habita, quum ipse frater Gregorius est nobilis homo de dicta civitate, et in etate legitima constitutus, prefatus dominus Gervasius suo nomine, et nomine et voluntate omnium predictorum canonicorum et capituli et ipsis presentibus invocato Christi nomine mox eligerunt, postularunt et postulando eligerunt honestum et sapientem virum dominum supradictum fratrem Gregorium in pastorem et episcopum episcopatus superius sepefati. Actum in ecclesia supradicta sancti Laurentii episcopatus Tragurii presentibus domino Jacobo Rustichu potestate Traguriensi, domino Benevento eius milite, domino Dessa et Cernocta Amblasii, Silvestro Mingacii, Chreste Alberti, Toma domino Zaniche, Guymo Dumiche, et aliis multis testibus, et domino Dessa Duymi de Mursiza examinatore.

*Lucius Memorie di Trah. 112. — Farlati Illyr. sac. IV. 359. Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. IX. 347—349. XII. 361—363. Regest u Fejér Codex dipl. Hung. VII. 4. 137. — Kukuljević Reg. no. 1328.*

## 348.

**1282, 2. juna. U Zadru.**

*Tolja, duvna samostana sv. Marije, daje dozvolom nadstojnice slobodu svomu robu Milši.*

In nomine domini amen. Anno incarnacionis eius millesimo ducentesimo octuagesimo secundo, mensis iunii die secundo intrante, indiccione decima, Jadre. Temporibus equidem domini Johannis Danduli incliti ducis Venecie, et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Gabrielis Michaelis egregii comitis. Ego namque Tollia monialis monasterii sancte Marie de ciuitate Jadre, filia quondam Draganni Draghinigi fateor, quomodo de consensu, licentia et permissione domine Nycolotte abbatisse monasterii suprascripti, do, dono, trado atque concedo tibi namque Milsce nuncupato Rececha seruo meo nato ex quondam Radda vocata Vuranna olym ancilla suprascripti patris mei, meram et plenissimam libertatem cum omni tuo peculio, teque de manu et potestate mea penitus dimitto, vt a modo in antea sine aliquo seruitutis obstaculo sis liber et absolutus a me meisque heredibus tu et a te de

cetero nascituri vt ciuis romanus et libertate uti possis, vtque tamquam ex ingenuis parentibus esses natus in emendo, vendendo, permutando, alienando et aliis te obligando, in iuditio existendo, testamentum, codicillos et quamlibet aliam ultimam uoluntatem libere faciendo, testimonium perhibendo, et omnia ac singula, que quilibet romanus ciuis facere potest uel exercere libere peragendo, et omne ius patronatus seu quicquid aliud, quod in te actenus(!) habui aut alii pro me, tibi tuisque heredibus transacto et uoluntarie concedo in perpetuum. Ob quam libertatis donationem peto a gratia saluatoris remedium atque salutem animabus genitorum meorum et anime mee. Et ita ego predicta Tollia volo, quod hec libertatis carta robur perpetue obtineat firmitatis. Actum est hoc et fimatum presentibus his vocatis et rogatis testibus, videlicet: Gregorio diacono ecclesie sancte Anastasie, et Damiano fratre Scemergotti.

*(Drugi rukopis).*

† Ego Pasqua de Uaricase iudex examinator manus misi.

Ego Vincentius ecclesie sancte Marie maioris clericus et Jadrensis notarius predictis interfui rogatus, vt audiui hanc cartam scripsi, roboraui et signo solito signaui.

*(Signum notarii).*

*Original u arkivu samostana sv. Marije u Zadru.*

## 349.

**1282. 3. jula. U Spljetu.**

*Kler spljetski poziva se na papu protiv nadbiskupa Ivana.*

In nomine dei eterni amen. Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo octoagesimo secundo, indicione decima, die tercio intrante iulio, regnante domino nostro Ladislao serenissimo rege Vngarie. Temporibus domini Johannis venerabilis Spalatensis archiepiscopi, domini Mladeni Stepconis de Briberio incliti comitis, domini Vite Çerne Merge de Jadera egregie potestatis, Joseb Petri Madii, Miche Johannis Dabralis iudicum Dominus Duimus archidiaconus sindicus capituli Spalatensis et ipsum capitulum vniuersum, ac domnus Alferius abbas sancte Marie de Solta, et domina Stana abbatissa monasterii sancti Benedicti, et capellani ac vniuersus clerus ciuitatis Spaleti presentes unanimiter taliter in scriptis a predicto domino archiepiscopo appellandum duxerunt. Nos Duimus archidiaconus et sindicus capituli predicti et vniuersum capitulum, et Georgius abbas sancti Stephani, ac Aferius abbas sancte Marie de Solta,

et Stana abbatissa sancti Benedicti, et capellani ac vniuersus clerus ciuitatis sentientes nos omnes in omnibus nostris iuribus et aliis causis quam pluribus per venerabilem patrem dominum Johannem predictum archiepiscopum nostrum comuniter et specialiter agrauatos, ac ipsum plene cognoscentes in multis inepte et furiose procedere contra deum et statuta sanctorum patrum; vnde si nostrum ius contra ipsum prosequentes et defendentes ouiando sibi in suis prauis et ineptis ac iniustis sentenciis et actibus contra nos comuniter vel specialiter uellet per aliquam sentenciam uel per aliquod mandatum iniuste procedere, sedem appostolicam in scriptis apelamus(!) et appostolos instanter omnes vnanimiter et comuniter petimus. Actum in palacio domini archiepiscopi presente ipso domino archiepiscopo et ibidem astante ac apelacionem predictam diligenter ascultante, et presentibus nobilibus viris Camurcio Petri, Martino Simeonis, Thomasio Dusciççe, Gaudio Kalende, et aliis.

*(Drugi rukopis).*

Ego Lucanus Dese examinaui.

Ego vero domnus Lucas canonicus et iuratus notarius Spalatensis hiis interfui, et ut in scriptis predicte apelacionis inueni et audiui, legi rogatus, scripsi et roboraui.

*(Signum not.).*

*Originalni not. prijepis u arkivu kaptola u Spljetu a. 1289. (XVI. 1. 126.)*

*Wenzel Cod. dipl. Arp cont. XII. 249—250. — Kukuljević Reg. no. 1329.*

## 350.

**1282, 18. augusta.**

*Bilješka.*

1282. die 18. augusti capta fuit pars in maiori consilio, quod debeat dari gratia vini hominibus Arbensibus, qui fuerunt combusti sicut captum fuit per consilium de 40, ita tamen, quod habeant amphoras 20 vini quolibet anno donec habuerint totam ipsam gratiam. Fuerunt vendite amphore 20, et alie 20 amphore fuerunt vendite de prima gratia, antequam supradicta pars caperetur inter maius consilium.

*Lucius Memorie di Traù 198. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. IX. 349.*

## 351.

**1282. 20. septembra.**

*Izmjena zemalja izmedju samostana sv. Kuzme i Damjana i sv. Mihovila.*

In Christi nomine amen. Incarnationis eiusdem millesimo ducentesimo octuagesimo secundo, die decimo exeunte mensis septembris, indictione undecima, Jadre. Temporibus equidem domini Johannis Danduli incliti ducis Venetorum, et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Gabrielis Michaelis egregii comitis. Cum venerabilis frater Jacobus Cornario abbas monasterii sanctorum Cosme et Damiani de Monte Jadrensis diocesis cum suo conventu ex parte una, et venerabilis frater Nicolaus abbas sancti Michaelis de Monte cum suo conventu ex parte altera, prout ex iniuncta eis cura et sollicitudine tenentur, diligenter scrutati fuissent, consiliumque advocatorum et amatorum ipsorum monasteriorum sue providentie in hac parte plenius concordarent, ac patris venerabilis dicti domini magistri Laurentii dei gratia Jadrensis archiepiscopi consensu intercederet et auctoritas specialis de quibusdam terris et possessionibus ad invicem comutandis pro utriusque monasterii utilitate, virum religiosum dompnum Johannem abbatem sancti Grisogoni de Jadra, et nobilem virum Jacobum Zadulinum utriusque monasterii devotos et amicos speciales concorditer elegerunt ad predictas terras et possessiones, deum pre oculis habentes, et utriusque monasterii condiciones diligenter pensatis eximendas, sollempni stipulatione promittentes, id ratum et firmum in perpetuum habere, quod per ipsos foret in hac parte diffinitum seu ordinatum. Qui quidem abbas et Jacobus huiusmodi recepta potestate ob dei reverentiam et ad ipsorum monasteriorum utilitatem terras et possessiones premissas viderunt et diligenter consideraverunt, inter seque deliberaverunt et cum sapientibus comunicaverunt, de utrisque tamen partis voluntate statuerunt, diffiniverunt et laudaverunt, quod permutatio sive concambium huiusmodi terrarum et possessionum, situs quarum inferius declarabitur, firma et stabilis sit in perpetuum, et quod neutra parcium contravenire possit modo aliquo vel ingenio sub pena marcharum argenti quinquaginta, que quidem pena tociens comitatur, quociens contra hec, que in hoc presente instrumento comprehensa sunt seu aliquid predictorum ventum fuerit, ipso tamen concambio sive permutacione in suo robore permanente etiam pena soluta vel non soluta. Terre autem supradicti mona-

sterii sanctorum Cosme et Damiani de Monte posite in Gallano ex parte boree et austri prope terras Martini Sparasanti, ex parte traverse prope terras Petri de Artimio et ex parte quirina prope terras Cardanese, et vinee eiusdem monasterii in eadem insula Gallani posite ex parte boree prope terras predicti Petri de Artimio, ex parte austri iuxta terras Marci Sparasanti, et ex parte traverse prope vineam Stephani Martinusii. Que terre et vinee, que sic confiniant, de cetero ad monasterium sancti Michaelis de Monte pleno iure spectabunt et respondebunt cum omnibus iuribus et pertinentiis suis. Et terre autem atque vinee predicti monasterii sancti Michaelis posite in Piscimano, quarum terrarum una pecia ex parte boree iuxta terram Jurisii, ex parte austri iuxtu terram Denize, et ex parte traverse iuxta terram Nouacouigi; alia pecia terre ex traversa iuxta terram heredum Cigali, ex borea iuxta terram filiorum Lemesi, et ex quirina iuxta viam publicam; tercia pecia terre ex borea iuxta terram filiorum predicti Lemesi, ex austro iuxta terram sancte Marie de Melta, et ex traversa iuxta viam publicam; vinee vero ex austro et quirina iuxta terras Benevenuti de Alexio, ex traversa iuxta vineam predictorum filiorum Lemesi. Que terre et vinee, que sic confiniant, de cetero ad monasterium sanctorum Cosme et Damiani pleno iure spectabunt et respondebunt cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, ita tamen, quod predictus frater Nicolaus abbas monasterii sancti Michaelis de Monte refundere tenetur pro huiusmodi commutacione sive concambio predicto abbati sanctorum Cosme et Damiani libras denariorum venetorum parvorum centum et quinquaginta. Quam predictam pecuniam dictus frater Nicolaus abbas ibidem de i[n]stanti cum integritate solvit et presencialiter assignauit predicto fratri Jacobo abbati sanctorum Cosme et Damiani; et ipse frater Jacobus abbas tenetur et promisit ibidem omnes predictos denarios in possessionibus pro utilitate sui monasterii investire. Quam quidem diffinicionem et determinacionem predicti abbatis cum voluntate et assensu predictorum suorum conventuum approbaverunt, laudaverunt et confirmaverunt, predicti domini archiepiscopi expressa interveniente auctoritate, mutuo renunciantes iuribus omnibus, rationibus, consvetudinibus, privilegiis et literis apostolicis, legatis, subdelegatis ac ordinarie impetrandis vel impetratis doli mali et in facto accioni, reedibitorie et quanto minoris et omni auxilio civilis ac canonici iuris et statutis patrie; promittentes predicta omnia et singula per se suosque successores firma et rata in perpetuum tenere et illibata servare sub pena superius annotata. In cuius rei perpetuam firmitatem facta sunt exinde duo consimilia instrumenta, unum quorum abbati sanctorum Cosme et Damiani, et alterum abbati sancti Michaelis ad habendum, et ad maiorem cautelam predicta duo instrumenta vene-

rabilis pater dominus archiepiscopus supradictus sigillo proprio communivit et subscriptione propria roboravit. Actum est hoc et firmatum coram his vocatis testibus, videlicet. Nichiforio filio condam Marini de Nichiforio, et Luca filio Orlandini, Caligarii clerici de Jadra, et aliis.

† Ego Laurentius dei gratia Jadrensis archiepiscopus manu mea subscripsi.

Ego frater Johannes humilis abbas monasterii sancti Grisogoni manum meam misi.

† Ego Jacobus Zadulinis manum misi.

† Ego Rogerius de Giberto Apulus nunc notarius Jadre predictis rogatus interfui, ut audivi hanc cartam scripsi, roboravi et signo solito signavi.

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru — Na listini ima trag, gdje je visio pečat.*

*Polichorion 62—64. — Starine XXIII. 211—213. no. 122.*

## 352.

**1282, 18. oktobra. U Zagrebu.**

*Farkaš, sin Jurkov, plemić blinjski, prodaje pred kaptolom zagrebačkim Stjepanu banu svoj posjed Svinicu za pedeset maraka dinara banskih.*

Capitulum ecclesie Zagrabiensis omnibus quibus expedit presens scriptum inspecturis salutem in domino. Ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod constitutis in nostra presencia ab una parte Farcasio filio Jurk, nobili de Blyna, et Hemrico serviente nobilis viri Stephani bani, filii St[ephani], vice et nomine eiusdem domini sui ab altera, idem Farcasius confessus est, quod quandam terram suam et fratrum suorum hereditariam Zuynnicha nuncupatam, de consensu et voluntate eorundem fratrum suorum, admittentibus eciam et consencientibus propinquis et cognatis suis, ut dicebat, sicut eciam homo noster Samson sacerdos de Blyna nobis retulit, ad requirendum eosdem fratres et cognatos, ymo eciam vicinos per nos destinatus in hac, vendidit et tradidit Stephano bano et post eum suis heredibus, heredumque successoribus iure perpetuo possidendam pro quinquaginta marcis, singulis de quinque pensis denariorum banalium, receptis ab eodem Stephano bano plenarie, sicut dixit, assumpmens coram nobis et obligans se idem Farcasius ad expediendum dictum Stephanum banum et heredes suos ab

omni questione, si quam super ipsa terra oriri contingeret in posterum, in propriis laboribus et expensis. Prima autem meta prefate terre, sicut supradictus homo noster, qui eciam de mandato nostro inspexit et annotavit processum seu cursum eiusdem terre metarum, nobis retulit, incipit a vinea Merk, contermina terre abbatis de Toplica et vadit versus orientem per viam ad arborem tulfa, sub qua est meta terrea, inde per eandem viam vadit ad bivium ad aliam arborem tulfa, ubi est meta terrea, inde per eandem viam vadit ad arborem jula, ubi est meta terrea, inde per eandem viam adhuc versus orientem vadit ad sex arbores hasfa, inter quas est arbor sorbelli, ubi eciam est meta terrea, inde versus meridiem divertens a dicta via descendit in vallem, ubi est quidam rivulus, quem transiens pervenit ad arborem tilie cruce signatam, inde exiens de valle ad planiciem versus meridiem pervenit ad viam que ducit in Zuynnicham, postea transiens ipsam viam vadit ad quemdam lacum, quem transiens pervenit ad rivum in Zuynnicham cadens in eundem infra quendam fundum molendini, inde transiens sursum per eundem rivum versus occidentem venit ad alterum fundum molendini, inde adherens cuidam rivulo modico, vadit per eundem versus aquilonem et pervenit ad predictam viam ducentem in Zuynnicham, inde per eandem viam versus eandem partem pervenit ad locum, qui dicitur tumulus caninus, inde adhuc procedens per eandem viam transit vallem et rivum et pervenit ad pontem terreum, inde divertens de dicta via in dexteram partem vadit per semitam iuxta vineam Martini, et pervenit ad collem, ubi sunt arbores tilie, inde per quemdam(!) semitam, remanente terra abbatis a sinistris, pervenit ad priorem videlicet vineam Merk supradictam. In cuius rei memoriam presentes ad instanciam contulimus sigillo nostro communitas. Datum in festo Luce evangeliste, anno domini MCC octuagesimo secundo.

*Privileg. monaster. B. V. Mariae de Toplica, no. XXX.*
*Tkalčić Monum. episcop. Zagr. I. 209—210.* — *Kukuljević Reg. no. 1331*

## 353.

**1282, 11. decembra. U Zadru.**

*Damjan daje svoju kćer Agupu u samostan sv. Marije za duvnu i poklanja svoj imetak istom samostanu.*

In nomine domini amen. Anno incarnacionis eius millesimo ducentesimo octuagesimo secundo, mensis decembris die vndecimo intrante,

indicione vndecima, Jadre. Temporibus equidem domini Johannis Danduli incliti ducis Venecie, et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Gabrielis Michaelis egregii comitis. Ego namque Damianus frater Scemergotti habitator Jadre, mea bona et gratuita voluntate offero Agapem dilectam filiam meam et omnia bona mea mobilia et immobilia, magna et parua secum in manibus honeste et religiose domine domine Nycolotte reuerende abbatisse monasterii sancte Marie de ciuitate Jadrie(1), suscipienti eam nomine dicti monasterii sui suarumque sororum omnium in monialem et sororem ipsius sui monasterii suprascripti. Que siquidem bona mea specialiter hec sunt: in primis vna medietas mea vnius loci positi in confinio sancte Trinitatis, cuius loci habet aliam medietatem pro indiuiso dictus Scemergottus frater meus; et est locus ipse versus austrum iuxta viam publicam uersus quirinam iuxta locum Marini Caucinne, et uersus trauersam iuxta locum Prode Drugoçay; item vna terra seminature vnius modii cum oliuis suis posita ad Çerodolum uersus austrum iuxta vineam Symonis Çuppari, uersus quirinam iuxta terram heredum quondam presbiteri Petri Pasarensis, et uersus trauersam iuxta vineam Rade Sciuinge; item vna vinea ad riuum in terra Jadrensis archiepiscopatus cum suis oliuis que reddit quintum pro terratico, et est uersus trauersam iuxta molendinum Laurentii de Ciuallelis, et uersus quirinam iuxta vineam Marie de Bratiça, item due vinee ad Bibanum in terra dicti monasterii sancte Marie, quorum vna est infra duas vineas Lube ab australi et boreali parte, et uersus trauersam est iuxta vineam Nycole sartoris, et alia est uersus austrum iuxta vineam heredum quondam Georgii Slatamotika, et uersus trauersam iuxta viam publicam; cum omnibus longitudinibus, et latitudinibus suis, cum omnibus suis certis terminis, habentiis et pertinentiis tam subtus terram quam supra terram, atque cum omnibus iurisdictionibus et rationibus suis, nec non et cum omni iure meo a modo cum plena virtute, auctoritate et potestate faciendi prefata domina abbatissa cum succedentibus sibi de supradictis bonis omnibus in omnibus et per omnia sui monasterii memorati plenius vtilitatem, nemine sibi in perpetuum contradicente. Et ego siquidem suprascripta Nycolotta humilis abbatissa prelibati monasterii sancte Marie nomine ac vice ipsius monasterii mei, mearumque sororum seu monialium omnium suscipio a te suprascripto Damiano oblationem dicte Agapis filie tue, et omnium predictorum bonorum tuorum in manibus meis; promittens ex nunc dictam genitam tuam habere in sororem et monialem meam meique monasterii nominati, sicut habeo ceteras sorores seu moniales meas in monasterio supradicto. Actum est hoc et firmatum presentibus his vocatis et rogatis

testibus, videlicet: Damiano de Dobre aduocatore monasterii suprascripti, Johane Boccani et Matheo Marinario.

*(Drugi rukopis).*

Ego Bartolomeus Saladino examinator manum meam misi.

Ego Vincentius ecclesie sancte Marie maioris clericus et Jadrensis notarius predictis interfui rogatus, vt audiui hanc cartam scripsi, roboraui et signo solito signaui.

*(Signum not.)*

*Original u arkivu samostana sv. Marije u Zadru.*

## 354.

**1282.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski potvrdjuje listinu kaptola požeškog (od g. 1281.) o darovanju imanja Pake.*

Ladyzlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod Emiricus filius Athanas ad nostram accedens presenciam exhibuit nobis priuilegium capituli de Posoga super quadam possessione Paka vocata concessum, petens cum instancia, vt ipsum priuilegium ratum habere et nostro priuilegio confirmare dignaremur. Cuius quidem priuilegii tenor talis est: *(Slijedi listina kaptola požeškog od g. 1281.)* Nos itaque peticionibus dicti Emirici fauorabiliter inclinati, memoratum priuilegium capituli de Posoga non cancellatum, non viciatum nec in aliqua parte sui diminutum, de uerbo ad uerbum presentibus inseri fecimus et nostro priuilegio communiri. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem presentes concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri (!) viri magistri (!) Bartholomei aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo secundo, regni autem nostri anno decimo.

*Original u obiteljskom arkivu Ivana Gyarmati-a u Kes-Czelu u vašvarskoj županiji. Na listini visi svilena vrvca crvene boje, pečata nema.*

*Na hrptu gotovo istodobno: »De Paka de comitatu Walko.«*

*Cod. dipl. patrius, III. 35—36.*

## 355.

**1282.**

*Pred kaptolom požeškim sinovi Rolanda bana prodaju svoje posjede Glogovu i Petnu.*

Capitulum ecclesie beati Petri de Posaga omnibus Christi fidelibus presencium noticiam habituris salutem in domino sempiternam. Ad universorum noticiam tam presencium quam futurorum harum serie volumus peruenire, quod magistro Mathya filio Rolandi bani pro se et pro Ratoldo fratre suo vterino ab vna parte, comite Benedicto filio comitis Iwanche ab altera coram nobis personaliter constitutis, idem magister Mathyas confessus est oraculo viue vocis, quod licet primo et principaliter quasdam possessiones suas Golgova et Pethna vocatas, in comitatu de Posaga existentes, quas primo secundum quod in prioribus litteris nostris patentibus inspeximus, predicto comiti Benedicto idem Mathyas et Ratoldus personaliter comparentes pro centum et quadraginta quinque marcis inpignorassent tali modo, quod si in die et termino assignato pro eisdem centum quadraginta et quinque marcis redimere non curarent vel non possent, extunc dupplo earundem centum quadraginta quinque marcarum subiacerent; tandem ipso die redempcionis adueniente, predictas possessiones Golgoa (!) et Pethna idem magister Mathyas et Ratoldus, vt assumpserant, redimere nequiuerunt, sed predictus magister Mathyas, ut prediximus paulo ante, pro se et pro fratre suo personaliter comparendo, communi consensu et pari voluntate predictas possessiones Golgoa et Pethna cum turri siue castro et cum omnibus vtilitatibus suis et pertinenciis ac circumstanciis, metis et terminis infrascriptis circumdatas et vallatas, pro quatringentis marcis in argento et denariis plene coram nobis receptis, predicto comiti Benedicto, et per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus ex permissione et voluntate predicti fratris sui, sicut se idem Ratoldus personaliter comparendo mediantibus litteris nostris patentibus sepedicto magistro Benedicto obligauerat, dixit se vendidisse iure perpetuo et irreuocabiliter possidendas, tenendas pacifice et habendas. Mete autem predictarum possessionum Pethna et Golgoa vocatarum hoc ordine distinguntur: Incipiendo a parte meridionali in capite Babawelge inde versus meridiem ascendit ad birch cuiusdam montis Motheck vocati, abhinc per birch uadit per viam Keralwa vocatam versus orientem, de quo birch et via descendit ad vnum puteum Detrichkuta vocatam, qui est

pro meta, hinc per cursum putei descendit et cadit in Pethna potoka, vbi commetatur terre Burstian, inde contra cursum ipsius Pethna potoka vadit ad partem septemtrionalem in modico spacio usque ibi, vbi quidam riuulus cadit ad Pethna potoka, abhinc contra cursum ipsius riuuli eundo peruenit ad caput eiusdem, de cuius riuuli capite ascendit ad birch ad septemtrionem, vbi commetatur terre filiorum Budimiri, et per ipsum birch uadit usque metas terre Golgoa ad magnam viam, per quam itur ad Posagawar, vbi incipit meta terre Golgoa in magna via, et transit ipsam viam, peruenitque ad arborem harazt cruce signatam et per eandem viam reflectitur ad orientem per bonum spacium, et peruenit ad metam terream, de qua reflectitur versus septemtrionem et peruenit ad arborem borkolcha, sub qua est meta terrea, inde descendit per quandam saxosam vallem, et cadit [in] flumen Golgoa in loco vbi riuulus Bukoa ryka cadit in ipsam Golgoa, et per eandem tendit versus orientem per modicum spacium, exiensque de ipso fluuio per vallem ascendit in montem, et per ipsum montem versus orientem eundo peruenit ad caput cuiusdam putei, inde tendit versus meridiem et peruenit ad metam terream, inde ad arborem ihor, que est in capite cuiusdam rivuli, inde ad metam terream, et sic eundo per metas terreas peruenit ad magnam viam, qua itur in Berezna, et ibi est meta terrea, transiensque ipsam viam peruenit ad lapidem, qui est pro meta, ubi commetatur terre filiorum Benedicti Poryk vocate, inde transit flumen Golgoa et tendit per campos in bono spacio, et peruenit ad montem Mothochech(!) et ibi est arbor piri pro meta, et per eundem montem ascendendo transit in riuulum Mothochech versus meridiem, inde peruenit ad caput predicte vallis Babawelge ad metam antedictam, ibique terminatur. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum et actum anno domini M⁰CC⁰ octuagesimo secundo.

*Po prijepisu konventa požeškoga od godine 1282. u arkivu knezova Esterhazya.*

*Wenzel Cod. dip. Arpad. XII. 374—376. — Kukuljević Reg no. 1334.*

*

## 356.

**1282.**

*Konvenat požeški prepisuje listinu kaptola požeškoga o prodaji posjeda Glogove i Petne.*

Frater . . . . . . abbas totusque conuentus ecclesie beate virginis Honeste Vallis de Posaga vniuersis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in filio virginis gloriose. Vniuersitati omnium tenore presencium volumus fieri declaratum, quod magistro Mathya filio Rolandi bani pro se et pro Rotaldo (!) fratre suo vterino ab vna parte, comite Benedicto filio comitis Iwancha ex altera coram nobis personaliter constitutis, idem magister Mathyas confessus est viua voce quasdam possessiones suas Golgoa scilicet et Pethna vocatas in comitatu de Posaga existentes ipsi comiti Benedicto et suis heredibus mediante priuilegio capituli beati Petri de Posaga pro quatringentis marcis argenti et denariorum plenarie receptorum vendidisse ex voluntate, permissione, beneplacito ac consensu ipsius Ratoldi fratris sui iure perpetuo pacifice et irreuocabiliter possidendas, quod ecquidem priuilegium capituli suis manibus nostro conspectui presentauit, petensque, vt tenorem eius propter maioris rei testimonium et ad uberiorem cautelam pro iamdicto comite Benedicto nostris litteris priuilegiis inseri de uerbo ad uerbum faceremus. Cuius tenor talis est: *(Slijedi predidući isprava kaptola požeškoga od g. 1282.)* Verum quia nos vendicionem et empcionem tam iuxta tenorem predicti priuilegii factam comperimus iustam, quam eciam per os ipsius magistri Mathye confessam et relatam cognouimus congruam, tenorem ipsius priuilegii nostris litteris presentibus de uerbo ad uerbum inserentes, pro ipso comite Benedicto in predicte rei testimonium nostro sigillo duximus roborandum. Datum anno dominice incarnacionis M°CC° octuagesimo secundo.

*Original u arkivu knezova Esterhazya. Pečat otpao.*

*Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont. XII. 380—381. — Kukuljević Reg no. 1335.*

## 357.

**1282.**

*Elizabeta kraljica ugarska i hrvatska daje knezu Dominiku sinu Ivanke posjed Vrbovu u zamjenu za njegov posjed Podgorje i 200 maraka.*

[E]lyzabeth dei gracia maior regina Hungarie, ducissa tocius Sclauonie, de Machou et de Bozna vniuersis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in salutis largitore. Ne labantur cum tempore, que in tempore peraguntur, prouida hominum discrecio adinuenit, vt rerum legitime gestarum series fideli memorie litterarum commendetur. Proinde vniuersitatis uestre noticie tenore presencium fieri uolumus manifestum, quod placuit excellencie nostre, quod vt a comite Benedicto filio comitis Joance fidele nostro quandam possessionem suam Podgorya nuncupatam, quam a Mathia et Petro filiis Morthunus precio comparauerat, ad ius et proprietatem magnitudinis nostre per concambium cuiusdam terre nostre Vrboa nomine reciperemus pro vtilitate nostra, que licet per collacionem nostram Thome filio Cornelii et magistro Johanni filio Nicolai de genere Chak pridem assignata et collata extitisset, ipsam tamen ab eisdem ablatam et apud nos diucius conseruatam cum omnibus vtilitatibus suis et pertinenciis vniuersis, quibus nos eam possedimus, ipsi comiti Benedicto et per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus in concambium predicte possessionis sue hereditarie Podgorya nomine que licet empticia sit, de iure tamen et regni consuetudine approbata hereditaria reputatur; nec pretermittimus, quod, quia sepedicta possessio Wrboa(!) pocior et vtilior erat quam terra Podgorya foret sepedicta, insuper a memorato comite Benedicto recepimus ducentas marcas, quas nobis idem Benedictus in denariis et argento plenarie persoluit, et quia dominus rex filius noster karissimus per seuiciam quorundam infidelium regni nostri et audaciam temerariam, quod dictu nephandissimum, captus detinebatur, nos ueluti mater anxia commotis uisceribus materno ex amore inferre querens hinc et inde subsidium et solamen requirendo, eciam ipsum filium nostrum karissimum, dictas ducentas marcas dedimus et expendimus fidelibus regie maiestatis et corone, quos habere potuimus pro liberacione filii nostri sedula cura maternali, et sic sepedictam possessionem Wrboa cum omnibus vtilitatibus suis et pertinenciis vniuersis tam racione concambii, quam eciam iure vendicionis dedimus, cotulimus et dimisimus memorato Benedicto comiti et suis heredibus, heredumque successoribus iure perpetuo pacifice et irreuocabiliter possidendam. Et

ne huiusmodi concambium et uendicio per nos facta ex consensu et uoluntate karissimi filii nostri possit per quempiam in posterum retractari, presentes dupplicis sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum per manus venerabilis patris Pouce episcopi Sirimyensis aule nostre cancellarii fidelis nostri, anno ab incarnacione domini M°CC° octuagesimo secundo.

*Iz potvrdnice kralja Ladislava od god. 1283. 11. septembra kako je prepisao požeški kaptol god. 1370. 9. januara Original posljednje na pergameni u kr. ug. držav arkivu u Budimpešti · M. O D. L. no. 33.731. (Stara sign. N. R. A. fasc. 1508. no. 23.)*

*Fejér Cod. dipl. Hung. V. 3, 128.—129. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. IX. 358. donosi regest iz budim. komor. ark. krivo pod g. 1283. — Kukuljević Reg. no. 1333. i 1357.)*

## 358.

**1283, 11. januara. U Trogiru.**

*Trogirani ovlašćuju svoga sugradjana Vučinu, da pravi represalija Spljećanima, dok mu ne povrate njegov brod.*

In Christi nomine amen. Anno nativitatis eiusdem 1283., die lune II mensis ianuarii, XI. indictione. Temporibus domini Ladislai dei gratia serenissimi regis Hungarie, venerabilis patris domini Gregorii dei gratia Traguriensis episcopi, et nobilis viri domini Francisci Faletri de Venetiis potestatis Tragurii. Nos Franciscus Faletrus de Venetiis potestas Tragurii presenti publica scriptura notum facimus et testamur, quod olim pluries per nuntios et litteras speciales potestati Spalati et communi ipsius terre ex parte nostra et totius consilii civitatis Tragurii transmissum extitit, ut amicabiliter lignum et res alias Vulcigne civi nostro restitui facerent, quod et quas in civitate Spalati capi et intromitti fecerant indebite et sine ordine rationis, quibus potestati et Spalatenibus dictus Vulcigna non fuit neque est culpabilis ullo modo, ipse potestas et communitas ipsius terre Spalati dictum lignum et res iniuste detinent contra deum et homines, et dicto Vulcigne restituere noluerunt, neque volunt in ipsius Vulcigne preiudicium et iacturam. Unde nos predictus Franciscus potestas Traguriensis volentes dictum nostrum civem in suis iuribus manutenere, et sibi iustitiam facere velut decet, habitoque hinc inde cum consiliariis nostris et cum deliberatione consilio diligenti sententialiter sententiamus, atque deliberamus, et per deffi-

nitivam sententiam promulgamus, atque etiam mandamus et licentiam tribuimus Vulcigne predicto, ut supra bonis quorumcumque Spalatensium ubique invenientur represaliam facere debeat Vulcigna predictus et sibi satisfieri facere de dicto ligno et rebus, ut supra dictum est, videlicet de libris M denariorum parvulorum venetorum, de quibus idem Vulcigna cum sacramento vocavit exinde damnificatum esse per Spalatenses predictos de libris M et plus. Unde ad cautelam dicti Vulcigne hoc presens publicum scriptum sibi exinde fieri fecimus, et sigillo communis pendenti muniri. Actum Tragurii, presesente Dessa Amblasii, Silvestro de Mengaz, Georgio Gudimeri, et aliis, ac domino Nicolao Casocti examinatore.

*Lucius Memor. di Traù 113—114. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. IX. 374.—375. – Kratki regest u Fejér Cod. dipl. Hung. VII vol 4. 188. — Kukuljević Reg. no. 1337.*

## 359.

**1283, 13. januara. U Požegi.**

*Elizabeta kraljica ugarska i hrvatska odredjuje, da se sinovi Josipovi imadu štititi u posjedima u vukovskoj županiji.*

Elizabeth dei gracia maior regina Hungarie, ducissa tocius Sclavonie de Machou et de Bozna fidelibus suis comitibus de Wolkou pro tempore constitutis et maiori iobagionum castri et maiori exercitus, ac universis iobagionibus castri in eodem comitatu existentibus salutem et graciam. Cum nos terras Scelepche et Eydevolu nuncupatas, in comitatu de Wolkou sytas, quas dominus rex Ladyzlaus filius noster karissimus Johanni, Adryano [et Is]yp filiis Isyp in concambium terre eorum Anyas nuncupato [penes m]onasterium Zeer existentis, dedit et contulit pleno [iure prout in] regis privilegio exinde indulto plenius vidimus con[tineri,Johanni] Adriano et Isyp et eorum heredibus, heredumque suorum successoribus [dederimus] et contulerimus iuxta ordinacionem regiam possidendas, fidelita[ti igitur] vestre mandantes precipimus, quatenus dictas terras apud prefatos Johannem, Adryanum et Isyp absque aliqua molestia prout in privilegio dicti domini regis contineri vidimus conservare debeatis, aluid nullatenus facere presumpmentes. Datum in Possagavar, in octavis epiphanye domini, anno gracie M°CC°LXXX. tercio.

*Cod. dipl. patrius VI. 288—289. no 208. — Po originalu u arkivu grofova Festetić u Keszthelyu. Na ledjima trag pečata. — Kukuljević Reg no. 1338. Manjkajuća mjesta popunjena su kod redakcije listine.*

## 360.

**1283, 29. marta. U Zadru.**

*Pred sudom zadarskim tuži Dominik Zlogodina Disina Striču, što je svojom gradnjom ušao na njegov posjed, a suci zabranjuju posljednjem, da gradi na dvorištu tužiteljevom.*

In Christi nomine. Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo octuagesimo tercio, indiccione vndecima, die tercia exeunte mensis marcii, Jadere. Temporibus equidem domini Johannis Danduli incliti ducis Venecie, et magistri Laurencii venerabilis Jaderensis archiepiscopi ac domini Gabrielis Michaelis egregii comitis. Cum [nos] Federicus Grisogoni de Mauro, Bartholomeus Saladini et Biualdus de Botono cur[ie] Jadrenses essemus iudices examinatores, venerunt ante nostram presentiam Dominicus Slogodina, conquerens et dicens, quod Dissin Stricha intrauit cum suo pariete in curiam eius seu locum, qui est Jadere in confinio babarum de borea ipsius parietis, unde petebat, quod ex auctoritate nostri officii cogere deberemus ipsum Dissin Strica (!), ut suum parietem a dicta eius curia seu loco remoueret, quia non debebat transire in locum eius cum aliquo suo edificio ultra fundamentum, quod est inter se et ipsum et uadit a quirina in trauersam recto tramite. Ad hec autem dictus Dissin respondebat dicens, quod non intrauit ipse in suo loco, sed sicut emit domum suam et locum a Marino Stumulo, ita usque nunc tenet et possidet, et super hec possuit (!) ipse Dissin Stricha dictum Marinum Stumulum suum excalumpniatorem Qui Marinus Stumulus veniens coram nobis dixit, quod vendidit dictam domum suam et locum cum suis pertinenciis, sicut eam emerat a Marino de Stance. Et ipse Marinus de Stance similiter coram nobis dixit, quod uendidit, quod erat suum et sibi pertinebat et non uendidit alienum. Nos uero memorati examinatores auditis et intellectis omnibus allegacionibus, peticionibus, opposicionibus et responsionibus, que coram nobis dicte partes dicere et ostendere uoluerunt, discopertoque et uiso fundamento predicto, quod est inter eos a quirina in trauersa recto tramite, habitoque exinde consilio et deliberacione diligenti, diximus per diffinitiuam sentenciam, quod predictus Dissin Strica non possit nec debeat intrare in curiam predicti Dominici seu locum ultra dictum suum fundamentum recto tramite a quirina, ut dictum est, in trauersam cum suo pariete seu alio aliquo hedificio, nec possit facere stilicidium super ipsum uel aliquo alio modo uel ingenio sibi facere uenire aquam aliquam ex pariete suo

per dictam eius curiam seu locum uel in ipsa eius curia seu loco. Super cuius nostre sentencie diffinicione dedimus et constituimus in pristaldum Maurum filium quondam Volcine de Sagatisa ciuem Jaderensem tribunum ad omnia et singula predicta taliter percomplenda. Et ego siquidem supradictus Maurus tribunus et pristaldus ex auctoritate mei officii mihi commissi, presens breuiarium fieri feci testificans in salutem anime mee omnia et singula in eo contenta uera esse et fuisse coram hiis vocatis et rogatis testibus, scilicet: Petro Zuppario et Disa Subina Jadrensibus, et aliis.

*(Drugi rukopisi).*

Ego Bartolomeus Saladino examinator manum meam missi.

† Ego Biualdus de Betono iudex examinator manum meam missi.

Ego Vincencius ecclesie sancti Stephani presbiter et Jadrensis notarius predictis interfui, et rogatus ut audiui scripsi et roboraui.

*(Signum not.)*

*Original u arkivu jugoslavenske akademije u Zagrebu. Diplomata a. 1283.*

*Kukuljević Reg. no. 1840.*

## 361.

**1283, 6. aprila. U Cittavechii.**

*Martin IV. papa nadbiskupu zadarskomu, neka dominikanca Galvana, koji je bez dozvole svojih poglavara primio skradinsku biskupiju istraži i svrgne.*

Martinus episcopus servus servorum dei venerabili fratri [Laurentio] archiepiscopo Jadrensi salutem et apostolicam benedictionem. Significavit nobis dilectus filius . . . magister ordinis fratrum Predicatorum, quod licet per litteras sedis apostolice sit inhibitum, ut nulli fratres ipsius ordinis, si eos in episcopos eligi aut postulari forte contigerit, electioni seu postulationi de se facte audeant consentire, nec aliquis archiepiscopus seu quicunque alius prelatus, vel etiam legatus sedis ipsius dictos fratres, nisi de magistri eiusdem vel priorum provincialium, qui pro tempore fuerint, licentia et consensu, aut speciali mandato sedis eiusdem ad episcopatus, vel alias quaslibet dignitates extra dictum ordinem assumere vel ordinare presumant, per easdem quoque litteras sit decretum irritum et inane quicquid contra inhibitionem huiusmodi a quibuscunque contigerit attemptari, auctoritate apostolica semper salva;

tamen frater Galvanus Dalmatinus professus dicti ordinis provisioni seu electioni de ipso ad episcopatum Scardonensem facte contra inhibitionem et decretum huiusmodi temere consentire presumpsit. Quare dictus magister fecit a nobis cum instantia postulari, ut providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Ne igitur dictus Galvanus de tante ambitionis excessu valeat gloriari, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus inquisita super hoc diligenter veritate, si rem inveneris ita esse, predictum Galvanum ab officio beneficioque suspendas, etiam si ad eius consecrationem processum fuerit per quemcunque, ac ipsum sic suspensum ad nos mittas infra competentem terminum, quem ei duxeris prefigendum, pro meritis recepturum. Quicquid autem super hiis feceris et inveneris, ac diem huiusmodi prefixionis et formam nobis per tuas litteras tenorem presentium continentes exponere fideliter non omittas. Datum apud Urbemveterem, VIII. idus aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

*Theiner Mon. Slav. I. no. 133. str. 99. Iz reg. An. III. ep. 5. fol. 122. — Potthast Reg. pont. II. no. 22.007.*

## 362.

**1283, 10. aprila. U Dubrovniku.**

*Buna proti nadbiskupu.*

Anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo tertio, indictione undecima, die lune, decimo intrante aprili. Ragusino capitulo congregato ad sonitum campane in sala archiepiscopali, nec non clero ciuitatis eiusdem, occasione cuiusdam dilapidationis facte in die resurectionis domini nice post uesperas contra domum domini archiepiscopi et contra ipsum et eiusdem familiam. Precepit omnibus et singulis capituli predicti et cleri, clericis et presbyteris sub excomunicationis pena, quam incurant ipso facto contrarium facientes, quod si in inquisitione predicta, super quibus integritati singulorum a nobis seu per uicarium et notarium nostros puram et meram debeat dicere ueritatem. Nos uero uolentes exinde habere . . . . . onem plenariam iuris ordine obseruato, presentibus capitulo et clero predictis, subdiaconum Johannem de [Preda]-nelle canonicum Ragusinum, qui dicebatur . . . . . dicte dilapidationis facinus, ad nostram pre[sentiam] . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . ac etiam . . . . . . . . . . recta s[us]p . . . . . . oficii et beneficiorum suorum, quod dicat puram et meram ueritatem super dila-

pidatione predicta, de qua calumpniatur quod fuerit concitator. Qui tactis sanctis euangeliis in presentia supradictorum iurauit dicere ueritatem supra dilapidatione predicta. Dictum subdiaconi Juani de Predanello: C. Eodem die et loco subdiaconus Johannes de Prodanelle(!) iuratus dicere ueritatem dixit per suum sacramentum, quod in illo rumore audiuit a quibusdam, quod consanguinei sui fuerant percussi, et tunc ipse dixit ista uerba: ista non sunt uerba(!) substinenda, quod familia domini archiepiscopi percuciat ciues nostros, et etiam dixit plus, quod ipsi domino archiepiscopo non erant substinenda talia, dicens etiam, quod non fecerat quartam partem malorum, quod debuerat fecisse, et hoc dixit in pleno capitulo ad sonitum campane ut moris est.

Testium iuramentum.

C. Eodem die dompnus Antonius de Gaiopa, dompnus Rossinus de Balislaua, dompnus Clemens de Fagulo, dompnus Vitalis Bodatic, clericus Blasius de Surco, Niciforus de Ranana, dompnus Nicola de Crossio testes recepti super inquisitione dilapidationis predicte comuniter domino archiepiscopo et eiusdem uicario iurauerunt, prohibere testimonium inuitati. Dicta testium contra Johannem predictum: C. Dompnus Antonius de Gaioppa canonicus Ragusiensis testis iuratus dixit suum sacramentum, quod quando discedebat de sala archiepiscopatus ouiauit mihi Johannes de Prodanelle et dixit mihi: qualia sunt hec, quod dominus archiepiscopus adduxit secum baroarios, ut interficiant homines; non solum signum est, ut lapidemus ipso[s], sed et ipsum dominum archiepiscopum cum ipsis. Et ego dixi redarguendo ipsum presente domino Nicola de Cruce: tu nam[que nun]c loqueris, caueas tibi, quia malum posset tibi accidere; postea ouiaui ei ambulanti cum Vitale de Binzola . . . . . . . similia uerba redarguendo ante loziam domini comitis, postea ego . . . . . . . . . antam ciuitatis et inviaverimus ipsum cum eodem Vitale et ipse dixit, que verba fuerunt illa . . . . . . . . . dixisti mihi et ego dixi quia tu male locutus fuisti, incitando homines contra dominum archiepiscopum et suam familiam; dictus Vitalis de Binzola redarguebat ipsum similiter. C. Dompnus Rosinus(!) testis iuratus dixit per suum sacramentum, quod contra curiam domini archiepiscopi et contra predictum dominum archiepiscopum . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

*Original u dubrovačkom arkivu veoma oštećen vlagom i mjestimice sasma izderan, na istoj pergameni na kojoj je listina od 18. aprila 1284. Zbirka saec. XIII. — Kukuljević Reg. no. 1341. veli, da je u njegovoj zbirci.*

## 363.

**1283, 1. maja.**

*Pred kaptolom požeškim biva izmirenje radi posjeda zemalja.*

A. B. C.

Capitulum ecclesie beati Petri de Posoga omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris salutem in domino sempiternam. Ad uniuersorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod Gregorio filio Zoyda pro se et pro Zoida ac Mathia filiis Mathie ab una parte, Benedicto et Jacobo filiis Odola pro se et pro Michaele fratre ipsorum ab altera coram nobis personaliter constitutis, dixerunt, quod super terra Banichev vocata, cuius medietatem Gregorius cum filiis Mathie requirebat, ad talem pacis formam devenissent, quod idem Gregorius una cum filiis Mathie dimidietatem terre supradicte reliquisset filiis Odola cum omnibus utilitatibus suis perpetuo possidendam; et iidem filii Odola in conquambium(!) eiusdem terre quandam terram ipsorum sitam in Orioicha a Nicolao filio Haranch comparatam, exceptam et distinctam in metis infrascriptis, quibus comes Nicolaus filius Izdizlai particulam eiusdam terre comparauit secundum continentiam litterarum nostrarum, similiter dedissent et assignassent cum omnibus utilitatibus perpetuo possidendam; ita quod quicunque ipsum Gregorium [et filios] Mathie ratione eiusdem terre infestare attemptaverit, iidem filii Odola tenebuntur expedire propriis laboribus et expensis; et similiter quicunque filios Odola ratione dimidietatis terre prenotate infestaverit, Gregorius et filii Mathie ipsos in suis accionibus et causis tenebuntur adiuuare. Si quis autem ex ipsis de presenti forma pacis resilierit, et hoc pars se defendens per scitum comitis Benedicti et comitis Stephani filii Jaco, Johannis filii Otholini, et Nicolai filii Izdizlai, et capituli pro utraque parte approbare poterit, quinquaginta marcas ante litis ingressum parti se defensanti, et quinquaginta marcas iudici solvere tenebitur. Mete autem terre, quam filii Odola Gregorio et filiis Mathie contulerunt, hoc ordine distinguntur: Prima meta incipit in portu sub domo Nicolai de Orioicha, et inde vadit ad orientem in medio cuiusdam feneti et terrarum arabilium tendens ad . . . . . et pervenit ad metam Horuskoch, et separatur de terra comitis Nicolai commetanei ipsius Gregorii, et per berch eundo . . . . dirigitur usque terram ecclesie sancti Michaelis, et cadit in siccam vallem ad partem occidentalem, pervenit ad flu[uium] . . . . . . . et ipsum Orioicha pervenit ad portum supradictum, ibique

terminatur. I[n cuius re]i memoriam firmitatemque perpe[tuam pre]s[entes] eidem Gregorio concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum in festo apostolorum Philippi [et Jacobi], anno domini M°CC°LXXX° tertio.

*Original u kr. ug. drž. arkivu u Budimpešti: M. O. D. L. no. 1144. — Stara sign. N. R. A. fasc. 333 no 20. Na listini nalazi se svilena vrvca crvene, žućkaste i zelene boje; pečata nema. Listina je na desnoj strani vlagom oštećena.*

*Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 406.—407.*

## 364.

**1283, 5. maja. U Dubrovniku.**

*Testamenat Rade Magero.*

Die V. madii, Ragusii, coram nobis subscriptis testibus. Ego quidem Rade religiosa filia condam Pancracii de Magero, sana corpore, compos mentis, facio testamentum de omnibus rebus meis mobilibus et immobilibus, et constitutuo meos pitropos presbyterum Michaelem de Veso patrem meum spiritualem et thesaurarios ecclesie sancte Marie maioris. In primis uolo, ut tercia pars domus, que uenit mihi in partem de patrimonio patris mei et matris mee, et tercia pars similiter vinee de Juppana, que mihi uenerit in partem de dicto patrimonio patris mei et matris mee, vendantur et de precio uendicionis earum dentur recta decima et primicia. Item uolo, ut dentur yperperi quadraginta quinque pro missis celebrandis Item monasterio sancti Michaelis monialium denarios grossos decem et octo, et aliis monasteriis feminarum denarios grossos sex pro quolibet; fratribus Minoribus denarios grossos duodecim, Predicatoribus denarios grossos duodecim: clericis sancte Marie maioris ecclesie, ubi debeo iacere yperperos quatuor, prenominato Michaeli patri meo spirispirituali yperperos sex. Item habeo racnas sex, culcidram unam de pennis, capitale unum de pennis, coopertorium unum, plumasia quatuor, tunicas sex, sclauinas duas, antiphonarium unum, ymnarium unum, capsellam unam et etiam capsellam unam paruam, galetam unam pro aqua, par unum de camastris, aybolam unam, caldariam unam lobetem unum de marmore, lucernam unam de ferro, et mortarium unum de petra, que omnes predicte res debeant uendi. Item habeo oraria duo, de quibus unum dispensetur per ecclesias pro corporalibus, et aliud uendatur cum predictis rebus et precium predictarum rerum

addatur precio uendicionis dictarum parcium mearum domus et uinee, et distribuatur, ut predictum est. Et si remanserit aliquid de precio uendicionis dictarum possessionum et rerum, detur pro anima mea; et si inueniretur aliquid de pecunia mea post mortem meam, detur similiter pro anima mea. Et si defieret aliquid de predictis, pitropi mei teneantur se ad illud, quod post mortem meam inuentum fuerit, et detur cuilibet expediens munus per racionem, si aliquid deficeret. Hoc autem testamentum nullo testimonio rumpi possit. Hii sunt testes: Vitalis Binzola iuratus iudex.

*Diversa cancellariae 1282.—1284. u dubrovačkom arkivu.*

## 365.

**1283, 25. maja.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski vraća Petru banu grad Garić i njegov posjed.*

[L]adizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in omnium saluatore. Regalis excellencie in . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . prospicua eo in se pocius recipit incrementum, quo fidelium merita condignarum remuneracionum presid . . . . . . . . . . . . . . . . . . . Proinde ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod cum Petrus banus tocius Sclauonie filius comitis Benedicti [magistri pincer]narum dilecti . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . adolescencie sue temporibus . . . . . . . . . . . . . . . . . . Stephano patri nostro karissimis, felicissimis regibus Hungarie inclitarum recordacionum, et nobis demum . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . deuota fidelitatis . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . sui multiplicitatem nequeunt per singula suo modo enarrari, quedam tamen de gestis eius . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . presenciam et memoriam . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . notari Primum cum quedam ciuitas nostra Tyrnensis nobis in etate tenera constitutis se a nostro seruicio retrahere, et regi Bohemie, nostro et regni nostri inimico . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . potencialiter, ad recuperandam dictam ciuitatem nostram, vna cum quibusdam baronibus et regni nostri nobilibus accessisssemus, idem Petrus banus in expugnacione eiusdem . . . . . . . . . . . . dum

viriliter dimicaret, duo dentes ipsius per emissionem sagitte aduerse partis sunt euulsi. Item cum Joachinum tunc banum tocius Sclauonie fidelem nostrum, et ipsum Petrum banum una cum eodem ad coercendas seu compescendas ferocitates Croatice gentis, qui elata obstinacione contra nostre maiestatis culmen cum quibusdam . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . fortiter insurrexissent, idem Petrus banus pro fidelitate corone regie debita, ut miles streunus in aduersam irrueus aciem dira et inmania . . . . . . . .
inter ceteros aliquis Fynta filius David crimen lese maiestatis incurrens, et nostre cum quibusdam suis complicibus ac fautoribus voluntati contraire non pauescens . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . sset in ipsius castri expugnacione adeo militaribus actibus et diro preliorum examini se immiscuit et ingressus est, quod per multitudinem lapidum
. . . . . . . . . . . . . . . ab area certaminis extitit exportatus. Nec hoc pretermittimus, quod cum in castrum nostrum Jauriensem(!) per Teutonicos occupatum expugnari regali for . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
dicti Petri bani hostibus ex aduerso positis strenue se opponens, dira et grauia recipiens wlnera s . . . onem mente conceptam sub . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . strauit proprio sanguine lubricatus. Nos itaque, cuius inest proprium, merita fidelium ex officio . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . eriscere . . . . . . . . . . . et que ad presens regiminis . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . respectu eorum, que facere intendimus, ut meretur, possessionem Garyg vocatam [vna cum] castro ac aliis vtilitatibus et pertinenciis suis vniuersis . . . . . . . . prout ex relacione baronum nostrorum et regni nobilium nobis constitit, et ab eo alienata indebite . . . . . . . . . . et iniuste, ipsi Petro bano et . . .
. . . . . . . . . . heredibus et heredum suorum successoribus reddidimus et restituimus atque donauimus nec non contulimus iure perpetuo pacifice et quiete sub eisdem metis et terminis, quibus in antea limitata fuerat et possessa, a iurisdiccione seu potestate banatus pro tempore constituti omnino eximentes. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti viri magistri Bartholomei prepositi Scepusiensis aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno domini M°CC°LXXX° tercio, octauo kalendas iunii, indiccione vndecima, regni autem nostri anno vndecimo.

*Original veoma trošan i zaprljan u arkivu knezova Batthyány, s visećim dvostrukim kralj. pečatom na svilenoj vrvci žute i crvene boje. — A. V. L. I. no. 44. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 386—387. — Kukuljević Reg. no. 1342.*

## 366.

**1283, 29. maja.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski potvrdjuje darovnicu kralja Bele i Stjepana Dominiku županu Vukovskom za Ilok.*

Ladizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presencium paginam inspecturis salutem in vero salvatore. Quia reges quosque ex suscepto regiminis officio decet, ut predecessorum suorum donaciones quasque provida et matura deliberacione quibuslibet suorum fidelium factas et admissas, ac virtuosis radicibus fundatas uel stabilitas, suorum(!) dignentur celsitudine confirmare, ut sic ipsorum successores nichilominus exemplo predecessorum suorum invitati, ad similia benignitatis et suavius recipiant in exemplum. Ergo ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod nobilis vir Dominicus comes de Wlko, filius videlicet Petri de genere Chak dilectus et fidelis noster, ad nostram personaliter accedendo presenciam, exhibuit nobis instrumenta seu privilegia serenissimi principis domini Bele avi nostri, demumque victoriosissimi regis domini Stephani genitoris nostri, piarum recordacionum illustrium regum Hungarie, super omnibus donacionibus sibi per eorumdem regum providenciam facta et emanata, specialiter autem super possessione Ypoliti nepotis Mohar, nostro autem wlgari Moharunu Kaya vocati, in qua quidem possessione ex parte orientis in villa Wylok vocata ad honorem omnium sanctorum, et ex parte occidentis ad honorem beati Thome apostoli, in commetaneitate possessionis Gara vocate ecclesie lapidee essent constructe; petens a nobis diligenti precum instancia, ut nos easdem ratas, gratas atque firmas habentes, nostris litteris privilegialibus regia benignitate inclinati dignaremur confirmare, inter quas eciam comperimus prefatam possessionem ipsius Ypoliti Wylok vocatam pro annunciacione gaudii nativitatis nostre per eumdem dominum Belam avum nostrum karissimum ipsi magistro Dominico datam esse et donatam Et quia nos inspeximus et multo temporis curriculo vidimus oculo regie pietatis nullum penitus sibi contradictorem super hoc existere, ideo ratificavimus et approbavimus prefatas donaciones sibi, et per eum suis successoribus ad heredum heredes de certa sciencia nostra perpetuo et irretractabiliter pacifice et quiete habere, tenere et possidere, consensu videlicet omnium venerabilium prelatorum et fidelium baronum regni nostri ad hoc nichilo-

minus accedente. Vt igitur huiusmodi donacionis sive confirmacionis series robur perpetue firmitatis obtineat, nec ullo unquam tempore retractari valeat aut in irritum quomodolibet revocari, presentes concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis patris domini Thome episcopi Vaciensis aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno incarnacionis dominice MCC octuagesimo tercio, quarto kalendas iunii, regni[1] autem nostri anno nono[2].

*Iz novoga zbornika dipl. Fr. Széchényia in fol. vol. I. 475.—479. u narod. muzeju u Budimpešti.*

*Prepisač veli, da je pečat vrlo oštećen.*

*Fejér Cod. dipl. Hung. V. vol. 3., 150.—152. — Kukuljević Reg. no. 1343.*

## 367.

**1283, 7. juna. U Nikoteriji.**

*Kralj Karlo dozvoljuje nadbiskupu dubrovačkomu izvoz žita iz Barolija.*

Carolus illustris Jerusalem et cetera. Cum uenerabili patri archiepiscopo Ragusino ad petitionem illustris regine Seruie carissime cognate nostre, exibendi de portu Baroli frumenti salmas trecentas ad salmam generalem ferendas ad predictam terram Ragusie per mare pro usu suo et familie eius licentiam duxerimus concedendam, deuotioni tue precipimus, quatenus recepto prius ab enuntio dicti archiepiscopi ydonea fideiussoria cautione, quod predicti frumenti quantitatem non alio quam ad predictam terram Ragusie deferat, quodque de ipsius exoneratione a potestate uel rectore seu consulibus eiusdem terre in conpetenti termino sibi parte iuxta loci distantiam prefigendo, ydoneas sub sigillis eorum tibi deferat responsales; deinde nuntium ipsum predictas salmas frumenti trecentas de predicto portu Baroli cum aliquo uascello ydoneo et sufficienti, capacitate quantitatis eiusdem libere et sine aliquo iuris exituro exibere permitatis ferendas ad dictam terram Ragusie pro vita et sustentatione ipsius archiepiscopi et eius familie, ut superius est expressum. Forma tamen super huiusmodi uictualium extractionibus uel per regalem curiam tradita in omnibus et per omnia inuiolabiliter obseruata, attencius

---

[1] Pisano u kod.: regine.

[2] Sic! valjda u originalu bilo rim. brojkom XI. pak čitano: nono.

prouisurus, ne pretextu presentium maior uel alia frumenti seu alia uictualium uel leguminum quantitas ex predicto portu Baroli in fraudis cursu aliquatenus exhibeatur, sicut persone tue periculum et rerum dispendium desideras euitare. Datum Nicotere, anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo tertio, die septimo iuni(!), undecime indictionis.

*Ova je listina izvadjena iz originalne listine općine Baroli, datirane g. 1287. 7. marta. U dubrovačkom arkivu. — Zbirka Saec. XIII.*

## 368.

**1283, 29. juna. U Klobučcu.**

*Pred Pavlom banom i bratom njegovom i mnogim velikašima hrvatskim tuže se Trogirani na Spljećane i Šibenčane, što na njih nepravo ratuju.*

In nomine domini dei aeterni. Anno eiusdem nativitatis 1283, indictione XI., die martis 2 exeunte iunio, in ecclesia sancti Petri de Clobucich in pertinentiis Tragurii. Tempore domini Ladislai serenissimi regis Hungariae, et domini Gregorii venerabilis in Christo patris episcopi Traguriensis, et Francisco Falerii de Venetiis honorabilis potestatis Traguriensis paesentibus . . . . . . qui dicitur Elga . . . . . et Martino de Jadra, et aliis pluribus; ibique dominus Gregorius vir prudens, religiosus, honestus olim abbas monasterii ecclesiae sancti Joannis de Tragurio, actor, sindicus, yconomus et procurator communis Traguriensis, ut constat, asserens asserendo cum protestatione protestatus est in presentia dominorum bani Pauli, fratrumque suorum et aliorum quam multorum nobilium et magistratuum Sclavoniae ibidem praesentium et audientium protestationem, quam dictus dominus Gregorius nomine, vice et pro parte communis Tragurii protestatus est coram praedictis dominis et aliis super facto vero Spalatensium et Sibenicensium, quod tam per mare quam per terram ipsae communitates cum exercitu et armata manu hostiliter veniebant et civitatem Traguriensem offendere intendebant contra deum et iusticiam nulla rationabili causa interveniente, quia communitas Traguriensis semper fuit et est, et esse vult in ea pace, arbitrio, iudicio, concordia et sententia, quam olim nobiles viri dominus comes Georgius, dominus Domaldus de Zadulinis, et quondam dominus Silvester de Cotopangna de Jadra, amicabiles compositores, arbitratores, iudicatores, sententiatores et pronunciatores sententiaverunt, iudicaverunt atque ordinauerunt, et velut per eorum compromissum exinde factum extitit inter

communitates praedictas per manus Vincentii Jadrensis tabellionis et sigillatoris sigillis pendentibus dominorum praedictorum viso et lecto per notarium, si praedictae communitates Spalatensis et Sibenicensis damnum aliquod mittere voluerunt praedictae communitati Traguriensi ad d[ictam] communitatem Jadracensem et commune ipsius civitatis Jadre dicta communitas Traguriensis vult habere recursum, ut per ipsum dominum comitem et commune ipsius civitatis Jadre in hac parte Traguriensis civitas tutetur, prout ipsa civitas fideiussit, et ipsa communitas civitatis Spalatensis et Sibenicensis dicto domino Gregorio in hunc modum breviter responderunt, scilicet, quod nullam pacem neque pactum appositam et appositum attendere nec observare volebant, immo odium, guerram cum Traguriensibus volebant, et . . . . quam protestationem facere intendebant, videns et audiens dominus Gregorius eorum ostinationem, et quod protestatio non valebat, deum et suos sanctos, et dominum regem Ungariae interpellavit, verum ad cautelam dicti communis Traguriensis hanc protestationem et commissionem[1] facta publice et introducta est. Ego Albertus quondam domini Millani de Padua domini Petri Canis communi imperiali auctoritate notarius interfui, et his visis et auditis scripsi.

*Lucius Memorie di Traù 114. — Farlati Ill. sacrum IV. 360. donosi sadržaj. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. IX. 372—373. — Kratki regest u Fejér Cod. dipl. Hung. VII. vol. 4, 189. — Kukuljević Reg no. 1344.*

## 369.

**1283, 3. jula. U Trogiru.**

*Svjedoče očevidci o provali Spljećana u Trogirsko polje.*

In Christi nomine amen. Anno nativitatis eiusdem 1283, die sabati, tertio mensis iulii, XI. indictione. Temporibus domini Ladislai dei gratia, serenissimi regis Hungarie, venerabilis patris domini Gregorii dei gratia Traguriensis episcopi, et nobilis viri Francisci Faletri de Venetiis potestatis Traguriensis. Ibique domini Stanus de Varicas de Jadra, Damianus filius eius et Simon de . . . . Micha de Clemente de Jadra, Damianus de Pr . . . . de Jadra, Creste filius Prodani de Arbo, Rainerius filius Petri de Cega, Qualissa Matthei de Jadra, et Dessa de Yvan de Jadra asserentes asserendo dixerunt et testificati sunt in salutem animarum suarum et in ea veritate que Christus est, et ad fidem eorum deo exhibitam, quod viderunt Spalatenses et Sibenicenses venire per mare, et homines equiter de Spalato cum eorum lignis et barchis, et descendere

[1] Ima biti: haec protestatio et commissio.

in terra et venire in campo Traguriensi et inciderunt et destruxerunt omnes arbores et vineas cuiuscumque generis, et ponere ignem, cum exercitu magno et cum vexillis etiam elevatis hostiliter et per duas dies et plus guastum fecerunt in campis et vineis Traguriensibus, mettentes etiam bladum, et omne malum, quod facere potuerunt, unde ad cautelam communis Traguriensis factum est exinde hoc presens publicum testimoniale scriptum. Actum Tragurii, presente domino Nicolao de Venetiis milite dicti domini potestatis, magistro Marino Giurgino de Jadra, Adam Salmario, Alberto de Padua tabellione, Simone quondam Marini comitis, Mattheo de Pasche camerario, et aliis, et domino Dessa Duymi, et domini Nicolao Casocti examinatoribus. Ego Nicolaus Kasotto examinator manum meam mitto. Ego Santonus Traguriensis iuratus et confirmatus notarius scripsi hoc instrumentum, quia hiis omnibus rogatus interfui, et meo solito signo signaui.

*Lucius Memorie di Traù 114—115. Kratki regest u Fejér Cod. dipl Hung. VII. vol. 4. 189. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. IX. 375—576. — Kukuljević Reg. no. 1345.*

## 370.

**1283, 27. jula. U Zagrebu.**

*Pred kaptolom zagrebačkim uzimlju neki stanovnici iz dolnje Jamnice kneza Radoslava Babonića za svoga zaštitnika.*

Capitulum ecclesie Zagrabiensis vniuersis quibus expedit presens scriptum salutem in domino Ad vniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod constitutis in nostri presencia personaliter ab vna parte Radozlao comite filio Stephani comitis filii condam Baboneg, ab altera uero Herga, Began, Jurizlau filii Bratozlai, et Stawlen filius Radozlai de generacione inferior Jamnicha nuncupata, pro se et pro tota generacione ipsorum confessi sunt in hunc modum, quod cum ipsi presidii seu tuicionis solacio propter paucitatem ipsorum incumbente necessitate temporali indigerent, prefatum comitem Radoslaum et eiusdem successores receperunt et assumpserunt de communi consensu et pari uoluntate in protectores et defensores suos speciales, conferentes, tradentes et assignantes eidem comiti Radozlao et suis heredibus heredumque suorum successoribus pretextu tuicionis huiusmodi quandam porcionem possessionum suarum hereditariarum inter ipsos habitam et existentem, videlicet terciam partem tocius generacionis eorum infe-

rioris Jamniche antefate cum omnibus appendiciis et vtilitatibus, prouentibus et fructibus suis vniuersis, contulisse eidem comiti Radozlao et heredibus suis irreuocabiliter iure perpetuo, pacifice et quiete possidendam, tenendam pariter et habendam Hoc tamen interiecto, quod sepedictus comes Radozlaus assumpsit in omni necessitate eorum a cunctis indebite eciam molestare volentibus fideliter vti protector defendere, protegere et pro posse tueri, nihilominus illesa imo et conseruata Herga et proximorum suorum nobilitatis libertate. Vt igitur huiusmodi ordinacionis seu donacionis series robur obtineat perpetue firmitatis, et processu temporum nequeat aliqualiter in irritum reuocari, ad instanciam parcium predictarum literas nostras sigilli nostri munimine roboratas concessimus ad cautelam. Datum tercio die post festum beati Jacobi apostoli, anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo tercio.

*Iz originalne potvrde slavon. bana Ladislava Egervára od g. 1493. medju listinama blagajskim u ugarskom narodnom muzeju u Budimpešti. — Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont. IX. 367.—368. — Thallóczy és Barabas Codex dipl. com. de Blagay 13—14. po prijepisu kaptola zagreb. od g. 1367 4. maja ponovno prepisana god 1380. 4. decembra. — Kukuljević Reg. no. 1346*

## 371.

**1283, 27. jula. U Dubrovniku.**

*Darivanje posjeda u Kotoru.*

Die XXVII. iulii, Ragusii etc. Dause filia condam Calende de Lamprino vxor olim Palme de Gangulo ostendit duas cartas notariales vnius quarum tenor talis est: Anno incarnationis domini millesimo ducentesimo sexagesimo, mensis ianuarii XI. die intrante Ragusii. coram nobis suprascriptis testibus. Ego quidem Calenda Triphonis de Lamprino confiteor, quoniam omnes possessiones nostras quas habeo in ciuitate Catari et in pertinenciis eiusdem ciuitatis, videlicet domum casalem et stacionem meam que est in media domo fratris mei Gauzoli prope sanctam Mariam de Flumine, et omnes terras meas que sunt in Dabrat cum omnibus pertinenciis earum dedi nepti mee Belle filie Dausi filie mee pro helemosina, ut habeat ad memoriam animarum meorum mortuorum, et dictas possessiones et pertinencias earum prenominata Bella in perpetuum habeat et possideat et de ipsis suum uelle faciat. Ego autem Boni vxor prenominati Calende volo et consencio, ut omnia hec pre-

dicta predicto ordine in perpetuum sint firma prenominate Belle nepti mee. Hec autem carta nullo testimonio rumpi possit. Hii sunt testes: Andreas Symeonis Benesse iuratus iudex. Et ego presbyter Pascalis et comuni Ragusii notarius scriptor sum et testis. Alterius uero carte tenor talis est: In Christi nomine. Anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono, indictione septima, die penultimo mensis aprilis, Ragusii, coram nobis subscriptis testibus. Nos quidem Dause filia condam Kalende de Lamprino vxor Palme de Gangulo, et Bella filia dicti Palme et dicte Tause(!) confitemur, quod damus et concedimus dicto Palme omnem et plenam potestatem et auctoritatem de toto patrimonio nostro, de domibus, casalibus, vineis et terris et omnibus possessionibus cum suis pertinentiis positis in Cataro et districtu Catari, que fuerunt dicti Calende, ut ipse Palma dictas possessiones possit loco et nomine personarum nostrarum intromittere, recipere, affictare, dare, donare, uendere, impignorare, alienare et omnia facere que eidem Palme placuerit, sicut nos possumus facere si presentes essemus, et obligamus nos super nos et super omnia nostra bona, quod habebimus perpetuo firmum et ratum quicquid dictus Palma circa predicta duxerit faciendum. Hec autem carta nullo testimonio rumpi possit. Hii sunt testes: Mathias de Menze iuratus iudex. Et ego Thomasinus de Sauere sacri palacii et comunis Ragusii iuratus notarius interfui testis et rogatus scripsi et roboraui. Quas duas cartas notariales suprascriptas dicta Dause dedit Dragoni Balduini de Cataro tali uidelicet ordine, quod ego dictus Drago promitto et obligo me dicte Dause, quod quandocunque dicta Dause uel quicunque pro ea fuerit uoluerit dictas cartas pro utendo iure suo cum dictis cartis, debeo ei dictas ambas cartas dare sine aliqua questione, et si non darem ei dictas cartas, ut predictum est, et aliquod dampnum ei acciderit occasione predicta, obligo me super me et super omnia mea bona ei satisfacere de omni dampno quod ei acciderit occasione predicta. Et silicet ego dicta Dause obligo me dicto Dragoni, quod in continenti, cum usus fuerit iure meo cum dictis cartis, debeo ipsas restituere dicto Dragoni uel cuicunque(!) pro eo fuerit sine aliqua questione, et si non restituerem ei dictas cartas, ut predictum est, et aliquid dampnum sibi acciderit occasione predicti, obligo me super me et omnia mea bona ei satisfacere de omni dampno, quod ei acciderit occasione predicta. Hii autem sunt testes, Grubessa de Ragnana iudex.

*Diversa cancellariae 1282—1284 u dubrovačkom arkivu.*

## 372.

**1283, (prije 1. augusta.)**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski razdjeljuje posjede Rolanda bana medju njegove nasljednike.*

Ladislaus dei gratia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris presens scriptum inspecturis salutem in omnium salvatore. Ad universorum igitur noticiam harum serie volumus pervenire, quod cum nobiles viri magistri Rolandus et Deseu filii Leustachii, Dominicus et Ladislaus filii Stephani, Reynoldus et Nicolaus filii Olyverii de genere Ratoldy, magistrum Mathiam filium Rolandi bani de eadem generatione Ratold super facto dissipacionis et alienacionis possessionum suarum ad nostram regiam specialem presenciam in causam attraxissent, et ipsa causa diucius coram nobis extitisset ventilata, tandem ut omnis livor discordie et rancor invidie de medio ipsorum extirpetur, et pulchritudo pacis glorietur et se fraterne dileccionis affectu amplecti possint et valeant, optenta a nostra regia maiestate licencia partes in nostri presencia personaliter comparentes taliter se dixerunt concordasse, quod universas possessiones ipsorum hereditarias, empticias, acquisitas et quovis titulo ad ipsos devolutas perpetuo inter ipsos divisissent eo modo: *(Posjedi u Ugarskoj)*. Item universae possessiones in comitatu de Posoga existentes cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis; item castrum hungarice Nagykemluk vocatum, inter fluvios Drava et Sava vocatos in Sclavonia existens, simul cum omnibus prediis et possessionibus ad ipsum castrum pertinentibus ac earum utilitatibus universis. *(Posjedi u Ugarskoj)*. Obligantes se partes premissa sua spontanea voluntate, quod si quispiam ipsorum temporis in processu possessiones ab ipsis alienatas vel aliquam earum reacquirere, reinvenire vel rehabere poterit quoquo modo, extunc eas inter se dividere equaliter tenebuntur et partiri. Hoc non pretermittentes, quod si quis ipsorum vel eorum heredum aliquid in posterum de divisione vel ordinacione premissa vellet seu intenderet in irritum retractare, eo facto calumpnie pena mereretur et deberet publice irretiri. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem presentes ad peticionem parcium concessimus litteras nostras privilegiales duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti viri magistri Bartholomei aule nostre vice-

cancellarii dilecti et fidelis nostri, anno domini M°CC°LXXX° tercio, regni autem nostri anno undecimo.

*Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont. XII. 382.—384. — Pogrešno izdao Fejér Cod. dipl. Hung V. 3. 174. fragmentarno VII. 2. 199—102. — — Kukuljević Reg. no. 1354. i 1355*

## 373.

**1283, 7. augusta.**

*Mir između kneza Petra moslavinskoga i kneza Stjepana i brata mu Tome.*

Nos Tymotheus miseracione divina episcopus Zagrabiensis memorie comendantes significamus quibus expedit universis, quod nobilibus viris comite Petro de Monozlo ab una parte, com te Stephano pro se et Thoma fratre suo ab altera coram nobis personaliter constitutis, dixerunt et protestati sunt super dampnis et iniuriis, occisionibus hominum, mutilacionibus membrorum, vulneribus ac destruccionibus possessionum, capcionibus de personis propriis Petri videlicet et Stephani ac aliis inimiciciis et iniuriis hinc inde exortis, factis et illatis, spotanea et concordi seu unanimi voluntate in plenam se pacis unionem et concordiam devenisse. Thomas eciam supradictus coram capitulo Chazmensi personaliter constitutus presentis pacis ordinacioni et composicioni consensum tribuit et assensum, prout in litteris ipsius capituli vidimus continere videlicet, quod de cetero ullus eorum alteri machinabitur aliquam inferre iniuriam, per quam posset mortem vel periculum . . . . . incurrere vel rerum dampnum et iacturam, nec non capcionem personarum hinc inde attemptare, et quod unus alterius iobagiones aut servientes non recipiet in alterius preiudicium et gravamen; quod ullus eciam ipsorum deinceps machinabitur de occupacione vel amissione castrorum suorum facto vel consilio per se vel per alios quoscunque, ymo promiserunt se ad invicem diligenter[1] et manutenere cum omni animi sinceritate bona fide et tacto nichilominus vivifice crucis signo sacramentum prestiterunt, quod omnia premissa inviolabiliter attenderent et servarent singula premissorum, et si quis quam nobilium predictorum recidive machinacionis seu concitacionis carbones inpudenter seu maliciose forsan attemptaret, incidet in penam amissionis omnium bonorum suorum mobilium et immo-

[1] Svakako: diligere.

bilium ac se movencium tam in Hungaria quam in Sclavonia sine aliquo strepitu iudicii, tam eciam possessiones et bona in Hungaria et Sclavonia pacem et composicionem premissam infringentis cedent in ius et proprietatem partis huiusmodi pacem et composicionem iuste et legaliter observantis Incidet eciam pars non observans ipsam pacem et composicionem in sentenciam excommunicacionis seu anathematis ipso facto, quam ex nunc ut extunc pulsatis campanis, candelis accensis et extinctis de parcium voluntate proferimus in hiis scriptis secundum apostolum tradentes corpus pacem non observantis in interitum carnis sathane ad vexandum, ne spiritus eius in die domini salvus fiat, et pars similiter prescriptam composicionem non observans habeatur pro infami perpetuo ac periura et cum Dathan et Abyron, quos terra vivos absorbuit accipiat porcionem, et licet alias ex decreto beati Briccii teneamur ad peticionem . . . . . . . . . . parcium personam sepefatam pacem et ordinacionem infringentem domino nostro regi et vicariis episcopis excommunicatam fore propter causas premissas nos et successores nostri prelibatas curabimus nunciare, ut ipsa tanquam putidum membrum et ab ecclesia precisa, debeat ab omnibus arcius evitari, ut quem ad vite decora domestice . . . . . . . . . . . . . . . . . . nostra saltem compellar correccionis medicina, hanc eciam pacis et concordie unionem et ordinacionem sub forma et pena prescriptis predicti nobiles ad cognatos suos Laurencium videlicet et Egidium filios . . . . . . . . . que legitimos successores extendi unanimiter et concorditer voluerunt. Addiderunt eciam predicte ordinacioni nobiles antedicti, quod si ullo unquam tempore aliquam contencionem sive concitacionem inter ipsos . . . . . . . . articulis contingeret suboriri, iudicio nostro vel successorum nostrorum astare tenebuntur, et hoc assumpserunt sub pena trecentarum marcarum, quas pars iudicio nostro vel successorum nostrorum astare nolens solvet parti . . . . . . . . . . . . . nostrorum acceptânti. Hoc salvo, quod si nos vel successores nostros propter causas regias, vel alias causas arduas contingeret agere in remotis, loco nostri vel nostrorum successorum iudicium capituli Zagrabiensis subire tenea . . . . . . . . . . . . . tingeret nocumenti, quod absit, eisdem pronunciare teneantur sub una(!) suprascripta, prout se spontanea obligarunt voluntate. Hoc adiecto, quod omnes literas seu instrumenta inter se iuxta formam litis datas . . . . . . . datam presencium pari voluntate promiserunt mortuas sopitas et inanes, et si qua parcium ex eisdem fraudulenter reservatas, temporis quovis curriculo in lucem presentaret, sub pena supradicta haberetur pro convicto . . . . . . pretermisso, quod si quisquam nobilium predictorum super sua possessione, super qua eisdem competeret accio, super hereditate sue generacionis dividenda movere imposterum questionem, amica-

biliter et sine contencione coram iudice ad hoc competenti, in qua forsan lesam vel gravatam se sentiret, ordine iudiciario prosequetur. Ut igitur hec pacis ordinacio et reformacio firma et inconcussa perseveret, nec per aliquam parcium tractu temporum valeat retractari, temerari, turbari vel infringi, presentes sigillo nostro capitulorum Zagrabiensis videlicet et Chazmensis ac nobilis viri Nicholai bani filii Stephani bani, partes predicte postularunt consignari et ad maiorem certitudinem et robur ac huius rei evidenciam presentes eisdem . . . . . . . . . . cum unum sub custodia capituli Zagrabiensis et aliud par sub custodia capituli Chasmensis(!) conservetur, tercium par comiti Petro, quartum Stephano est exhibitum et commissum . . . . . . . . . sabbatho proximo ante festum beati Laurencii martyris, anno domini M⁰CC⁰ octuagesimo tercio.

*Cod. dipl. patrius VII. 179—182 no. 138. — Po originalu u arkivu grofova Erdödya u Galgocu. — Kukuljević Reg. no. 1347.*

## 374.

**1283, 11. septembra.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski potvrdjuje listinu kraljice Elizabete od g. 1282., kojom ova zamjenjuje svoj posjed Vrbovu sa knezom Benediktom Joankinim za posjed njegov Podgorje i 200 maraka.*

[L]adizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris presens scriptum inspecturis salutem in domino saluatore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod comes Benedictus filius comitis Joance ad nostram accedens presenciam exhibuit nobis priuilegium matris nostre karissime E[lizabeth] dei gracia regine Hungarie super concambio possessionis sue Podgorya confectum, petens cum instancia, vt idem priuilegium ratificare, approbare et nostro dignaremur priuilegio confirmare. Cuius quidem priuilegii tenor talis est: *(Slijedi listina kraljice Elizabete od g. 1282.)* Nos igitur tam iustis peticionibus ipsius comitis Benedicti inclinati, eo quod contractum permutacionis seu concambii iuste et legitime inuenimus celebratum, quia eciam ex nostro beneplacito et requisito ac expresso consensu nostro et mandato est debitum ipse contractus sortitus effectum, ac quantitas pecunie prenotate, videlicet ducentarum marcarum in regiam

uersa est vtilitatem, fauore debito prosequentes auctoritate maiestatis regie ipsum priuilegium de uerbo ad uerbum presentibus inseri faciendo ratificamus, approbamus, conlaudamus et iure perpetuo confirmamus. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem presentes concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roborando. Datum per manus discreti viri magistri Bartholomei prepositi sancti Martini de Scepes aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri anno domini M°CC° octuagesimo tercio, tercio idus septembris, indicione vndecima, regni autem nostri anno duodecimo.

*Iz originalnog prijepisa požeškog kaptola od god. 1370 9. januara u kr. ug. drž. arkivu u Budimpešti: M O. D. L. no. 33.731 Stara sign. N. R. A. fasc. 1503. nó 23.*

*Fejér Cod. dipl. Hung. V. vol. 3 163—164 — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. IX. 358. spominje ovu potvrdu u regestu listine od god. 1282; jednako Kukuljević Reg. no. 1357.*

## 375.

**1283, 13. septembra. U Zadru.**

*Domaldo Zadulin, gradjanin zadarski, izjavljuje, da je primio u čuvanje trideset libara od stranca liječnika Mandicija.*

In Christi nomine. Anno incarnacionis eius millesimo ducentesimo octuagesimo tercio, mensis septembris die tercio decimo intrante, indicione duodecima, Jadre. Temporibus domini Johannis Danduli incliti ducis Venecie, et magistri Laurencii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Gabrielis Michaelis egregii comitis. Ego Domaldus Çadulinus ciuis Jadrensis cum meis heredibus et successoribus presenti publico scripto facio manifestum me recepisse et habere intus in ciuitate Jadre in deposito siue in recomendacione a fratre Mandicio nunc Jadre, quasi peregrino et medico existente, qui olim abbas fuerat in Apulia monasterii sancte Marie de Colonia Tranensis diocesis, libras triginta quinque bonorum denariorum grossorum uenetorum completas et bene numeratas tali conditione, ut bona fide et absque alicuius calumpnie scrupulo quacumque die ipse frater Mandicius peregrinus et medicus uel eius successor uoluerit et pecierit a me uel a meis heredibus seu successoribus suam pecuniam supradictam mihi recomandatam, statim aut ad plus infra unius mensis spacium integram sibi uel suo nuncio aut successoribus suis reddere tenear, obligans me meosque heredes et succes-

sores comuniter et diuisim per singulos super omnia bona nostra mobilia et immobilia, si contra predicta fecero uel pecuniam ipsam amplius quam supradictum est, scilicet ultra unius mensis spacium retinuero, sub pena dupli et omnium expensarum factarum et faciendarum in curia uel extra curiam secularem aut ecclesiasticam usque dum dicto fratri Mandicio medico et peregrino, si presens erit uel procuratori suo tam ipso presente quam absente aut successoribus suis de dicto suo deposito plene et integraliter per nos fuerit satisfactum, cum licencia pignorandi et constringendi omnia bona mea et heredum ac successorum meorum in proprio foro uel alieno, non obstante consuetudine aliqua seu consuetudinibus, statuto uel statutis, quibus me tueri possem et presenti instrumento in aliquo uel aliquibus obuiare. Qua pecunia ut predictum est per me uel heredes aut successores meos eidem fratri Mandicio medico et peregrino uel procuratori suo aut eius successoribus plene et integraliter absque diminutione aliqua restituta, presens instrumentum debet mihi restitui uel alia quietationis et securitatis carta fieri per ipsum fratrem Mandicium uel eius procuratorem seu successores eorum. Actum est hoc et firmatum coram his uocatis et rogatis testibus, scilicet: Jacobo de Gaia et Grisogono de Butouano.

*(Drugi rukopis).*

† Ego Matheus de Nasse examinator manum missi.

Ego Vitus Jadrensis archidiaconus et notarius interfui rogatus, ut audiui hanc cartam scripsi, roboraui et signo consueto signaui.

*(Monogram not.)*

*Original u gubern. arkivu u Zadru, odio samostana sv. Kršićana capsul. XIII. no. 149.*

## 376.

**1283, 19. oktobra. U Zadru.**

*Mahača udova iza pokojnog Ivana Radoslava izjavljuje, da je primila stopedeset libara od Lampredija Preste, svoga zeta, kao dio iza svoga muža.*

In nomine domini amen. Anno incarnacionis eius millesimo ducentesimo octuagesimo tertio, mensis octubris, die tertio decimo exeunte, indicione duodecima, Jadre. Temporibus equidem domini Johanis Danduli inclìti ducis Venecie, et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archi-

episcopi, ac domini Johanis Conthareni egregii comitis. Ego namque Machaça filia Stephany Martinussii et vxor quondam Johanis Radoslaui de Crino fateor, quod pro bono pacis et concordie, et ut omnis his questio ac controuersia hinc retro habita inter me et te quidem Lampredium Preste Darie generum atque comessarium ipsius Johanis viri mei soceri tui coram Jadrensi curia et Paulo bano Sclauonie excludatur, recepi a te quidem predicto Lampredio Preste Darie ciue Jadrensi de propriis denariis tuis libras venetorum paruorum centum et quinquaginta, quas mihi dedisti et persoluisti nomine ac vice Desoy filii olym predicti Johanis cognati tui mei uero priuigni. Pro quibus siquidem prefatis libris centum et quinquaginta ego prenominata Machaça pro me meisque heredibus et successoribus cedo, resigno atque renuntio omni iuri meo omnique dimissorie mihi competenti seu dimisse per testamentum eiusdem Johanis dudum mariti mei, et specialiter vinee de Polaça et quinque modiis grani et quinque modiis ordei mihi annis singulis dum vixero relictis per idem testamentum ipsius Johanis predicti. Nunc autem quomodo prelibatas libras centum et quinquaginta in me iam habeam absque defectu aliquo, volo, quod tu suprascriptus Lampredius et Desoyus filius Johanis cum omnibus iobagionibus suis exinde et . . . . . . de omnibus per omnia ac desuper omnia tam per dictum testamentum Johanis prenominati quam sine testamento a me meisque heredibus et successoribus liberi, securi, pariter et quieti in perpetuum maneatis. [Actum] est hoc et firmatum presentibus his vocatis et rogatis testibus, videlicet: Domaldo Zadu[lino], Francisco Miche de Zadulino, et Bratoso filio olym Desco.

*(Drugi rukopis).*

† Ego Johanes Varicasse examinator examinaui.

Ego Vincentius ecclesie sancte Marie maioris clericus et Jadrensis notarius predictis interfui rogatus vt audiui hanc cartam scripsi, roboraui et signo consueto signaui.

*(Signum not.).*

*Original u gubern. arhivu u Zadru, odio samostana sv. Krševana caps. III. no. 32.*

## 377.

**1283, 29. oktobra. U Pakracu.**

*Petar ban daruje svomu vjernomu knezu Benediktu Jobovu svoju djedinsku zemlju u Toplici.*

Nos Petrus banus tocius Sclauonie, comes de Barana et de Gyrzynch, et Keminus filii comitis Benedicti memorie comendantes significamus quibus expedit vniuersis presentibus iniugendo, quod cum nos quandam terram nostram hereditariam in Thoplycha existentem dilecto et fideli seruienti nostro comiti Benedicto filio Job ob merita seruiciorum ipsius, que semper nobis in omnibus causis nostris idem fideliter impendit, et quia eciam frater ipsius uterinus nomine Nicolaus in nostris serviciis propter fidelitatem suam quam nobis semper impendit fuit eciam de medio sublatus. Igitur nos circumspectis fidelitatibus et seruiciis, et propter mortem et effusionem sanguinum ipsorum propter nos, et propter omnibus seruiciis(!) ipsorum, dictam terram cum omnibus utilitatibus suis, et cum omnibus metis de uicinis nostris circumquaque separatis et limitatis, sicut nobis adiacet, dedimus, donauimus, contulimus et concessimus eidem comiti Benedicto filio Job prenotato, et per eum suis heredibus heredumque suorum in posterum successoribus nullo vnquam tempore nec per nos, nec per Keminum fratrem nostrum uterinum, vel per aliquos cognatos nostros, aut per successores nostros, irreuocabili iure perpetuo possidendam. Cuius mete tali ordine distinguntur: Prima meta incipit et egreditur de aqua Thoplycha per quendam dumum salicis, et currit alte ad partem meridionalem ad arborem pomi, de inde ad arborem narfa per quandam ualliculam, de inde ad arborem piri, et de inde per quosdam dumos iua vocatos ascendit ad montem, et intrat ad dumos auellanarum, inde exit ad dumos gumulcyn et ibi transit montem per longam metam terream et cadit per arborem pomi ad quandam vallem, et inde cadit ad aquam Dubouch et transit illam et cadit ad aliam uallem, per quam ascendit ad montem et intrat ad quosdam dumos auellanarum et gyrtan ubi sunt mete terree, inde descendit ad arborem cerasi et cadit ad riuum qui similiter Dubouch uocatur, et transit riuum per arborem byk et uadit ad arborem gyrtan, inde per unam uallicullam ascendit ad montem ubi est arbor gyrtan et uadit per quandam planiciem ad quosdam dumos nemorum et cadit in viam que est meta angularis, ubi

declinat ad occasum et ibi separat a Jacobo filio quondam Jacobi, per quam viam uadit ad arborem has, inde currit alte ad metas terreas que iuxta ipsas vias sunt elate et ibi separatur a terra Gulad, et inde uadit ad aliam metam terream exiens de ipsa via, inde vadit ad arborem gyrtan cum meta terrea circumfusa(!) et vadit per unam planiciem ad uallem que Poduzna nominatur, inde exit per quatuor arbores nar uocatas et asscendit quendam monticulum ad metas terreas, inde declinat per arborem cerasi, inde ad vnam calistam, inde ad quandam uallem, ubi est riuulus qui cadit ad aquam Dubouch, per quam descendit in aquam Thoplycha, que separat a filiis Tholyneg, et ita tendit ad priorem metam, ibique terminatur. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam priuilegium nostrum concessimus sigilli nostri munimine roboratum. Datum et actum est in Pukur, in crastino apostolorum Simonis et Jude, anno domini M°CC° octuagesimo tercio.

*Prijepis kaptola čazmanskoga od 2. novembra god. 1283. u arkivu kneza Batthyányja u Körmondu. A. V. L. III. no. 281. — Na zelenoj svilenoj vrvci visi pečat kaptola čazmanskoga.*

*Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont. XII 399—400. — Kukuljević Reg no. 1350.*

## 378.

**1283, 18. novembra. U Virovitici.**

*Elizabeta kraljica ugarska i hrvatska mati Ladislava, vraća episkopatu zagrebačkomu zanijekanu desetinu u Virovitici, Lipovčanima i županiji virovitičkoj, obriče ujedno, da neće u buduće prisvajati sebi pobiranje iste desetine.*

Elisabeth dei gracia maior regina Hungarie vniuersis quibus presentes ostendentur salutem in domino. Ad noticiam vniuersorum tenore presencium volumus peruenire, quod licet nos decimas liberarum villarum de Vereuce et Lypoa, ac tocius comitatus de Vereuce tam frugum, vini, quam marturinarum, tributorum, fororum ac portuum nostris temporibus percepimus credentes ipsas decimas ad nos pertinere, licet eciam per venerabilem patrem Thymoteum dei gracia episcopum Zagrabiensem super restitucione earumdem fuissemus sepius requisite, nec eidem acquievissemus usque ad hec tempora in hac parte. Quia tamen perquisita diligencius et comperta omnimoda ueritate nobis luce clarius constitit tam per uiros religiosos, alias personas ecclesiasticas, quam eciam laicos

fidedignos omni excepcione maiores, ipsas decimas ad ius et proprietatem dicti venerabilis patris Thymotei episcopi Zagrabiensis, ac eius ecclesie proculdubio et ueraciter pertinere. Volentes nostre consciencie consulere ac saluti, easdem decimas, videlicet frugum, vini, marturinarum, tributorum, fororum ac portuum predictarum villarum ac tocius comitatus ville de Vereuce prefato venerabili patri Thymoteo episcopo Zagrabiensi, eius successoribus ac ecclesie sue reddidimus et restituimus pure et simpliciter sine omni contradiccione pleno iure. Relinquentes et permittentes ipsum prescriptas decimas sine omni contradiccione percipere pacifice et quiete. Promittentes insuper bona fide, quod deinceps predictum dominum episcopum et suos successores ac ecclesiam Zagrabiensem super ipsis decimis non molestabimus nec paciemur per quempiam molestari Et ut hec nostra debita et salubris restitucio decimarum dicto venerabili patri Thymoteo episcopo Zagrabiensi eiusque successoribus ac ecclesie Zagrabiensi per nos facta, perpetua, inconcussa ac inuiolabilis perseueret, promittimus de inpetrandis literis karissimi filii nostri Ladizlai dei gracia illustris regis Hungarie ac eius consortis, nurus nostre predilecte, pro domino episcopo et eius ecclesia super firmitate et stabilitate prescriptorum dare operam cum omni animi sinceritate bona fide. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem presentes concessimus literas duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum in Vereuce, in octaua beati Martini confessoris, anno domini MCC octuagesimo tercio.

*Liber privileg. eppatus. Zagrab. list. 67.*

*Farlati III sacr. V. 382. fragmentarno pod god 1281. — Tkalčić Monum. episc Zagr. I. 210.—211 — Wenzel Cod dipl. Arpad cont XII. 392.—393. — Kukuljević Reg. no. 1351.*

## 379.

**1283, 26. novembra. U Zagrebu.**

*Pred kaptolom zagrebačkim obavlja se prodaja grada Lipovca.*

Capitulum ecclesie Zagrabiensis omnibus presens scriptum inspecturis salutem in vero salvatore. Ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod nobili viro comite Iwan filio Jarozlau pro se et filio suo nomine Iwan ad[h]uc in tenera etate constituto ab una parte, et Pousa serviente nobilis viri comitis Radozlai filii comitis Stephani ac Jacobo magistro notariorum eiusdem vice et nomine ipsius

domini sui ab altera in nostri presentia personaliter constitutis, idem comes Iwan dixit et confessus est viva voce, se castrum suum Lypouch vocatum cum terris seu possessionibus suis ad ipsum castrum pertinentibus universis nunc propter guerram diuturni et impacati temporis desolatis et habitatoribus destitutis, terris inquam empticiis videlicet Plesiuicha et Brazlaula vocatis, item donativis scilicet Bregana et Prilepi, Raztoca et Kulkedfeldi nominatis, ut dicebat, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis earundem terrarum, videlicet montibus, terris arabilibus vineis, silvis, fenetis et cavernis glirium vulgo pulsina dictis, nec non locis molendinorum ac aliis omnibus appendiciis contentis sub metis et terminis intrascriptis de bona, ultronea et libera voluntate sua vendidisse, tradidisse et assignasse prefato comiti Radozlao et per eum suis heredibus, heredumque successoribus iure perpetuo possidendum et habendum pro centum et quinquaginta marcis denariorum Zagrabiensium, quarum singule quinque pensas tunc temporis faciebant, de quibus centum marcas dictus comes Radozlaus per memoratos Pousam et magistrum Jacobum solvit antedicto comiti Iwan coram nobis ex integro, residuum autem, videlicet quinquaginta marcas idem comes Iwan dixit se ab ipso comite Radozlao antea recepisse et habere, assumpmens et obligans nichilominus se idem comes Iwan nec non filium suum supradictum ad expediendum dictum comitem Radozlaum et suos heredes ab omni questione, si quam super prefato castro et terris prenominatis per quempiam oriri contingeret in posterum, in propriis suis laboribus et expensis, salvis semper et integris dicto castro et possessionibus prenotatis apud ipsum comitem Radozlaum et suos heredes remanentibus pleno iure. Prima autem meta dictarum terrarum, sicut discretus vir magister Manfredus archidiaconus de Guerche concanonicus noster, qui ad reambulandum seu limitandum ipsas terras per nos fuerat destinatus et partes una cum eodem nobis retulerunt, incipit in capite aque Bregana iuxta terras nobilium de genere Priba sub plaga occidentali, inde per vallem dictam Thopina draga vadit versus orientem et exit ad metam terream, in qua est frutex keurus, inde descendit in aliam vallem dictam Lomnicha draga et per ipsam vallem tendens versus orientem venit ad locum, ubi quondam Rozech habuit mansionem, ubi etiam est meta terrea, inde procedens paululum ascendit per arbores fagi montem Dragonez et venit ad arborem bik cruce signatam, inde exit silvam ad quandam semitam, in qua per eundem montem Dragonez et per silvas fagi ad[h]uc versus orientem in magno spacio tendens venit ad arborem bik cruce signatam, que est in exitu silve, deinde vadit ad lacum Jezero dictum, deinde ad arborem cher cruce signatam, sitam in fine montis Dragonez, supradictis terris nobilium de genere Priba semper ad meridiem remanen-

tibus, ubi iam eedem terre conterminantur terris iobagionum castri de Podgoria, deinde descendens in vallem, de qua ascendit in montem Vranidol dictum et in cacumine montis per quandam semitam in magno spacio vadit versus orientem et venit ad metam terream, in qua est arbor scil, terris dictorum iobagionum castri semper remanentibus ad meridiem, ubi eciam coniungitur terra Mico filii Cherne, deinde per eundem montem venit ad frutectum gimulchyn meta terra circumfusum ubi terre Mico conterminatur terra Mare, inde iuxta terram Mare descendit ad fluvium Reka dictum et in eodem fluvio descendit inferius et exit ad metam terream versus septemtrionem, deinde in quodam rivulo Dolchina vocato ascendit ad arborem nucis meta terrea circumfusam, inde versus orientem ad arborem piri cruce signatam, inde ad arborem brekina cruce signatam, deinde ad metam terream, in qua est arbor harazt, inde descendit ad fluvium Zerulin, quem transiens directe versus orientem ascendit in montem Rauni uorh vocatum ad metam terream, in qua est arbor cher, terra Mare predicti semper ad meridiem remanente, ubi iam conterminatur terre Wlkouoy filii Vrban, inde versus septemtrionem vadit ad montem Chucoa goricha vocatum, in quo est meta terrea, inde per montem et viam antiquam vadit ad locum dictum Pogane niue, ubi est meta terrea, inde in eadem via ascendit montem et venit ad metam terream, in qua est arbor nucis, inde per eandem viam venit ad puteum Zamar, inde per eandem viam et montem Precope vocatum venit ad locum Vratzcha dictum, inde in eadem via descendit ad metam terream, que est iuxta rivulum Pissech vocatum et in eodem rivulo eundo inferius cadit in alium fluvium Gradnicha dictum, eundo inferius in eodem exit de ipso ad orientem in quandam vallem, in qua venit ad puteum Bela studenech vocatum, ubi est arbor bik cruce signata et ibi eedem terre Wlkouoy et suorum proximorum remanent ad orientem et ibi conterminantur terre Domah et suorum proximorum, iobagionum castri de Oclich, inde per quandam viam tendit versus septemtrionem et venit ad arborem bik cruce signatam, inde in eadem via ad arborem cher cruce signatam et meta terrea circumfusam, inde per eandem viam venit ad Kamenna goricha, ubi est arbor cher cruce signata, terris Domah et suorum proximorum ad orientem remanentibus, et ibi conterminantur terris de Zamobor, inde per vallem, que dicitur Machca descendit versus occidentem ad fluvium Gradnicha et transiens eum in quodam rivulo Chernchech vocato ascendit iuxta montem Chernch versus occidentem et venit ad arborem piri meta terrea circumfusam, inde ad montem Pozorin et per quandam semitam in longitudine ipsius montis tendit versus septemtrionem et venit ad arborem bik cruce signatam, que est in fine ipsius montis, inde per eandem semitam descendit ad

metam terream, in qua est frutex reketie, que est iuxta aquam Gradna, inde per aquam Gradna tendit inferius, exit ad metam terream, que est iuxta viam, inde per eandem viam ascendit montem Voroh dictum versus septemtrionem et pervenit ad caput aque Bizturch, in qua descendit et venit in aquam Bregana, ubi nunc eadem aqua Bregana recepta de proprio alveo currit per fossatum, inde descendens per ipsam aquam cadit in fluvium Zaua, terris de Zamobor semper ad orientem remanentibus, et per eundem fluvium Zaua vadit superius, ubi aqua Bregana quondam cadebat in Zaua prope ecclesiam beate Elene, quadam insula Corrardi filii Radozlo iure salvo eidem remanente, et sic mete supradictarum terrarum terminantur. Astiterunt autem coram nobis personaliter universi proximi prefati comitis Iwan, videlicet Petrus filius Herenk, Jacobus filius Berizlai, Herricus, Iwan et Paulus filii Vinter, qui vendicionem prefatam habitam inter partes habentes firmam et ratam concorditer admiserunt. Preterea vicini et commetanei dictarum terrarum, videlicet Myco filius Cherne, Andreas filius Voin de genere Priba, item Farcasius filius Petri, Zaladin filius Dragan, Wlkouoy filius Vrban, Peter filius Petrona et Tholk ac Mare iobagiones castri de Podgoria, item Domah, Obramus et Farcasius iobagiones castri de Oclich per antedictum magistrum Manfredum socium nostrum in limitacionibus et metarum cursibus distinguendis convocati et requisiti diligenter per eundem, tam plenum consensum vendicioni terrarum sepedictarum quam etiam metarum et terminorum processui sine contradiccione aliqua prebuerunt et assenserunt, sicut idem magister Manfredus retulit nobis viva voce seriatim. In cuius rei memoriam et perpetuam stabilitatem presentes ad istanciam parcium concessimus sigilli nostri robore communitas. Datum sexta feria proxima post festum beate Katerine martyris, anno domini M.CC. octuagesimo tertio.

*Thallóczy és Barabás Codex com. de Blagay 44—48. no. 21. — Kukuljević Reg. no. 1352.*

## 380.

**1283, 15. decembra. U Krku.**

*Matija Blažov daruje jedan svoj vrt Dominici de Susanna.*

In Christi nomine. Anno eiusdem natiuitatis millesimo ducentesimo octuagesimo tercio, indiccione undecima, mense decembri die quinto decimo intrante. Matheus filius Blasii de Kisa fecit datam et irrevoca-

bilem donacionem, que dicitur inter uiuos ad proprium de uno suo orto sito in Vegla iuxta domum Mataldе iuxta viam puplicam(!) iuxta ortum Honorati de Vita, cum omnibus suis pertinenciis, habenciis, coherenciis et iurisdiccionibus eidem orto in integrum aspectanti cum accessionibus, egressibus, introitu et exitu et cum omni iure proprii Domenice (!) de Susanna. Que quidem Dominica contra donum romanatos quinque paruulorum eidem Matheo dedit, donauit atque persoluit, quos ipse confessus fuit se ab ea pleniter suscepisse et habuisse. Tribuens de ipso orto eidem Domenice plenam potestatem et omnimodam virtutem intrandi, tenendi, possidendi, alienandi, pro anima et corpore indicandi, quicquid inde sibi et cui dimiserit perpetuo placuerit faciendi, et eius nomine constituit possidere, promitens per se et suos heredes ipsum ortum eidem Dominice et successoribus suis ab omnibus hominibus uarentare et discalumpniare sub pena dupli et omnium expensarum; pena soluta presens carta in suo robore perduret. Actum Vegle, in plathea sancti Michaelis coram his testibus: Dabrinne filio olim Michaelis de Dabrello, et Quirino filio . . . .

*Originali(?) u gubernijalnom arkivu u Zadru, odio samostana sv. Dominika br. 688*

## 381.

**1283, 21. decembra.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski daruje zemlje pokojnoga buntovnika Zaheja Tomi biskupu vackomu.*

Ladizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis salutem in omnium saluatore. Regie sublimitatis exquirit officium ibi molem inponere largicionis et gracie, vbi fidelitatis eximie exuberat meritum et procedit. Proinde ad vniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod cum Zaheus filius Adriani de partibus Sclauonie inter intestina prelia et hostes congestos nocumenta, maleficia et spolia plurima commisisset, ut quasi promiscuorum maleficiorum perpetracio inter alios malicie actores sibi nequeat specialiter inputari, in exaggeracionem eciam sue iniquitatis et nequicie, preter indictum et preceptum regium, ymo pocius contra edictum pariter et indictum, ad obsidendum et expugnandum ac optinendum castrum comitis Germani et fratrum suorum

fidelium nostrorum, suo motu proprio eleuato temerarie uexillo, tam inhumaniter quam infideliter cum suis complicibus sibi adunatis in scelere processisset, ibique inter cons[er]tos et defendencium manus sue perniciositatis noxiis obligatus, sicut meruit, fuerat interhemptus(!), nullo in rebus humanis heredum solacio legitime derelicto, sicque omnibus eius possessionibus in rebus mouentibus (!) et se mouentibus, seruis videlicet et ancillis, possessionibus prediorum, hereditariarum, empticiarum, acquisitarum, seu quolibet alio titulo ad eum pertinencium, de iure et ex regni consuetudine approbata ad manus nostras regias vniuersaliter deuolutis, nos censentes ex animo, sicut decet et expedit, quid demereatur infidelitatis socordia, quidue perspicua fidelitas mereatur, vniuersas possessiones dicti Zahey absque heredis solacio, maxime(!) in infidelitate decedentis, tam hereditarias scilicet, empticias, acquisitas seu quouis iusto titulo adeptas, nec non seruos et ancillas eiusdem, venerabili patri Thome episcopo Waciensi, aule domine regine consortis nostre karissime cancellario, dilecto et fideli nostro, ob merita fidelium obsequiorum, et fratribus suis Cristoforo videlicet, comiti Jhoani,(!) et Stephano, ac heredibus eorundem, heredumque suorum in posterum successoribus, de plenitudine nostre gracie regie et fauoris dedimus, tradidimus, donauimus et contulimus pure et simpliciter iure perpetuo pacifice possidendas, ipsumque venerabilem patrem et fratres suos in corporalem possessionem omnium premissorum per comitem Inus hominem nostrum sub testimonio Chazmensis capituli fecimus introduci. Ut igitur huius nostre collacionis series robus perpetue firmitatis optineat, nec vllo unquam tempore retractari ualeat aut in irritum quomodolibet reuocari, presentes concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti viri magistri Bartholomei prepositi de Scepes aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno domini M°CC° octuagesimo tercio, XII kalendas ianuarii, regni autem nostri anno duodecimo.

*Original u kralj. ugar. drž. arkivu u Budimpešti: M. O. D. L. no. 1160 Stara sign. N. R. A. fasc. 603. no. 75 — Na listini visi o svilenoj vrvci jasno zelene boje odlomak dvostrukog kralj. pečata.*

*Wenzel Cod dipl. Arp cont. IX. 350—351 · Kukuljević Reg no. 1353.*

## 382.

**1283. U Požegi.**

*Pred kaptolom požeškim biva prodaja zemlje.*

Capitulum ecclesie beati Petri de Posaga . . . quod Petrus Cupse pro se et filiis suis, Nemana filius Budak pro se et fratribus suis ab una parte, comes Cupse et Corrardus frater eiusdem filii comitis Petri ab altera . idem Petrus et Nemana confessi sunt . . quod quandam terram ipsorum . . sitam in Predisinch . . et molendino sito super fluvio Oriaua, ac duas vineas sitas super terram Mortunus, Odula, Philippi, Myrozlai, Tucen et Symonis, pro debito decem marcarum, quas a comite Cupse . . recepisse dicebant . . et voluntate Symonis, Tucen et Mirozlai filiorum Omehyth, Odula, Mortunus, Philippi filiorum Mortun, Prosa, Bogda filiorum Zuoysa, Bolezlai, Bolerad filiorum Nadehna, Marthyn, Petrin, Petrus, Odolini et Jacobi filiorum Prodasa, Mortun et Mortunus filiorum Basan et generacionum eorumdem Pouse filii Dabilina et generacionis eiusdem, Misecha, Dragoth et generacionis eiusdem Fabiani comitis generacionisque eiusdem, Braheta et fratris sui filiorum Radyn, supradicto comiti Cupse et fratri suo vendidissent Prima meta iuxta quandam Malaka . ' iuxta terram filiorum Omehit et filiorum Mortun . . ad fluvium Oryaua . . . et intrat quoddam p tok Vinni potok vocatum . . . . . Datum anno domini MCCLXXX tercio.

*Ova listina bila je u zemaljskom arkivu u Zagrebu pod oznakom N R. A. 1597. no. 8. Regest Ivana Tkalčića.*

## 383.

**1284, 17. januara. U Dubrovniku.**

*Testamenat Tomasina Savore dubrovačkoga notara.*

Die XVII ianuarii, Ragusii etc. Ego quidem Thomasinus de Sauore filius quondam domini Guidonis de Sauore natus et ciuis ciuitatis Reggi de Lumbardus nunc autem habitator et ciuis atque notarius ciuitatis Ragusii considerans, quod nil cercius morte et nichil incercius hora mortis, idcirco nolens, quod subitus mortis euentus me subripiat intestamentum[1], meum de bonis meis dispono et ordino testamentum. In primis

namque dico et assero in anima mea, quod sunt viginti anni
transacti, quod cum licencia et uoluntate patris mei et matris
uiuencium et eum eorum benediccione discessi de dicta ciuitate
nichil omnino extraxi uel portaui mecum de bonis patris et m
eciam aliquid mecum detuli nisi personam meam et viginti oc
uel circa denariorum de moneta ciuitatis Reggi, quos mihi
pro expensis Guilielmus filius condam domini Manglapanis ca
cionis et amicicie, qui denarii predicti vix suffecerunt mihi pro
ueniendo de ciuitate Regi usque Venecias. Et sicut deus, a qu
bona procedunt, mihi uoluit graciam suam concedere, steti Ven
Histria et per alias diuersas partes mundi et tandem ueni Rag
salarium comunis Ragusii, et ibi accepi in vxorem Stana
condam Triphonis Scorobogati, et ex dei gracia et industria
mee concessa mihi a deo et cum salario habito a comuni Rag
cendo negociationes et eciam cum dote siue perchiuio dicte vx
et ex labore continuo manuum mearum scribendo die noctuque
cendo artem et officium notarie, sicut est publicum et notoriu
que habeo stabilia et mobilia acquisiui et lucratus fui. Et quo
lucrum per me factum secundum leges et consuetudines, que i
Regi obseruantur, appelantur lucrum castrense uel quasi castr
quo lucro secundum leges imperiales et consuetudines ciuitatis
pater meus et mater mea hodie uiuerent, non possent nec
aliquid petere, nec fratres mei aliquam partem de ipso lucro de
possunt petere uel habere, immo totum est in mea potestate a
dum quicquid mihi placuerit. Cum secundum formam statu
consuetudines ciuitatis Ragusii ex eo, quod discessi de domo p
et matris mee, cum extra licenciam et benedictionem nichil me
ferendo de bonis patris uel matris, fratres mei non possent p
quam partem de bonis meis acquisitis per me ex industria per
et eciam cum perchiuio vxoris mee, ut predictum est et ce
omnia sunt mea et heredum meorum, et eciam secundum leg
riales qui(¹) obseruantur in ciuitate Reggi in qua natus fui, et s
consuetudines ipsius ciuitatis omnia predicta bona mea acqu
peculium castrense uel quasi castrense per me ut superius d
est, sint et esse debeant in potestate mea, nec fratres mei po
quam partem in ipsis petere, tam ex statutis et consuetudinibus
quam ex legibus imperialibus et consuetudinibus ciuitatis Reggi
assignatis, idcirco super ipsis bonis meis stabilibus et mobilibus s
et dispono: In primis namque secundum morem et consue
Ragusii extraho pro quarto omnium bonorum meorum yperper
gentos quinquaginta et de his ipsis yperperis uolo, quod centu

namque dico et assero in anima mea, quod sunt viginti anni uel circa transacti, quod cum licencia et uoluntate patris mei et matris mee tunc uiuencium et cum eorum benediccione discessi de dicta ciuitate Regi(!) et nichil omnino extraxi uel portaui mecum de bonis patris et matris, nec eciam aliquid mecum detuli nisi personam meam et viginti octo solidos uel circa denariorum de moneta ciuitatis Reggi, quos mihi dederant pro expensis Guilielmus filius condam domini Manglapanis causa dileccionis et amicicie, qui denarii predicti vix suffecerunt mihi pro expensis ueniendo de ciuitate Regi usque Venecias Et sicut deus, a quo cuncta bona procedunt, mihi uoluit graciam suam concedere, steti Veneciis et in Histria et per alias diuersas partes mundi et tandem ueni Ragusium ad salarium comunis Ragusii, et ibi accepi in vxorem Stanam filiam condam Triphonis Scorobogati, et ex dei gracia et industria persone mee concessa mihi a deo et cum salario habito a comuni Ragusii exercendo negociationes et eciam cum dote siue perchiuio dicte vxoris mee et ex labore continuo manuum mearum scribendo die noctuque et exercendo artem et officium notarie, sicut est publicum et notorium, omnia que habeo stabilia et mobilia acquisiui et lucratus fui. Et quod quidem lucrum per me factum secundum leges et consuetudines, que in ciuitate Regi obseruantur, appelantur lucrum castrense uel quasi castrense, de quo lucro secundum leges imperiales et consuetudines ciuitatis mee, si pater meus et mater mea hodie uiuerent, non possent nec deberent aliquid petere, nec fratres mei aliquam partem de ipso lucro debent nec possunt petere uel habere, immo totum est in mea potestate ad faciendum quicquid mihi placuerit. Cum secundum formam statutorum et consuetudines ciuitatis Ragusii ex eo, quod discessi de domo patris mei et matris mee, cum extra licenciam et benedictionem nichil mecum deferendo de bonis patris uel matris, fratres mei non possent petere aliquam partem de bonis meis acquisitis per me ex industria persone mee et eciam cum perchiuio vxoris mee, ut predictum est et cetera, sed omnia sunt mea et heredum meorum, et eciam secundum leges imperiales qui(!) obseruantur in ciuitate Reggi in qua natus fui, et secundum consuetudines ipsius ciuitatis omnia predicta bona mea acquisita per peculium castrense uel quasi castrense per me ut superius distinctum est, sint et esse debeant in potestate mea, nec fratres mei possint aliquam partem in ipsis petere, tam ex statutis et consuetudinibus Ragusii quam ex legibus imperialibus et consuetudinibus ciuitatis Reggi superius assignatis, idcirco super ipsis bonis meis stabilibus et mobilibus sic ordino et dispono. In primis namque secundum morem et consuetudinem Ragusii extraho pro quarto omnium bonorum meorum yperperos octingentos quinquaginta et de his ipsis yperperis uolo, quod centum yper-

peri distribuantur hoc modo pro anima mea, de quibus centum yperperis primo datus yperperus vnus pro primicia, item dentur yperperi decem pro decima, item domino archiepiscopo yperperus vnus, item capitulo ecclesie sancte Marie maioris yperperi quinque, ut habeant animam meam recomendatam in oracionibus, item cuilibet presbytero ciuitatis Ragusii medius grossus, vt celebret vnam missam, item fratribus minoribus de conuentu Ragusii yperperos tres, item predicatoribus yperperi tres, item cuilibet monasterio monialium in ciuitate Ragusii yperperus vnus, item cuilibet recluse intus et extra ciuitatem Ragusii denarios grossos duo, item uolo, quod ubicunque me mori contigerit, corpus meum sepeliri debeat in loco fratrum minorum, si ibidem fuerint fratres minores, et si non essent ibi fratres minores, uolo sepeliri apud maiorem ecclesiam illius loci et uolo, quod de dictis centum yperperis dentur illi loco uel ecclesie ubi sepelietur corpus meum yperperi quindecim pro missis celebrandis et aliis orationibus faciendis. Item monasterio Lacromonensi yperperos tres, monasterio Mercane yperperus vnus, sancto Petro de medio mari denarios grossos tres, sancto Jacobo de Visniza denarios grossos tres, sancto Sauino de Dasa denarios grossos sex, monasterio Melitensi yperperos quatuor. Et de residuo centum yperperorum predictorum uolo, quod due partes dentur monasterio de pulzellis Ragusii et tercia pars pauperibus Ragusii, item uolo et ordino, quod de dictis octigentis quinquaginta yperperis dentur dicto monasterio de pulzellis yperperi vigintiquinque et pauperibus Ragusii yperperi vigintiquinque, et dicti quinquaginta yperperi sint pro male ablatis incertis, si qua haberem quocunque modo, et si non haberem male ablata, sint pro remedio anime mee et meorum mortuorum, et uolo, quod dicti centum quinquaginta yperperi dentur in continenti quam cicius fieri poterit post obitum meum. Item uolo, quod de dictis octigentis quinquaginta yperperis dentur Marie bastarde mee yperperi quinquaginta ad maritandum causa, et ipsa Maria debeat stare in domo mea cum uxore et heredibus meis et habere uictum et uestitum de bonis meis, conuenienter quousque fuerit maritata. Et si dicta Maria moreretur ante quam maritaretur, dicti quinquaginta yperperi dentur heredibus meis sicut ordinaui infra de aliis bonis meis, que debent heredes mei habere. Verum tamen, si dictam Mariam intestatam postquam maritata fuerit et sine heredibus mori contingeret, dicti quinquaginta yperperi redeant ad heredes meos, ut predictum est. Residui uero sexcenti et quinquaginta yperperi uolo, quod dentur sicut et quando ordinaui dicte uxori mee priuate, ut continetur in una carta, quam ei dimisi sigillata meo sigillo. Item confiteor, quod sum debitor in yperperis sexcentis, secundum quod dicta vxor mea scit, vnde uolo et pre

cipio, quod dicta uxor mea debeat dare et soluere dictos sexcentos yperperos, sicut et quando ordinaui ei priuate, ut continetur in una carta, quam dedi ei, sigillata meo sigillo. Item uolo et ordino, quod vxor mea Stana predicta, si uoluerit uiduare, possideat omnia bona mea secundum usum Ragusii, et si acciderit, quod ipse(!) uelit maritari, habeat perchiuium suum. Item dico, quod dedi fratri meo Seuerino, quando fuit Ragusii, yperperos centum in denariis, ut teneret uel daret eis in ciuitate Reggi ad tercium uel in colleganciam pro me. Et similiter dedi fratri meo Petro, quando ipse fuit Ragusii, alios centum yperperos eodem modo. Et eciam dictis fratribus meis in vestibus et aliis rebus dedi ultra centum quinquaginta yperperos, vnde uolo, quod dicti fratres mei habeant dictos yperperos, si ipsi contra hoc testamentum nihil dixerint. Si uero uellent contra hoc testamentum aliquid opponere et vxorem aut heredes meos inquietare uel molestare, nichil habeant de bonis meis, secundum quod inferius continetur. Item uolo et ordino, quod omnia alia bona mea mobilia et stabilia, ubicunque inuenirentur tam Ragusii quam Reggi et alibi ubique locorum, sint filiorum meorum equaliter, et ipsos in omnibus bonis meis heredes instituo. Et dicti filii mei teneant[ur] maretare filiam uel filias meas unam uel plures, si quas habuero, secundum suam possibilitatem. Et nulla filia mea debeat monachari nec aliquod monasterium immitti contra uoluntatem suam, sed si aliqua inspirata amore dei uoluerit se monachare uel aliquod intrare monasterium, de hoc faciat uoluntatem suam. Et si dicti filii mei nollent maritare dictas sororem uel sorores suas, si quam uel si quas ipsas habere contingeret, dicta vxor mea uel alii pitropi debeant uel debeat illa uell illas maritare et dare sibi conuenientem dotem uel perchiuium secundum possibilitatem bonorum meorum. Si autem acciderit aliquem uel aliquos de filiis meis premori ante legitimam etatem, unus alteri succedat, et ille qui superuixerit, si fuerit masculus, habeat omnia bona mea. Si autem omnes masculi premorerentur ante legitimam etatem et remanerent filie mee due uel abinde supra, uolo, quod de bonis meis dentur per vxorem meam uel per alios pitropi mei dent yperperos ducentos pro anima mea per loca religiosa et per pauperes ut dictis uxori mee uel aliis pitropis meis uidebitur. Et residua bona mea ueniant ad dictas filias meas equaliter. Si autem omnes heredes mei decederint ante etatem legittimam(¹) et remaneret una sola filia mea, uolo, quod uxor mea uel alii pitropi teneantur dare yperperos quingentos uidelicet per loca religiosa et per pauperes, ut eis uidebitur, yperperos ducentos, et fratribus meis et heredibus eorum yperperos trecentos cum ea condictione qua dedi eis, alios yperperos suprascriptos et residua omnia bona mea ueniant ad dictam filiam meam, ita tamen hac con-

dictione apposita, quod si manserint due filie uel ab inde supra sine fratre uel fratribus, et bona mea fuerint in tanta quantitate, quod quelibet filia mea possit habere in dotem siue perchiuium ultra yperperos octingentos, debeant dari suprascripti ducenti yperperi pro anima mea. Et si non essent tot bona mea, quod quelibet filia mea habeat in perchiuium siue dotem contingentes yperperos, uolo, quod dentur dicti ducenti yperperi pro anima mea, sed omnia bona mea sint filiarum mearum et ipse habeant animam meam recommendatam. Et si remanserit una sola filia mea sine fratre uel fratribus, et bona mea fuerint in tanta quantitate, quod ipsa possit habere a mille ducentis yperperis supra in parchiuium siue dotem, uolo, quod dentur dicti yperperi pro anima mea Si autem ipsa filia mea non posset habere de bonis meis mille ducentos yperperos in perchiuium siue dotem, uolo, quod dicti yperperi quingenti darentur pro anima mea, sed omnia bona mea sint filie mee predicte, et ipsa habeat animam meam recommendatam Si tamen accideret, quod omnes heredes mei ante legittimam etatem decederent, quod deus auertat, uolo, quod uendantur omnia bona mea et taliter distribuantur, uidelicet, quod medietas omnium bonorum meorum deueniat ad fratres meos uel heredes eorum equaliter cum condictione infrascripta, et alia medietas bonorum meorum distribuatur pro anima patris mei et matris mee et mea hoc modo, quod pitropi mei distribuant terciam partem dicte medietatis per loca religiosa et pauperes magis indigentes ciuitatis Ragusii, et procuratores ecclesie sancti Marci decernant, distribuant aliam terciam partem dicte medietatis per loca religiosa et pauperes magis indigentes deuenient, et fratres mei uel heredes eorum distribuant residuam terciam partem dicte medietatis per loca religiosa et pauperes ciuitatis Regi. Et si fratres mei uel heredes eorum fecerint aliquam questionem uel aliquid duxerint, quod hoc testamentum debeat restituere heredibus nostris omnes yperperos, quos dedi sibi, et eciam trecenti yperperi suprascripti et insuper medietas bonorum meorum, quas et quam ordinauimus dari eis, non debeant eis dari, sed omnia distribuantur per loca religiosa et pauperes eodem modo quo ordinaui de alia medietate pro anima mea et meorum mortuorum. Et constituo meam pitropam siue commissariam vxorem meam Stanam predictam ita tamen, quod ipsa sit pitropa et commissaria in uita sua si ipsa uiduauerit Si autem ipsam contigerit maritari, uolo, quod abinde in antea ipsa possit se intromittere de dicta pitropia siue commissaria, sed uolo, quod tunc thesaurarii ecclesie sancte Marie maioris de Ragusio sint pitropi et commissarii nostri, et eciam post obitum dicte uxoris mee uolo, quod dicti thesaurarii sint pitropi et commissarii mei, sed ipsi non possunt se intromittere de dicta pitropia uel commissaria in uita dicte

vxoris mee, donec ipsa uiduauerit. Tamen si ipsa uellet maritari, debeat facere racionem antequam maritetur dictis pitropis et commissariis meis de toto illo, quod ipsa dederat uel dispensauerat, et id, quod non esset datum uel dispensatum per eam, dicti pitropi et commissarii nostri dare et dispensare omnimode teneantur. Et eciam post obitum dicte vxoris mee si omnia predicta completa non essent, uolo, quod dicti pitropi uel commissarii nostri debeant omnia percomplere. Et si ipsa uxor mea uel pitropi predicti essent negligentes ad complendum predicta secundum modum et ordinem superius denotatum, totum id, quod non esset completum sit super animas suas et ipsi teneantur ante tribunal summi iudicis in die iudicii de omnibus facere racionem. Quicunque autem hoc meum testamentum ruere uel uiolare presumpserit, iram et maledictionem dei omnipotentis patris et filii et spiritus sancti et beate Marie virginis et beatorum apostolorum Petri et Pauli et sancti Blasii et tocius curie celestis habeat in eternum. Hoc autem testamentum nullo testimonio rumpi possit. Hii sunt testes: Dimitrius de Menze, Michael de Cluno iurati iudices Ragusii.

*Diversa cancellariae 1282.—1284. u dubrovačkom arkivu.*

## 384

**1284, 18. januara. U Dubrovniku.**

*Testamenat Dobre Grauero o četvrtini pripadajućoj joj iza oca i matere.*

Die XVIII. ianuarii, Ragusii etc. Ego quidem Dobra filia condam Domagne de Grauero[1] sana mente et bona memoria mea facio testamentum de quarto meo, quod mihi procedit in parte de patrimonio patris mei et matris mee de stabili et de mobili, et constituo commissarios et pitropos meos Pasquam Volcassii et Damianum de Gondula et Martolum de Zereua et thesaurarios ecclesie sancte Marie maioris qui per tempora fuerint et uolo et precipio, quod si monasterium de pulcellis fiet Ragusii, medietas dicti quarti mei de mobili et stabili detur dicto monasterio, et dicti pitropi et commissarii mei debeant infra medium annum, ex quo ipsi pitropi mei habuerint dictum quartum meum in potestate sua, requirere dominum archiepiscopum et dominum comitem Ragusii et consilium paruum qui per tempora fuerint, tribus uicibus, ut faciant fieri dictum monasterium. Et si dictum monasterium fiet aut incipietur infra dictum medium annum, ita, quod perfici debeat, uolo,

quod tota medietas dicti quarti mei de mobili et stabili detur monasterio antedicto. Si autem dictum monasterium non fieret aut non inciperetur infra dictum medium annum, uel si uideretur dictis pitropis et commissariis meis, quod dictum monasterium non possit perfici uel duci ad complementum, uolo, quod pitropi uel commissarii mei distribuant dictam medietatem quarti mei ut inferius continetur. In primis uolo, quod de dicta medietate quarti mei dentur Drazi sorori mee yperperi quinquaginta, ut faciat de illis sicut sibi ordinaui. Item do dicte Drazi yperperos viginti quinque, ut sint sui. Item monasterio sancti Nicolai de ordine sancte Clare de Jadra yperperi viginti, per omnia loca fratrum minorum de Dalmacia yperperi quinque pro quolibet loco, per monasteria de Ragusio yperperum vnum pro quolibet monasterio, reclusis omnibus in ciuitate et extra denarios grossos tres pro qualibet, monasterio Lacromonensi yperperum vnum, sancto Andree de pelago yperperos duos, item Dese vxori Sersii Clementis yperperos viginti quinque. Et si passadium de vltra mare non fiet ante obitum meum, donetur post mortem meam yperperi viginti ad dictum passadium quando fiet Fratribus predicatoribus de Ragusio yperperi tres. Item dentur nepti mee Perue filie Sersii Clementis yperperi viginti, item Draze monache filie sororis mee yperperi decem. Item si dictum monasterium de pulcellis non fieret, ut predictum est, uolo et ordino, quod de meliori possessione que me contingit extrahatur in tanta quantitate, quod ualeat ducentos yperperos, cuius possessionis habeant fratres minores de Ragusio annuatim introitum pro tunicis uel necessitatibus eorumdem fratrum et non intromittant se ad uendendum uel alienandum, sed simpliciter recipiant elemosinam sicut pauperes. Et si dicti fratres noluerint uel eis prohibitum fuerit ita, quod non possint recipere predicta, uolo, quod pauperibus Ragusii distribuatur, secundum quod uidebitur thesaurariis ecclesie maioris sancte Marie siue pitropis meis, et uolo, quod dicti thesaurarii ecclesie sancte Marie qui per tempora fuerint teneant per manus suas dictam possessionem extractam, et dent dictos introitus fratribus minoribus, ut predictum est Item dentur Desaze et Bone filiabus Geruasii de Maynero yperperi decem, item Franche materterre mee yperperi quinque. De alia uero medietate quarti mei ita ordino et uolo. In primis, quod de dicta medietate quarti extrahatur de melioribus possessionibus que fuerint pro redditibus tantum, quod ualeat yperperos quingentos et solum interesse, quod habebitur de dicta possessione sic extracta detur quolibet anno fratribus minoribus de Ragusio pro tunicis et eorum necessitatibus. Et uolo et roge, ut thesaurarii sancte Marie maioris qui per tempora fuerint teneant per manus suas dictam possessionem extractam et dent dictos introitus quolibet anno dictis fratribus minoribus,

ut predictum est, et ipsos fratres minores rogo, ut ipsi pro elemosina recipiant dictos introitus pro anima mea, quia sum multum consolata et uolo, ut dicti fratres recipiant dictam elemosinam. Et uolo et ordino, ut dicti fratres minores non habeant iurisdictionem uendendi nec alienandi dictam possessionem, sed tantum introitus recipiant pro elemosina, et rogo ipsos fratres minores, ut habeant recommendatam animam meam et animas patris mei et matris mee in suis missis et orationibus eorum Et si contingeret, quod dicti fratres nolint recipere dictam elemosinam nec sint consolati de ipsa, uolo, quod dicta possessio extracta uendatur et dicti quingenti yperperi expendantur hoc modo: videlicet, quod dentur ecclesie fratribus minoribus trecenti yperperi in hunc modum silicet, quod ipsi debeant de ipsis yperperis fieri unum paramentum bonum et honoratum et sollemne pro presbytero diacono et subdiacono dictis fratribus, et totum id, quod superuenerit de dictis trecentis yperperis, detur ipsis fratribus minoribus pro tunicis faciendis uel eorum necessitatibus, et centum yperperi cum consilio custodis et guardiani fratrum minorum de Ragusio et fratris Marini de Jadra consanguinei mei, si fuerit in custodia Ragusii, dentur fratribus minoribus pauperibus pro eorum necessitatibus, ut ipsi habeant animam meam recommendatam in eorum sacrificiis Et si dicti fratres nollent, quod dicti yperperi dentur, uolo, quod expendantur pauperibus ciuitatis. Residui centum yperperi de dicta possessione sic extracta dentur in uestimentis pauperibus ciuitatis cum consilio Franche matertere mee et Dese vxoris Petri de Benissa et Dese vxoris Pauli de Cita et Dese sororis mee. Item dentur Stane filie Drazi yperperi quinquaginta, et si idem monasterium de pulcellis non fieret, dentur eidem Stane yperperi centum, item Stane filie Philippi de Maynero dentur yperperi viginti, item filio sororis mee Drazi qui est frater predicator dentur yperperi viginti, fratri Marino de Jadra de ordine fratrum minorum consanguineo meo yperperi viginti, item Pasque Volcassii, Damiano de Gondula et Martolo de Zereua detur una cuppa de argento de sex yperperis pro quolibet, et similiter thesaurariis ecclesie sancte Marie maioris detur una cuppa de argento de sex yperperis pro quolibet, item magistro Thomasino notario comunis Ragusii dentur yperperi duo Item cuilibet sorori minori dentur denari grossi sex. Et totum id, quod remanserit de dicto quarto meo, tam si dictum monasterium de pulcellis fuerit quam non, diuidatur in tres partes, quarum detur una pars fratribus minoribus de Ragusio, ut celebrent missas pro anima mea et pro animabus patris mei et matris mee, alia pars detur pauperibus ciuitatis in grano et uestibus cum consilio Franche matertere mee et Dese vxoris Petri de Benissa et Dese vxoris Pauli de Cita et Dese sororis mee. Tercia uero pars ita diuidatur, quod

dentur decem yperperi fratribus predicatoribus de Ragusio, ut celebrent missas pro anima mea et pro animabus patris mei et matris mee, et alia que superuenerint, dent pitropi mei dictis fratribus et aliis et faciant celebrari missas pro anima mea Item uolo et ordino, quod detur recta decima secundum usum Ragusii et pro primicia dentur denarii septem. Item si possessiones mee uendentur et Damianus Volcassii uoluerit emere illas, uolo, quod ipse habeat eas pro quinquaginta yperperis minus eo, quod haberi poterit ab aliis. Item uolo et precipio, ut si aliqua de sororibus meis fecerit aliquam molestiam uel impedimentum aliquod huic testamento, nichil habeat de meo et nichil ei detur Si autem omnes dicti pitropi mei non fuerint presentes Ragusii, uolo, quod illi qui fuerint Ragusii compleant omnia supradicta non obstante absentia alicuius uel aliquorum ex eis. Quicunque uero hoc meum testamentum uiolare uel rumpere presumpserit, iram et maledictionem dei omnipotentis et beate Marie virginis et sanctorum apostolorum Petri et Pauli et beati Blasii et tocius curie celestis habeat in eternum. Hoc autem testamentum nullo testimonio rumpi possit. Hii sunt testes Andreas de iuratus iudex.[1]

*Diversa cancellariae. 1282—1284. U dubrovačkom arkivu.*

## 385.

**1284, 18. januara. U Dubrovniku.**

*Testamenat Dobre Guerero o gotovini od tri stotina perpera.*

Die XVIII. ianuarii, Ragusii etc. Ego quidem Dobra filia condam Domagne de Guerero sana mente et bona memoria mea facio testamentum de illis trecentis yperperis, qui debent mihi dari post mortem matris mee, et constituo pitropos et commissarios meos Sersium Clementis et Dumanum Volcassii atque thesaurarios ecclesie sancte Marie maioris, qui per tempora fuerint Ragusii, ad extrahendum et distribuendum illos secundum quod inferius declaratur. De quibus in primis uolo, quod dentur sorori mee Drazi yperperi triginta, Peruosclaue nepti mee filie Dese dentur yperperi decem, per loca fratrum minorum, videlicet Catari, Antibari, Vlcinii et Dyrachii yperperi quinque pro quolibet loco, Drazi monache filie sororis mee Drazi predicte yperperi quinque, consobrinabus meis Boni et Desaze filiabus Geruasii de Maynero yperperi tres pro

[1] Drugog svjedoka nema, valjda je uz njega pisac oporuke.

qualibet, Franche amite mee yperperi tres; Dragoslaue filie dicti Sersii detur unus anulus de quatuor yperperis, Dese filie dicte Drasi detur unus anulus de quatuor yperperis, Stane filie sororis mee Disize detur unus anulus de quatuor yperperis, filiabus Johannis Zereue Dese et Anglese unus anulus de quatuor yperperis pro qualibet, Anne de Cigulia yperperus vnus, Dese vxori Pauli de Cita detur vnus anulus de quatuor yperperis. Item yperperi sedecim dentur fratribus minoribus de Ragusio pro cartis. Item uolo, quod post mortem meam faciant cantari pro anima mea vnam missam conuentualem a fratribus minoribus de Ragusio qualibet ebdomada semel usque ad vnum annum, et in illa die pro eis expediatur denarios grossos octo, item uolo, quod dentur fratribus minoribus de Ragusio yperperi viginti pro celebrandis missis pro anima mea, item uolo, quod dentur fratribus minoribus de Ragusio centum viginti yperperi, quorum medietas sit pro faciendis tunicis fratribus et alia medietas pro aliis necessitatibus eorundem fratrum de Ragusio, item uolo, quod dentur fratri Marino de Jadra de ordine minorum consanguineo meo yperperi triginta quinque pro libris uel suis necessitatibus. Et predicti Sersius et Damianus atque thesaurarii faciant omnia predicta in consciencia et fratris Marini de Jadra, si fuerit in custodia Ragusii et custodis et guardiani fratrum minorum de Ragusio. Si autem omnes predicti pitropi et commissarii mei non fuerint presentes Ragusii, illi qui tunc in Ragusio inuenirentur, omnia predicta sine diminutione aliqua exequantur non obstante absencia alicuius uel aliquorum ex predictis. Quicunque uero hoc meum testamentum uiolare presumpserit, iram et maledictionem dei omnipotentis et beate Marie uirginis et sanctorum apostolorum Petri et Pauli et beati Blasii et tocius curie celestis habeat in eternum. Hoc autem testimonium nullo testimonis rumpi possit. Hii sunt testes Andreas de Benissa iuratus iudex.[1]

*Diversa cancellariae 1282—1284. U dubrovačkom arkivu*

## 386.

**1284, 18. januara. U Dubrovniku.**

*Testamenat Dimitrije Minčetića.*

Die octavo decimo intrante mense ianuario, Ragusii, coram nobis suscriptis(!) testibus. Ego Dimitrius de Menze considerans, quod hora mortis

[1] Drugog svjedoka nema.

unicuique incerta est, nolensque decedere intestatus, meum de rebus meis dispono et ordino testamentum. In primis uolo et ordino, quod de introitibus siue reddilibus territorii mei siti apud portam de paludo accipiantur quolibet anno yperperi tredecim et dimidius yperperus, qui distribuantur per pitropos meos singulis annis in festo sancti Dimitrii, ut inferius est pistrictum. Quod territorium confinat a parte pelagi cum ecclesia sancti saluatoris de palude et cum territorio filiorum condam Lampredii de Menze fratris mei Dicti autem tredecim yperperi et dimidius uolo quod distribuantur hoc modo, videlicet capitulo maioris ecclesie sancte Marie yperperi tres pro faciendo uno prandio, et pitropi mei teneantur facere fieri penitus dictum prandium quolibet anno in festo sancti Dimitrii, item pauperibus qui morantur in monasterio Lacromonensi yperperi duo, de quibus ematur eis vinum pro uno yperpero et pisces et carnes emantur eis pro alio yperpero, item fratribus minoribus yperperus unus de quo ematur eis vinum pro medio yperpero et pisces emantur eis pro alio medio yperpero, item fratribus predicatoribus yperperus unus, de quo ematur eis vinum et pisces eodem modo, ut predictum est, item monialibus sancti Andree, sancti Bertholomei, sancte Marie de Castello et sancti Symeonis denarii grossi sex pro quolibet monasterio, de quibus emantur eis pisces, item monialibus monasterii sancti Petri minoribus denarii grossi duo, de quibus emantur eis pisces, item monialibus sancti Nicholai denarii grossi tres et dimidius grossus, de quibus emantur eis pisces, item monialibus sancti Thome denarii grossi tres et dimidius, de quibus emantur eis pisces. Et si aliqua ex dictis monasteriis deficerent uel anichilarentur, volo, quod debebat dari dictis monasteriis uni uel pluribus que deficerent detur monasterio de pulzellis Et de residuis triginta tribus denariis grossis emantur carnes et tribuantur per pauperes ciuitatis et borgi magis indigentes. Predicti autem yperperi siue denarii omnes, uolo, quod sint pro animabus illorum a quibus habeam aliquid de male ablatis vel male tenutis quousque de eis fuerit satisfactum et facta plena satisfactione dictorum male ablatorum uel male lucratorum, uolo, quod residuum sit pro anima mea, vxoris mee et meorum mortuorum. Primicias uero et decimas et alia que dare uolui pro elemosinis dedi et distribui manibus meis in sanitate mea. Et constituo meos pitropos thesaurarios ecclesie sancte Marie qui per tempora fuerint, et predicta omnia, sicut suprascriptum est, teneantur annis singulis percomplere. Quicunque autem hoc meum testamentum rumpere uel uiolare presumpserit, maledictionem] dei omnipotentis patris et filii et spiritus sancti, beate Marie virginis et sanctorum apostolorum Petri et Pauli et gloriosi sancti Blasii et tocius curie celestis habeat in eternum. Et de hoc [testamento] facte sunt due carte similes una penes dictos

thesaurarios et alia penes heredes meos de heredibus in heredes perpetuo conseruande. Hec autem carta nullo testimonio rumpi possit. Hii sunt testes. Andreas de Benissa et Michael de Cluno iurati iudices.

*Diversa cancellariae 1282—1284. u dubrovačkom arkivu*

## 387.

**1284, 18. januara. U Dubrovniku.**

*Testamenat Drage Guerero o razdiobi njezinih stvari.*

Die XVIII. ianuarii, Ragusii, coram nobis subscriptis testibus Ego quidem Dobra filia condam Domagne de Guerero sana mente et bona memoria meum facio testamentum de rebus meis, ut post mortem meam distribuantur hoc modo. In primis uolo, quod pro decimis et primiciis dentur yperperi viginti, operi ecclesie sancte Marie maioris yperperi duo, fratribus minoribus de Ragusio centum viginti yperperi, quorum medietas expendatur in libris et aliis ecclesiasticis rebus, et alia medietas in aliis necessitatibus eorundem fratrum expendatur. Item uolo, ut singulis locis fratrum minorum in custodia Ragusii dentur septem yperperi. Reliquis uero locis administrationis Dalmacie dentur yperperi quinque pro quolibet loco. Fratribus Predicatoribus de Ragusio yperperi quinque, monasterio Lacromonensi yperperus vnus, sancto Andree de pelago yperperus vnus et dimidius, sancto Petro de Medio mari medius yperperus, Mercane medius yperperus, Visnize medius yperperus, Pecline medius yperperus, Melete medius yperperus, singulis cenobiis monialium intus in ciuitate Ragusii yperperi duo, singulis reclusis intus in ciuitate et extra denarios grossos tres, sancto Petro maiori, sancto Stephano, sancto Michaeli, sancto Theodoro, sancto Johanni de Papissa (!), sanctis Cosme et Damiani singulis dimidius yperperus. Fratri Marino de Jadra de ordine fratrum minorum consanguineo meo quadraginta yperperos pro libris et aliis suis uoluntatibus faciendis. Item patrino meo de ordine minorum qui tunc fuerit yperperi tres, fratri Michaeli de Spalato ordinis Predicatorum yperperi tres. Magistro Thomasino notario comunis Ragusii vnus et dimidius. Sororibus minoribus de Ragusio pauperibus yperperi decem. Matertere mee Franche yperperi septem, consobrinabus meis Boni et Desace filiabus Geruasii de Maynero yperperi quatuordecim. Drasi moniali filie Johannis de Ragnana yperperi duo, sorori matris mee Stane yperperi tres, Marie nepti Rossini de Menze yperperus vnus, sororibus

sancti Nicholai de Jadra yperperi quinque, Anne Dragulia yperperi tres, Drage Comomille medius yperperus. Item pannus de lino qui est in capsa mea detur fratribus minoribus de Ragusio, de Cataro, de Antibaro et de Vlcinio et de Dyrachio, ut diuidant inter se et faciant de dicto panno in operibus ecclesie. Omnes tunice mee dentur cosobrinabus meis Boni et Desaze filiabus Geruasii de Maynero, et grezona mea et mantellus meus dentur sorori mee Draze Item uolo, quod dentur fratribus minoribus de Ragusio yperperi uiginti quinque, ut faciant eim de sclauinis pro lectis eorum Item pro amore dei et anime mee remedio libero ancillam meam Bogdenam post mortem meam et uolo, quod dentur sibi tres yperperi Item dentur Dompnize filie Stane vnus yperperus. Item uolo, quod unum copertorium cum pellibus et aliud sine pellibus et unum mataracium et ceruical et carpeta dentur fratribus minoribus de Ragusio. Item si prenominatus frater Marinus obierit ante me, tota elemosina sua detur in sclauonis pauperibus de Ragusio Item lectus meus detur Drage monache filie Draze. Item uolo, quod totum illud quod debetur fratribus minoribus cito omnia persoluantur. Super hoc autem testamentum constituo pitropos meos Sersium Clementis et Damianum Volcassii cognatos meos atque thesaurarios ecclesie sancte Marie maioris Ragusine, qui per tempora fuerint et omnia predicta faciant cum consilio et consciencia custodis et guardiani fratrum minorum Ragusii et patrini mei qui tunc fuerit et fratris Marini consanguinei mei, si fuerit in custodia Ragusii Et si omnes prenominati pitropi mei non fuerint presentes Ragusii, tunc illi qui in Ragusio inuenientur omnia integre et sine diminutione exequantur non obstante absencia alicuius uel aliquorum Quicunque autem hoc meum testamentum uiolare uel rumpere presumpserit, iram et maledictionem dei omnipotentis et beate Marie uirginis et sanctorum apostolorum Petri et Pauli et beati Blasii et tocius curie celestis habeat in eternum Hoc autem testamentum nullo testimonio rumpi possit Hii sunt testes: Andreas Benissa iuratus iudex.[1]

*Diversa cancellariae 1282—1284, u dubrovačkom arkivu.*

[1] Drugoga svjedoka ne ima.

## 388.

**1284, 16. februara. U Perestjanu.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski izdaje povlasticu u korist Stjepana sina Opejeva.*

Nos Lad[islaus] dei gracia rex Hungarie significamus omnibus quibus expedit memorie commendantes, quod nos Stephano et fratribus suis filiis comitis Opey hanc duximus graciam faciendam, quod, si dictum comitem Opey patrem eorum possessiones suas aut aliquas particulas de eisdem sev per modum uendicionis seu per modum alium quemcumque uidelicet iuste uel iniuste siue eciam pro nocumentis suis illatis forte uel eciam inferendis alienare contigerit, porcio eorundem filiorum suorum in eis omnibus semper salua permaneat et illesa. Datum sub castro Perestian, in quindenis purificacionis beate uirginis, anno domini M⁰CC⁰ octagesimo quarto.

*Iz originalne potvrde kralja Karla od g. 1323. 25. aprila u kr. ug drž. arkivu u Budimpešti (M. O. D L. no. 35.845. bivša zbirka Kukuljevićeva.)*

*Kukuljević Reg. no. 1359.*

## 389.

**1284, 17. februara. U Zagrebu.**

*Pred kaptolom zagrebačkim prodaje Pribk od plemena Priba zemlju Ružindol i Toplicu županu Radoslavu.*

Capitulum ecclesie Zagrabiensis omnibus quibus expedit presens scriptum inspecturis salutem in domino. Ad vniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod Pribk filio P[ri]ba de genere Priba ab una parte, et magistro Jacobo notario nobilis viri comitis Raduzlai filii Stephani vice ac nomine eiusdem domini sui ab altera personaliter in nostri presencia constitutis, idem Pribk retulit et confessus est, quod cum Wlkouoy proximus suus, videlicet frater patris sui captiuitatem Teuthonicorum tempore Durnolchar quondam capitanei de Karintya incidisset, et per nobilem virum Dyonisium banum bone memorie fratrem prefati comitis Raduzlai de eadem captiuitate pro quinquaginta marcis fini argenti liberatus fuisset et redemptus, pro quibus eciam memoratus

Wlkouoy vniuersas terras suas hereditarias et empticias postmodum fratri eiusdem comiti Raduzlao iuxta continenciam litterarum nostrarum memorialium tunc in hac parte confectarum obligarat (!), prout in eisdem litteris nostris per antedictum magistrum Jacobum pro domino suo nobis exhibitis uidimus plenius contineri, et ad presens idem Pribk inopia sibi adiinueniente facultatem refundendi et persoluendi predictam pecuniam, memoratas terras seu possessiones proximi sui prenominati iam ipsum Pribk iure proximitatis et hereditario contingentes redimere non ualeret, ut dicebat, nichilominus uolens et cupiens satisfacere dicto comiti Raduzlao in hac parte, quasdam terras suas de eisdem terris pignori obligatis, silicet Ruzindol et Toplicha nuncupatas existentes in Podgorya, quas ipsi proximo suo empticias fuisse fatebatur, dedit, tradidit et assignauit de bona et libere uoluntate sua titulo uendicionis legitime mediante tamen iuxta (!) et condigna estimacione nobilium regni, sicut dixit, prefato comiti Raduzlao et per eum suis heredibus heredumque successoribus iure perpetuo possidendas et habendas cum uniuersis bonis et utilitatibus earundem, nulla refragacione uel eciam excepcione ac contradiccione obstantibus in futurum, dedit i[n]q[uestus?] et tradidit dictas terras suas pro antedictis quinquaginta marcis fini argenti summam septuaginta marcarum denariorum banalium facientibus, prout singulas marcas ipsius argenti tunc temporis dicebat dictus Pribk ualuisse septem pensas monete memorate, terram autem Ruscindol (!) dictam licet habitatoribus destitutam, sicut dixit, pro quadraginta quinque marcis, terram vero Thoplicha uocatam pro uiginti quinque marcis nunc per supradictos nobiles regni estimatas. Ad hec idem Pribk assumpsit et obligauit se ac suos heredes coram nobis ad expediendum ipsum comitem Raduzlaum et eius successores ab omni inpeticione, si quam racione dictarum terrarum contra eundem comitem Raduzlaum per quempiam oriri contingeret in futurum cum suis laboribus et expensis. Retulit eciam dictus Pribk, quod litteras seu instrumenta quas habebat super iure predictalrum terrarum in combustione ciuitatis Grecensis amississet; vnde si eedem littere maliciose forsan uel dolose suppresse seu denegate aliquo tempore in preiudicium comitis Raduzlai aut suorum heredum per quempiam exhibite fuerint, sepedictus Pribk cassas, innanes et sine uiribus nulliusque efficacione(!) esse uolit (!) uel uigoris. Prima siquidem meta prefate terre Ruscindol(!), sicut discretus uir magister Gregorius archidiaconus de Bekchin socius noster, qui ad limitandum seu reambulandum ipsas terras presentibus commetaneis et uicinis per nos destinatus accesserant(!) et partes cum eodem nobis retulerunt, incipit ab occidente in loco ubi sunt tres monticuli ubi est uia publica cruce signata, que wlgariter clanch dicitur, deinde procedit

uersus septemtrionem iuxta monticulum per quandam semitam in quodam berch ubi ab occidente commetatur terra Mark filii Zlauina et Alexandri filii Obram, et peruenit ad quandam metam terream, in cuius medio est arbor scil, ab inde procedit per eandem semitam super eodem promontorio inter uallem Ruscin et uallem Buzan et peruenit ad quasdam frutices spinarum ubi est meta terrea, ubi commetatur terra Descen filii Velezlao similiter ab occidente, et ibi declinat in latere eiusdem promontorii similiter ab occidente procedens per quandam viam antiquam et peruenit ad quandam metam terream ubi sunt spine gymilchin uocate, ubi ab occidente similiter terra Descin, Mark, Alexandri, Gregorii filii Dubk et Ozoris filii L.cosa[1] co[m]metatur, a septemtrione autem terra Wlkoy filii Vrban et Tolk filii Tohzlao commetatur, ubi regirat per quandam semitam in uallem uersus orientem et peruenit ad uallem in fluuium Ruscin potok dictum, ubi sunt arbores salicis inter quas est meta terrea; per quem fluuium procedens iterum superius uersus septemtrionem per aliquid(!) spacium peruenit ad fluxum seu iunctam cuiusdam fluuii Dank potoka dicti, et sic declinans in dextrum per ipsum fluuium Ruscin potok dictum uadit superius per longum spacium et peruenit ad pedem montis magni Precopa uocati, ubi per quandam scissuram asscendit ad cacumen eiusdem montis et in superficie eiusdem montis procedit uersus orientem et peruenit ad aliam scissuram et sic per eandem iuxta cornu quoddam super ipso monte descendit directe uersus meridiem ubi commetatur ab oriente terra filiorum Rodom[er]ii, et per q[ue]ndam meatum procedens peruenit in quandam uallem ad tres arbores nucis, iuxta quas est meta terrea; deinde descendit directe per scissuram in uallem magnam ad arborem nucis ubi est meta terrea ubi regirat in dextrum uersus meridiem et procedit per viam antiquam iuxta terram filiorum Rodomerii predictorum et peruenit ad quandam arborem berekene uocatam cruce signatam; deinde procedens per eandem viam peruenit ad metam terream, deinde dirigitur directe uersus meridiem super quodam promontorio et peruenit ad duas metas terreas; inde eciam procedens directe uersus meridiem peruenit ad quendam monticulum rotundum, ubi est meta terrea angularis et ibi commetatur terra generacionis Varatim[er]; deinde descendit directe in quandam uallem similiter uersus meridiem ad quasdam frutices spinarum chypke uocatas, ubi est fons exiliens et transcurrens; ab inde descendit per eandem uallem per cursum ipsius fluuii ubi commetatur terra Alexandri filii Obram a sinistris, et descendens per longum spacium per ipsum fluuium cadit in alium fluuium Lascouech uocatum, ubi sunt dumi auellanarum,

[1] L.tosa?.

et est meta terrea ubi commetatur a sinistris terra generacionum Varatim[er]ichi; deinde per ipsum fluuium et per eandem uallem per longum spacium cadit in fluuium Ruscin asscendendo superius ubi commetatur similiter terra Alexandri filii Obram, Mark, Descen et Gregorii predictorum per longum spacium et peruenit ad quandam metam terream, ubi exiens de ipso fluuio asscendit directe uersus occidentem ad viam et per ipsam viam reuertitur superius ad priorem metam. Prima vero meta terre Thoplicha in Podgorya incipit super aqua ipsius Thoplicha ubi coniungitur aqua Rascha a parte orientis et protenditur directe uersus occidentem et ibi declinat in portu ad viam ubi sunt due mete terree, inde asscendens super montem Vidoua goricha nuncupatum ubi est meta terrea, ubi eciam a meridie commetatur terra Bogdan et Dragos filiorum Raduzlai, inde per promontorium eiusdem montis procedit p[ar]um ad metam terream, deinde ad aliam metam terream et ibi uicinatur et commetatur similiter a meridie terra ipsius comitis Raduzlai empticia, quam comparauit a Vechedrag de Rascha; inde procedit super ipsum promontorium per viam peruenit ad quendam montem circularem et ibi est meta terrea, unde diuertitur uersus aquilonem directe et descendit in uallem ad fluuium Rascha ubi est meta terrea; inde transiens ipsum fluuium directe ad montem Salicha ubi est meta terrea, deinde dirigitur super alium montem nemorosum per quandam semitam et sic per eandem semitam per longum spacium uenit ad lapidem rubeum wlgariter crauaui kamen dictum, inde diuertitur uersus orientem et procedens in latere descendit et peruenit ad quandam viam magnam et per ipsam viam per longum spacium procedens descendit in vallem et peruenit ad fluuium Zyuir, per quem fluuium directe procedens cadit in aquam Thoplicha et per ipsam aquam Thoplicha procedens reuertitur ad angulum primum ubi aqua Rascha cadit in aquam Thoplicha, sicut in principio est annotatum, et sic cursus metarum terre Thoplicha terminatur. Astiterunt eciam coram nobis personaliter vicini et commetanei terrarum venditarum, scilicet Alexander filius Obram, Leuk filius Velezlao, item Mark filius Cherk et Byta filius Thordosa de genere Varatim[er]ichi et Wlkoy filius Vrban iobagiones castri de Podgorya pro se et vniuersis proximis et cognatis suis, qui uendicionem factam eatenus inter partes consensu suo ratificantes vnanimiter admiserunt. In cuius rei memoriam presentes ad instanciam parcium contulimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum sexta feria proxima ante dominicam Esto michi, anno domini M⁰ CC⁰ octuagesimo quarto.

*Original ponešto vlagom oštećen u kr. ug. drž. arkivu u Budimpešti M. O. D. L. br. 35 838., bivša zbirka Kukuljevićeva, no. 14. Na listini*

*visi svilena vrvca jasne ljubičaste boje, pečata više nema. Na hrptu desno i lijevo suvremenom, a kako se čini i istom rukom, kojom je pisana i listina, dvije jednake bilješke: »Privilegium super possessione Ruzindol et Toplicha.« — U istom arkivu M. O. D. L. br. 36.113, bivša zbirka Kukuljevićeva no. 291, nalazi se originalni prijepis ove listine učinjen po kaptolu zagreb. god. 1617.*

*Kukuljević Reg. no. 1361.*

## 390.

**1284, 5. marta. U Budimu.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski zapovijeda Trogiranima, da čuvaju Klis.*

Ladislaus fidelibus suis iudicibus et comiti Traguriensi salutem et gratiam. Nunciaverunt nobis hospites de Klissa, quod vos in conseruatione castri eorum magnum eis auxilium prebuistis, quare vestre fidelitati mandamus, quatenus pro huiusmodi fidelitate vestra volumus vobis ad voluntatem vestram occurrere gratia regia et fauore, et precipientes vobis, quod fidelitatem quam hactenus nobis exhibuistis in conseruatione dicti castri, et adhuc impendere debeatis. Datum Bude, in dominica reminiscere.

*Lucius Memorie di Traù 110. (Lucius ima ovdje god. 1274., što je očito pogriješno, kako se vidi iz čitavoga niza dogadjaja).*

*Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. IX. 570. — Kukuljević Reg. no. 1125. (pod god. 1274. po Luciusu).*

## 391.

**1284, 21. marta. U Zadru.**

*Sestre Drasna i Proda prodaju Gardanesi udovi Andrije de Cotopagna zemlju u Vulasićima.*

In Christi nomine. Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo octuagesimo tercio, indicione duodecima, die undecimo exeunte mensis marcii, Jadre. Temporibus equidem domini Johannis Contareno egregii comitis. Nos Drasna vxor Prefcho et Prodda sorores filie quon-

dam Sydouini, quomodo[1] de voluntate et assensu dicti Prefcho mariti mei Drasne vendimus, damus, [tradi]mus atque transactamus tibi namque Gardanese relicte quondam Andree Creste de Coto[pagnis] vnam peciam nostram de terra posita ad Vulasiçhi, cui de trauersa est via publica, [de austr]o et quirina est quedam terra tua et vinea tua, et de borea sunt saline Lampredii de . . . . . . ene; cum plena uirtute et potestate a modo in antea cum tuis heredibus et successoribus ipsam peciam de terra intromittendi, habendi, tenendi, gaudendi, possidendi, dandi, donandi, vendendi, pro anima et corpore indicandi omnemque aliam tuam uoluntatem et utilitatem exinde libere faciendi cum omnibus suis certis terminis, pertinenciis, confinibus et habenciis, tam subtus terram quam supra terram nemine tibi tuisque heredibus et successoribus in perpetuum contradicente. Pretio cuius vendicionis nos suprascripte sorores Drasna et Prodda plene recepimus et habuimus a te prenominata Gardanesa libras nouem denariorum venetorum paruorum, quas nobis dedisti et integre persoluisti. Vnde tenemur et promittimus cum nostris heredibus et successoribus prefatam peciam de terra excalumpniare et defensare tibi tuisque heredibus et successoribus in racione ab omni homine et persona super nos et omnia nostra bona presentia et futura. Actum est hoc et firmatum coram his vocatis et rogatis testibus, scilicet: magistro Petre(!) Kalegario et Semcho filio quondam Billici Jadratinis et aliis.

† Ego Johannes Varicasse examinator examinaui.

Ego Vincencius ecclesie sancti Stephani presbiter et Jaderensis notarius predictis interfui et rogatus ut audiui scripsi et roboraui.

*(Signum not.).*

*Original u arkivu grofova Begna u Posedarju P. no. 7.*

## 392.

**1284, 31. marta. U Zagrebu.**

*Pred kaptolom zagrebačkim kupuju Baboniči neke zemlje.*

Capitulum ecclesie Zagrabiensis omnibus presens scriptum inspecturis salutem in domino. Ad uniuersorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod c[ons]titutis coram nobis ab una parte Jazen, Senk filiis Isan et Isan filio Radozlai de genere Rata, et Milouan ac Mathia ser-

[1] Očito manjka prediduća riječ: confitemur.

vientibus nobilium virorum Nicolai, Stephani, Johannis, Oth et Rachech filiorum Baboneg vice ac nomine eorundem dominorum suorum ab altera, iidem Jazen et alii de parte sua predicti confessi sunt, quod terram ipsorum emptitiam Pelaua nuncupatam, quam secundum continentiam aliarum literarum nostrarum a Petk et cognatis suis compararunt, vendiderunt cum omnibus utilitatibus et pertinentiis ipsius terre prefatis Nicolao, Stephano et fratribus eorundem ac per eos ipsorum heredibus, heredumque successoribus iure perpetuo possidendam et habendam pro duodecim marcis denariorum zagrabiensium receptis ab eisdem plenarie, ut dixerunt, assumpmendo et obligando se iidem Jazen, Senk et Isan ad expediendum dictos Nicolaum, Stephanum et fratres suos predictos ab omni impetitione, si quam ratione dicte terre per quempiam oriri contingeret in futurum, in propriis laboribus et expensis Cuius terre prima meta, sicut homo noster et partes nobis retulerunt, incipit in loco, ubi rivus Pelaua cadit in alium rivum nomine Maiam, inde ascendit quendam magnum montem et per eundem vadit in magno spatio versus meridiem, remanente a sinistra parte terra Maren et cognatorum suorum, a dextra vero Nicolao et fratribus suis, filiis Baboneg, inde venit ad arborem harazt, ubi est meta terrea, inde vadit ad verticem eiusdem montis, inde parum descendendo per eundem montem vadit ad frutectum scanei, inde tendit ad metam terream versus occidentem, ubi recipit sibi conterminas seu commetaneas terras nomine Cresneuie, Boina, Bluzeta et eiudem terre Pelaua, inde vadit per latus cuiusdam montis super frutices keneie vocatas, inde versus septemtrionem ad quandam metam terream, inde vadit ad quasdam arbores harazt v[oca]tas, ubi est meta terrea, inde ad magnam viam, ubi est meta terrea et per eandem viam vadit versus orientem ad quasdam sepulturas, inde ascendit per eandem viam supra m[onte]m, in quo vadit in magno spatio et venit ad locum Calech nomine, deinde cadit in magnam vallem, ubi est fluvius Beli potok et per eundem fluvium descendens cadit [in] predictum Pelaua, deinde per eundem fluvium descendit parum et cadit in fluvium Maiam ante dictum. In cuius rei memoriam presentes ad instantiam partium contulimus munimine nostri sigilli roboratas Datum sexta feria proxima ante dominicam ramispalmarum, anno domini M.CC. octuagesimo quarto.

*Thallóczy és Barabas Cod. dipl. com. de Blag 48—49. no. 22.*

## 393.

**1284, 17. aprila. U Cittavecchii.**

*Martin IV. papa nadbiskupu zadarskomu, neka šalje pred papin sud izopćenoga biskupa skradinskoga.*

Martinus episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri . . . archiepiscopo Jadrensi salutem et apostolicam benedictionem. Dudum nobis quondam frater Johannes magister ordinis fratrum Predicatorum significare curavit, quod licet per litteras sedis apostolice sit inhibitum etc., ut in superiori usque sollicitudine curaremus. Unde ne predictus Galvanus de tante ambitionis gloriari possit excessu, tibi per alias nostras sub certa forma dedimus litteras in mandatis, ut inquisita super hoc diligentius veritate, si rem invenires ita esse, dictum Galvanum ab officio beneficioque suspenderes, etiam si ad consecrationem ipsius processum existeret per quemcunque, ac eundem sic suspensum ad nos infra competentem terminum, quem sibi prefigeres, destinares, pro meritis recepturum, nobis nichilominus quicquid super hoc te facere ac invenire contingeret, necnon et diem huiusmodi prefixionis et formam per tuas litteras predictarum litterarum tibi super hoc directarum seriem continentes fideliter exponendo. Tu itaque volens mandatum apostolicum reverenter exequi, ut teneris, eundem Galvanum coram te auctoritate nostra legitime citare curasti, ius suum, si quod habere se crederet, plenius ostensurum, eidem nichilominus intimando, quod ipsius corporalis absentia non obstante in inquisitione predicta termino sibi prefixo procederes secundum nostrarum continentiam litterarum, eique iniungendo districtius, ut si quas litteras super absolutione ipsius ab ordine supradicto fortassis haberet, illas tibi ostenderet in termino prelibato. Cumque procurator eiusdem Galvani coram te in termino comparuisset eodem, vocem licet frivole apellationis emisit, at tu eundem Galvanum reputans non immerito contumacem, quamquam factum huiusmodi tibi notorium videretur, super eo iuxta mandati nostri tenorem fideliter inquirere studuisti. Et quia invenisti per inquisitionem huiusmodi predictum Galvanum magistri vel prioris sui provincialis non obtenta licentia tam super huiusmodi electione seu provisione de ipso presumpta, quam ut in eiusdem Scardonensis ecclesie ab eo temere occupate consecraretur, episcopum presumptione temeraria consentisse, prefatum Galvanum iuxta formam mandati apostolici tibi facti ab officio beneficioque suspendens, ipsum sic suspensum ad sedem apostolicam citavisti, prefixo

sibi certo peremptorio termino, quo coram nobis personaliter compareret pro meritis recepturus, et nichilominus prefixionem ipsius termini tam in tua Jadrensi, prefato procuratore presente, quam in tue diocesis ecclesiis, cum ad ipsum Galvanum ex iusto metu nuntius aliquis accedere non auderet, publicari fecisti, prout hec omnia transmisse nobis tue littere continebant. Sed predictus Galvanus ad inobedientie vitium se convertens comparere coram nobis aliquatenus non curavit, etiam post lapsum eiusdem termini diutius expectatus, propter quod ipsum non immerito contumacem duximus reputandum, in eum per nos, exigente ipsius contumacia, excommunicationis sententia promulgata. Licet igitur contra memoratum Galvanum ob huiusmodi temeritatem et contumaciam suam ad penam aliam propter hac infligendam eidem possemus de iure procedere, cum etiam intellexerimus, quod idem per potentie secularis abusum in predicta ecclesia fecerit se intrudi, quamquam ecclesie prefate provisio tunc per lapsum temporis, sicut accepimus, extitisset ad sedem apostolicam devoluta, ut tamen agatur in hac parte maturius, et procedatur benignius circa ipsum, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus eundem Galvanum, non obstante appellatione predicta, quam frivolam reputamus, excommunicatum a nobis ob causam predictam in locis, de quibus videris expedire, denunties et facias per alios publice nuntiari, et nichilominus ipsum ex parte nostra per te vel per alium citare procures, ut infra trium mensium spatium a die citationis, quem terminum sibi ad hoc peremptorium assignamus, coram nobis se personaliter representet facturus et recepturus, quod super hoc duxerimus ordinandum, et aperte predicas eidem quod nisi saniori ductus consilio coram nobis in predicto termino personaliter comparere curaverit, nos ad privationem seu amotionem ipsius ab ecclesia supradicta, et alias etiam contra eum, prout facti qualitas suggeret et iustitia suaserit, procedemus. Quicquid autem super hiis feceris, nobis per tuas patentes litteras harum seriem continentes studeas fideliter intimare. Datum apud Urbemveterem, XV kalendas maii, pontificatus nostri anno quarto.

*Theiner Monum. Slav. Mer. I. 99–106. no. 131. Iz reg. orig. an. IV ep. 8. fol. 193. — Potthast Reg. pontif. no. 22.124.*

## 394.

**1284, 18. aprila. U Dubrovniku.**

*Osuda buntovnoga djakona Predanella.*

Anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo quarto, duodecima indictione, decima octaua intrante aprili. Cum in die dominico infestiuitatis pasce circa occasum solis uel quasi rumor quidam insurrexerit iuxta palatium archiepiscopatus motus quidem rumore, multi interfuerunt tam clerici quam laici qui deiicerunt lapides in palatium archiepiscopatus, et qui multa mala uerba oblocuti fuerunt et concitatatoria ad male faciendum contra dominum archiepiscopum et eius familiam. Propter que uerba multi concitati fuerunt ad lapides deiiciendos in predictam domum domini archiepiscopi, et nisi ianue et fenestre domus archiepiscopalis clause fuissent, ipsi domino archiepiscopo cum tota familia eius mortis periculum imminebat, quapropter nos frater Bonauentura de ordine minorum miseratione diuina Ragusinus archiepiscopus facta diligenti inquisitione de clericis qui interfuerunt rumori et lapidationi predicte, inuenimus per confessionem Johannis de Predanella deinde per plures testes contra eundem testificantes, quod ipse dixerat multa mala uerba in predicto rumore, propter que multos nos concitauit ad lapides prohiciendos (!), dicendo coram gentibus, quod dominus archiepiscopus tenebat secum ba[vo]rios ad interficiendum nobiles de Ragusio, qua de causa dignum esset, [ut] non solum familia archiepiscopi lapidaretur, sed et ipse archiepiscopus. Et in pleno capitulo ad campane sonitum congregato, ut moris est, dixit ipse Johannes quod non fecerat nec dixerat quartam eius, quod facere uel dicere debuisset. Attendentes igitur, quod hec res fuit extreme perniciosa, et quod omnia iura clamant, quod maleficia nullatenus impunita debeant remanere, et ne silentes sanctum . . . . a posteris in exemplum habito igitur quam pleniori consilio peritorum ac etiam inter nos deliberatorie es . . . . . . . . . Christi nomine inuocato occasione supradictorum excessuum . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
predictum Johannem subdiaconum inhabitis scriptis . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

Et ego Antonius de Carletis ciuis Parmensis et predicti domini archiepiscopalis iuratus officialis, imperialis aule publicus auctoritate notarius

hiis [omnibus] interfui rogatus et de mandato predicti domini archiepiscopi scripsi compleui et roboraui.

*(Signum notarii).*

*Original u dubrovačkom arkivu vlagom istrošen i djelomice izderan, na istoj pergameni, na kojoj je listina od 10. aprila 1283 — Zbirka Saec. XIII.*

## 395.

**1284, 18. aprila. U Dubrovniku.**

*Bonaventura nadbiskup dubrovački zapovijeda poddjakonu Prodanellu, da mu plati dug.*

Anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo quarto, XII. indiccione, die XVIII. intrante aprili Venerabilis pater dominus frater Bonauentura ordinis minorum miseracione diuina archiepiscopus Ragusinus in presencia capituli Ragusini congregati ad sonitum campane, ut moris est, in sala archiepiscopali precepit subdiacono Junio de Predanello pro primo, secundo et tercio peremptorie et sub excommunicacionis pena, quam incurret ipso facto contrarium faciendo, ut vsque ad diem iouis proximum venturum satisfaciat eidem domino archiepiscopo plenarie sine aliqua occasione de centum yperperis, sicut in sententia lata per eundem plenarie continetur, continente anno millesimo et indictione predictis, scilicet de pignoribus valentibus ad quantitatem quinquaginta yperperorum et de aliis quinquaginta de fideiussoribus idoneis, alioquin contra eundem procederet, sua penitus inobediencia non obstante. Actum fuit hoc in archiepiscopali palacio presente capitulo Ragusino nec non domino archiepiscopo pro tribunali sedente.

Et ego Antonius de Carletis ciuis Parmensis et predicti domini archiepiscopi iuratus officialis, imperialis aule publicus auctoritate notarius his omnibus interfui rogatus et de mandato eiusdem domini scripsi et roboraui.

*Original u dubrovačkom arkivu. — Tri listine na jednoj pergameni. Ova i druge dvije od datuma iste godine 20 aprila i 17. oktobra. Rukopis »Bullarium Ragusinum« pag. 436.*

*Farlati Illyr. sacr. VI. 116. — Kukuljević Reg. no. 1362.*

## 396.

**1284, 20. aprila. U Dubrovniku.**

*Poddjakon Ivan Predanello pokorava se najprije nadbiskupu svomu Bonaventuri, ali ne održi svoje prisege.*

Anno domini millesimo et indiccione predictis comparuerunt coram eodem venerabili patre domino fratre Bonauentura miseracione diuina archiepiscopo Ragusino Joannes de Predanello in termino eidem assignato petens misericordiam et veniam domino supradicto Ragusino. Capitulo congregato ad sonum campane, ut moris est, in archiepiscopali palacio, volens supradictus dominus archiepiscopus procedere contra eum, sicut postulat ordo iuris, supradictus Joannes difidens de iure suo dixit, quod ponebat se in manibus domini archiepiscopi antedicti, et quod ipse faceret de eo alte et basse quicquid sibi placeret absque iuris ordine, et tunc in presencia tocius capituli supradictus dominus archiepiscopus recepit ab ipso iuramentum de parendo mandatis ecclesie et ipse tactis sanctis euangeliis iurauit parere et obedire in omnibus et per omnia mandatis ecclesie et domini supradicti Insuper recepto ab ipso iuramento precepit eidem Joanni sub debito iuramento pro primo, secundo et tercio peremptorie, ut usque ad diem sabbati proxime venturum per totam diem compareat coram eo et satisfaciat eidem de centum yperperis, videlicet de quinquaginta in bonis pignoribus et de aliis quinquaginta in fideiussoribus idoneis, qui subdiaconus Joannes spreto domini archiepiscopi precepto et proprio iuramento in sue anime non modicum detrimentum in prefixo termino mandatis non obediuit, sed pocius renuit et contempsit. Actum fuit hoc in sala archiepiscopali presente capitulo supradicto.

Et ego Antonius de Carletis ciuis Parmensis et predicti domini archiepiscopi iuratus officialis, imperialis aule publicus auctoritate notarius hiis omnibus interfui rogatus et de mandato eiusdem domini scripsi et roboraui.

*Original u dubrovačkom arkivu. Tri listine na jednoj pergameni Ova i druge dvije od datuma iste godine 18. aprila i 17 oktobra Rukopis »Bullarium Ragusinum« pag. 437.*

*Farlati Illyr. sacr. VI. 117.*

## 397.

**1284, 25. aprila. U Spljetu.**

*Stana opatica daje Dragoju Turšiću neku zemlju.*

In nomine dei eterni amen Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo octoagesimo quarto, indictione duodecima, sexto die exeunte aprilis, regnante domino nostro Ladislao serenisimo rege Vngarie. Temporibus domini Johanis venerabilis Spalatensis archiepiscopi domini Mladeni Stepconis de Briberio incliti comitis . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . de Jadria egregie potestate Joseph Petri Slouinne, Madii Miche iudicum Domina Stana abbatissa monasterii sancti Benedicti dedit cum suo conuentu de sua terra in Glodnico Dragoe Turisciz ad exarandum et pastinandum unam partem de domo . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

*Original istresen i izderan u arkivu samostana sv. Marije u Zadru*

## 398.

**1284, 1 juna. U Zagrebu.**

*Pred kaptolom zagreb. prodaje Vuk s drugovima iz Bornovca, posjed Glinu za 16 maraka knezu Petru, Kojanu i Ivanu plemićima iz Bornovca.*

Capitulum ecclesie Zagrabiensis omnibus quibus expedit presens scriptum inspecturis salutem in domino. Ad vniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod comite Petrus filio Petrilo, Coyano et Juanus filio Wlk nobilibus de Bornouoz ab una parte, Wlk filio Budur pro se et Mylech filio Ratnk fratris sui, Mathya filio Odomizel pro se et Jakmin fratre suo, Iwan filio Wlkota, Georgio filio Goyan, Wlchey filio Cynimer pro se et Guerdona fratre suo, Dragan filio Czernech, Wlkoy filio Dobrozlau pro se et Wlchik fratre suo similiter de Bornouoz cognatis predictorum Coyan et Juanus, qui se sic esse et vocari asserebant ab altera, personaliter in nostri presencia constitutis, idem Wlk et ceteri de parte sua prenominati dixerunt et confessi sunt, quod terram ipsorum de Glyna hereditariam, singuli uidelicet totas porciones suas cum omnibus utilitatibus, siluis scilicet, campis, aquis, molendinis, piscinis aliisque pertinenciis

eiusdem terre vendiderunt ei tradiderunt unanimiter et de bona uoluntate sua prefatis comiti Petrus, Coyano et Juanus et per eos ipsorum heredibus heredumque successoribus iure perpetuo possidendam et habendam pro sedecim marcis singulis cum quinque pensis denariorum banalium, scilicet comiti Petrus a parte terrarum suarum pro nouem marcis et dimidia, dictis uero Coyano et Juanus similiter a parte terrarum suarum pro sex marcis et dimidia, quam sumpmam pecunie predicti Wlk et ceteri de parte sua dixerunt se ab eisdem comite Petrus, Coyano et Juanus plenarie recepisse et habere ex integro, obligantes se nichilominus iidem Wlk et socii sui ad expediendum ipsos comitem Petrus, Coyanum et Juanus ab omni inpeticione, si quam racione dicte terre oriri per quempiam contingeret in futurum, cum suis laboribus et expensis, excepta tamen et exempta quadam particula terre, in qua est monticulus, sita inter riuum Lokauech et puteum Braik, que particula terre remanet et cedit uolente et contestante parte altera predictis Wlk et proximis suis possidenda. In cuius rei memoriam presentes ad instanciam parcium contulimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum quinta feria proxima ante octauas pentecostes, anno domini M⁰ CC⁰ octuagesimo quarto.

*Original u kr. ugar. državnom arkivu u Budimpešti M. O. D. L. no. 33.855. Stara signatura: N. R. A. fasc. 1533. no. 7. — Na listini visi crvena i zelena svilena vrvca bez pečata.*

*Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont. XII. 425—426. po istom izvorniku. — Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont. IX. 410. donosi regest iz komor. ark u Budimpešti — Fejér Cod. dipl. Hung. V. 3. 273. no 4. donosi regest. — Kukuljević Reg. no. 1364.*

## 399.

**1284, 1. juna. U Zagrebu.**

*Pred zagrebačkim kaptolom dijele i zamjenjuju plemići iz Bornovca, knez Petar, Kojan i Ivan neke zemlje u Glini.*

Capitulum ecclesie Zagrabiensis omnibus quibus expedit presens scriptum inspecturis salutem in domino. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod comes Petrus filius Petrilo ab una parte, Coyanus et Ivanus filius Wlk nobilibus de Bornouz ab altera, in nostri presencia personaliter constituti, retulerunt et confessi sunt in terris suis de Glyna tam emticiis(!) quam hereditariis uel eciam aquisitis talem diuisionem et eciam in aliqua parte seu quantitate concanbium(!)

fecisse seu celebrasse eatenus inter eos, uidelicet, quod prefatus comes Petrus terram suam emticiam contiguam terris Coyan et Jvanus cum omnibus vtilitatibus ipsius terre dedit et tradidit eisdem Coyano et Jvanus et per eos eorum heredibus heredumque successoribus perpetuo possidendam; ipsi vero Coyanus et Jvanus terram suam aquisitam, ut dicebant, contiguam terris comitis Petrus dederunt et assignarunt eidem comiti Petrus et per eum similiter suis heredibus heredumque successoribus iure perpetuo possidendam et habendam cum vtilitatibus eiusdem terre vniuersis Obligantes se partes ad expediendum alterutrum ab omni inpeticione, si [qu]am racione dictarum terrarum per quempiam oriri contitigerit(!) in futurum cum proprus suis laboribus et expensis. Distinguntur autem dicte terre ipsorum, sicut partes nobis retulerunt, hiis signis seu m[etis, u]idelicet per locum ubi palus Prodor vocata cadit in Glynam, cedente tamen ipsa palude in proprietatem Coyani et Jvanus predictorum, vnde egreditur prima meta et iens per eandem paludem surs[um ver]sus meridiem venit ad caput ipsius paludis et exit ad quandam viam vbi est meta terrea. Inde per eandem viam vadit et peruenit ad aliam paludem Meruycha vocatam, iuxta quam est meta terrea, inde per viam quandam, que ducit ad filios Radouanych versus eandem partem meridiei procedens peruenit ad riuum Wlchi vocatum, inde per eundem riuum modicum procedens exit ad partem dexteram ad metam eterream iuxta eundem riuum sitam, inde iuxta siluam filiorum Radouan in qua sunt arbores quedam cruce signate venit ad puteum quendam, inde ad alium puteum, inde circuens quendam monticulum declinat in vallem quandam et per ipsam vallem procedens uenit ad quandam viam circa quam est meta terrea, inde per ipsam viam paululum procedens versus occidentem, inde diuertit in partem dexteram ad quandam viam uersus meridiem per quam uiam procedens peruenit ad metam in qua est arbor haracz(!), inde per eandem viam eciam uersus meridiem per montem iens peruenit ad metam quandam duplicatam, que est supra riuum Wlchie uocatum, et sic mete dictarum terrarum terminantur dicto comite Petrus a parte terrarum abbatis, Coyano vero et Jvanus parte terrarum cruciferi de Gora et eciam terrarum de Bornouch(!) secundum equalem diuisionem seu eciam porcionem remanentibus terris antedictis. In cuius rey memoriam presentes ad instanciam parcium contulimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum quinta feria proxima ante octauas pentecostes, anno domini M° CC° octuagesimo quarto.

*Original u kr. ugar. državnom arkivu u Budimpešti: M. O. D. L. no. 33 658 Stara signatura: N. R. A. fasc. 1533. no. 6. Na listini visi zelena i ljubičasta svilena vrvca bez pečata.*

*Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont. XII. 424.—425. po istom izvorniku. Ibid. IX 411. donosi regest iz komor ark u Budimpešti. — Fejér Cod dipl. Hung. V 3. 273. donosi kratki regest. — Kukuljević Reg. no. 1365*

## 400.

**1284, 7. juna.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski odobrava, što je njegova mati Jelisava vratila episkopatu zagrebačkomu desetinu u Virovitici, Lipovljanima i županiji virovitičkoj.*

Ladizlaus dei gracia Vngarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod cum controversia siue contencio exorta fuisset et aliquamdiu uentilata inter illustrem reginam dominam Elizabeth matrem nostram karissimam ex parte una, et venerabilem patrem Thymoteum episcopum Zagrabiensem ex altera, super detencione decimarum liberarum villarum de Vereuce et Lypoa ac tocius comitatus de Vereuce tam frugum, vini, quam marturinarum, tributorum fororum, portuum ac aliorum iurium episcopalium, que et quas reuerenda domina mater nostra predicta in preiudicium et grauamen dicti episcopi Zagrabiensis et eius ecclesie in prescriptis uillis et comitatu detinebat, que eciam et quas scita et comperta a fidedignis uiris scripti et consuetudinarii [iuris] consona et omnimoda ueritate, quod ad ius et proprietatem predicti episcopi et eius ecclesie pertinerent, dicta domina mater nostra ipsas decimas et alia iura de memoratis uillis et comitatu ipsi episcopo et eius ecclesie prouenienciа in manus predicti episcopi et ecclesie pure, simpliciter et sine omni condicione resignasset et restituisset, prout ex priuilegio prelibate domine matris nostre liquido apparebat. Cuius quidem priuilegii tenor talis est: *(Slijedi listina kraljice Elizabete od g. 1283.)* Nos respicientes et inuenientes ipsum priuilegium duplici sigillo consignatum, non abrasum, nec in aliqua sui parte uiciatum, et quia alias de premissis et ueritate premissorum constabat euidenter, ex certa sciencia predictum priuilegium et resignacionem seu restitucionem predictarum decimarum ac aliorum iurium per dilectissimam dominam matrem nostram iuste, rite, deuote et laudabiliter factam in manus episcopi predicti ac ecclesie sue acceptamus, laudamus, approbamus et presentibus nostris priuilegialibus literis perpetuo et irreuocabiliter confirmamus, cum non velimus prefato venerabili patri Thymoteo

episcopo et ecclesie Zagrabiensi grauamen uel preiudicium per nos uel quospiam generari in hac parte, ymo pocius intendamus ex regie maiestatis munificencia et iuribus et facultatibus sepefati episcopi et ecclesie sue multiplicandis nostre regie liberalitatis cumulos ampliare. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem atque robur presentes ad instanciam et iustam peticionem superius memorati domini Thymotei episcopi concessimus literas duplicis sigilli nostri appensione roboratas. Datum per manus venerabilis patris Thome dei gracia episcopi Waciensis aule nostre cancellarii et comitis de Plys, dilecti et fidelis nostri, anno domini MCC octuagesimo quarto, VII. idus iunii, regni autem nostri anno duodecimo.

*Liber privileg. eppatus. zagrab. list. 67*

*Tkalčić Monum. episc. Zagrab. I. 212.—213. — Farlati Ill. sacr V. 382. regest. — Katona Hist crit. VII. 887. — Wenzel Cod. dipl. Arpad cont. XII. 414. donosi regest. — Kukuljević Reg. no. 1368.*

## 401.

**1284, 7. juna.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski hvali svoju mater Jelisavu, da je desetinu u Virovitici i Lipovljanima i u županiji virovitičkoj ustupila episkopatu zagrebačkomu.*

Ladizlaus dei gratia Vngarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus tam presentibus quam futuris presentes litteras inspecturis salutem in uero salutari Ad vniuersorum noticiam presencium serie uolumus peruenire, quod cum illustris regina domina Elisabeth mater nostra karissima decimas liberarum uillarum uidelicet de Vereuce et Lypoa, ac tocius comitatus de Vereuce tam frugum, vini, quam marturinarum, tributorum fororum, portuum ac alia iura episcopalia, credens ipsas decimas ad se pertinere, ipsasque licite posse recipere, inducta falsa et perniciosa suggestione aliquorum minus intelligencium ueritate, aliquibus retroactis temporibus ipsas indebite detinens percepisset, super quarum eciam decimarum ac iurium predictorum restitucione per venerabilem patrem Tymoteum episcopum Zagrabiensem sepius fuissemus requisiti. Nos prescriptas decimas tam frugum, vini, quam marturinarum, tributorum fororum, portuum ac alia iura episcopalia predictarum liberarum villarum et tocius comitatus de Vereuce scita et comperta plenius ueritate, ipsas ad epis-

copum Zagrabiensem et eius ecclesiam pertinere, de pleno consilio nostrorum baronum prefato venerabili patri Tymoteo episcopo Zagrabiensi et eius ecclesie ad ipsius iustam peticionem restituendas duximus pleno iure perpetuo, pacifice et sine contradiccione aliqua per dictum dominum Thymotheum(!) episcopum et eius successores possidendas, percipiendas et habendas. Et cum velimus et ex debito regie celsitudinis teneamur cunctos populos, quos nostre clemencie regit imperium, et maxime ecclesias dei ac personas ecclesiasticas illibate in suo debito statu ac suis iuribus conseruare, volumus et decernendo mandamus, quatenus predicta reuerenda domina mater nostra nec queuis alia persona eidem ex regie maiestatis gracia succedens processu temporum de decimis et iuribus supradictis contra uoluntatem predicti episcopi Zagrabiensis et eius successorum in grauamen et preiudicium ecclesie Zagrabiensis ulterius intromittere se presumat. Quod si quispiam contra hoc nostrum mandatum siue decretum ausu temerario presumpserit attemptare, occupando uidelicet uel usurpando iura et decimas supradictas, indignacionem seu regiam ulcionem se nouerit incursurum. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem atque robur presentes ad instanciam et iustam peticionem superius memorati domini Thymotei episcopi concessimus litteras duplicis sigilli nostri appensione et munimine roboratas. Datum per manus venerabilis patris Thome dei gracia episcopi Waciensis aule nostre cancellarii et comitis de Plys, dilecti et fidelis nostri anno domini MCC octuagesimo quarto, VII idus iunii, regni autem nostri anno duodecimo.

*Liber privileg. eppatus. Zagrab. list. 66.*
*Tkalčić Mon. episc. Zagr. I. 213.—214. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 414.—415. — Katona Hist. crit. VII. 887.*

## 402.

**1284, 7. juna.**

*Jelisava kraljica, ugarska i hrvatska potvrdjuje ispravu, kojom je njezina svekrva kraljica Jelisava vratila biskupiji zagrebačkoj zanijekanu desetinu u Virovitici, Lipovljanima i županiji virovitičkoj.*

Elisabeth dei gracia regina Hungarie vniuersis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in uero salutari. Vniuersorum noticie tenore presencium declaramus, quod cum controuersia sive con-

tencio exorta fuisset et aliquamdiu ventilata inter illustrem reginam dominam Elisabeth socrum nostram ex parte vna, et venerabilem patrem dominum Thymotheum dei gracia episcopum Zagrabiensem ex altera super detencione decimarum liberarum villarum, videlicet de Vereuce et Lypoa ac tocius comitatus de Vereuce, tam frugum, vini, quam marturinarum, tributorum fororum, portuum ac aliorum iurium episcopalium. Tandem eadem reuerenda domina socrus nostra, scita et comperta a fidedignis plenius ueritate, quod ipsas decimas et iura episcopalia indebite et in anime sue detrimentum detineret, et quod tam de iure scripto, quam consuetudinario ad ius et proprietatem prefati domini episcopi et ecclesie pertineret, ipsa domina socrus nostra in manus predicti episcopi pure et simpliciter et sine condicione qualibet resignauit et restituit, prout ex priuilegio sepedicte domine illustris socrus nostre duplici eius sigillo roborato, quod nobis idem venerabilis pater dominus episcopus exbibuit, constitit euidenter. Cuius quidem priuilegii tenor talis est: *(Slijedi listina Elizabete od god. 1283.)* Nos igitur prefatam resignacionem et restitucionem decimarum omnium et singularum predictarum, nec non et aliorum iurium episcopalium iustam et legittimam ac salubriter factam considerantes, in quantum ad nos pertinere dinoscitur, cum idem comitatus de Vereuce sit de prediis et curtibus reginalibus, ratam habemus, gratam et acceptam et auctoritate reginali laudamus, approbamus et tenore presencium irreuocabiliter roboramus, cum nolimus prefato venerabili patri domino episcopo Zagrabiensi ac eius ecclesie preiudicium aliquod uel grauamen in suis iuribus generari, sed pocius intendamus, prout regiam decet maiestatem, prosequi munificencia regia et fauore. In cuius rei memoriam et firmitatem perpetuam presentes ad iustam peticionem dicti patris venerabilis episcopi Zagrabiensis concessimus litteras duplicis sigilli nostri appensione seu munimine roboratas. Datum per manus discreti viri magistri Ladizlai prepositi Waciensis aule nostre cancellarii fidelis nostri, anno domini MCC octuagesimo quarto, VII idus iunii.

*Liber privileg. eppatus. Zagrab. list 67.*

*Tkalčić Mon. episc. Zagrab. I. 214—215, — E collect. Hevenes. XIII. L. D. — Fejér Cod. dipl. Hung. V. 3., 222.—223. — Wenzel Cod dipl. Arp. cont. XII. 418. donosi regest. — Kukuljević Reg. no. 1369.*

## 403.

**1284, 7. juna.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski poklanja biskupu i kaptolu zagrebačkomu zemljište pred stolnom crkvom, gdje su njekoč bani odsjedali.*

Ladizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris salutem in uero salutari. Ad uniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod cum fundus existens ante ecclesiam sancti regis catedralem, in quo bani Sclauonie aliquando ex permissione episcopi Zagrabiensis domos et descensum habere consueuerant, fuerit et sit ipsius ecclesie Zagrabiensis pleno iure proprietatis a fundacione ecclesie antedicte, et hoc nostre maiestati constitit plena fide. Nos ex debito regie celsitudinis officio nolentes ipsam ecclesiam Zagrabiensem in diuino cultu uel aliquibus suis iuribus seu facultatibus in aliquo diminui, ymo uelimus pocius ex regia munificencia augmen[tari], [supradictum] fundum plene et integre ad iustam peticionem venerabilis patris Thymotey dei gracia episcopi Zagrabiensis dilecti et fidelis nostri, [ei] restituendum duximus et irreuocabiliter possidendum ita, quod idem episcopus Zagrabiensis possit et debeat ipsum fundum seu locum munire . . . . . pro fratribus ecclesie sue, ne propter uacuitatem ipsius curie uel fundi, cum desolatus et uacuus remanserit a decem annis et citra, Teotonicis uel aliis inimicis seu nocere uolentibus per ipsum loco Zagrabiensi aditus pateat ad nocendum. Volentes nichilominus et firmiter precipientes, quamuis nullus banus pro tempore constitutus dictum episcopum Zagrabiensem uel eius capitulum racione prescripti fundi molestet, uel presumat in aliquo perturbare, si regiam uoluerit effugere ulcionem. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis patris Thome dei gracia episcopi Waciensis aule nostre cancellarii dilecti et fidelis nostri, anno domini MCC octuagesimo quarto, septimo idus iunii, regni autem nostri anno duodecimo

*Original u arkivu kaptola zagrebačkog. Fasc. 17. no. 69. Na crveno-bijelo-zelenoj svilenoj vrvci visi pečat.*

*Tkalčić Monumenta episc. Zagr. I. 211. 212. i Monum. civit. Zagr I. 56.—57 — Kercselich Hist. eccl. Zagrab. donosi opširni regest. Po njemu: Farlati Ill. sacr. V. 382. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 416.—417. — Kukuljević Reg. no. 1367.*

# 404.

**1284, 7. juna.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski potvrdjuje darovanje županije garešničke, učinjeno biskupiji zagrebačkoj.*

Ladizlaus dei gracia Vngarie, Dalmacie, Chroacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad uniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod venerabilis pater Thymotheus dei gracia episcopus Zagrabiensis dilectus et fidelis noster, ad nostram accedens presenciam nostre maiestati quoddam nostrum exhibuit priuilegium super donacione comitatus de Guersente(!) per nos facta(!), et pecijt ipsam donacionem seu collacionem innouari, ac ipsum priuilegium de uerbo ad uerbum presentibus inseri et per nostram celsitudinem confirmari. Cuius quidem priuilegii tenor talis est: *(Slijedi listina kralja Ladislava od g. 1277.)* Nos itaque regalis circumspecte officii solempni ac diligenti tractatu cum nostris baronibus prehabito ac maturitate debita obseruata, iam ex diuine propiciacionis gracia ad legittimos seu discrecionis annos feliciter peruenientes, prefati venerabilis patris domini Thymothei episcopi dilecti et fidelis nostri iustis peticionibus inclinati, considerantes prescriptam donacionem fore licitam, iustam, salutiferam et honestam premissum priuilegium presentibus de uerbo ad uerbum insertum et collacionem seu donacionem, immunitates, exempciones et libertates in eodem contentas vniuersas et singulas innouamus, approbamus, laudamus et auctoritate regia irreuocabiliter ac stabilitate perpetua confirmamus, ymo iam, ut pretactum est, in annis legittimis constituti, ut cuiuslibet dubietatis seu mutabilitatis de medio scrupulus auferatur, omnes donaciones, collaciones, quibuscumque temporibus baronibus seu regni nostri nobilibus quibuscumque per importunitatem petencium per nos factas, et literas, priuilegia uel munimenta quocunque ingenio uel tempore impetratas uel concessas reuocamus, irritamus, annillamus et pronunciamus nullius fore efficacie uel momenti. Et eisdem uti volentes tamquam falsarios et callumpnie uicio notatos decernimus condempnandos, et ipsum comitatum cum exempcionibus, libertatibus et immunitatibus, redditibus et condicionibus suprascriptis, ut ex nunc et de nouo in perpetuam elemosinam conferimus, concedimus et donamus predicto venerabili patri Thymoteo episcopo Zagrabiensi propter fideli-

tatem et ipsius grata obsequia nobis exhibita indefesse ac sue merita probitatis, et per eum suis successoribus ac episcopatui Zagrabiensi iure perhenni habendum, tenendum et inrefragabiliter possidendum. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem atque robur presentes ad instanciam et iustam peticionem superius memorati domini Thymotei episcopi concessimus literas duplicis sigilli nostri appensione seu munimine roboratas. Datum per manus venerabilis patris Thome dei gracia episcopi Waciensis aule nostre cancellarii dilecti et fidelis nostri, anno domini MCC octuagesimo quarto, VII idus iunii, regni nostri anno duodecimo.

*Liber privileg. eppatus zagrab. list. 34.*
*Tkalčić Monum. episc. Zagr. I. 215.—216. — Farlati Illyr. Sacr V. 380.—381. — Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont. XII. 412—413. — Kukuljević Reg. no. 1370.*

## 405.

**1284, 13. juna. U Cittavechii.**

*Martin IV. papa nadbiskupu dubrovačkom, neka se poskrbi, da se popune stolice biskupske u Stonu i Trebinju.*

Martinus episcopus servus servorum dei venerabili fratri [Bonaventure] archiepiscopo Ragusino salutem et apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram pervenit, quod Tribuniensis et Stagnensis ecclesie cathedrales tue provincie, metropolitico tibi iure subiecte, tanto tempore pastoribus iam vacaverunt, quod earum provisio est ad sedem apostolicam secundum generalis statuta concilii legitime devoluta. Nos itaque, quibus ex iniuncto nobis apostolatus officio sollicitudo ecclesiarum imminet generalis, dispendiis, que ex diutina vacatione imposterum ecclesie predicte possent incurrere, per nostre providentie studium occurrere intendentes, ac gerentes de tua circumspectione fiduciam in domino specialem, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si tibi constiterit ita esse, predictis ecclesiis, singulis videlicet singulas personas ydoneas de prudentium et religiosorum virorum consilio hac vice auctoritate nostra preficias in episcopos et pastores, eisque, ascitis tibi tribus vel duobus episcopis, munus consecracionis impendas, faciens ipsis a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstante, si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod

excommunicari aut interdici nequeant vel suspendi per litteras dicte sedis non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum apud Urbemveterem, idus iunii, pontificatus nostri anno quarto.

*Theiner Mon. Slav. Mer. I. 100. no. 135. Iz reg. an. IV. ep. 69 fol. 221. — Farlati Illyr. Sacr. VI. 293. — Potthast Reg. pontif. no. 22.159. — Kukuljević Reg. no. 1371.*

## 406.

**1284. Prije 1. augusta.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski daje knezu Rodinu za zasluge i pretrpljene štete neke zemlje.*

Ladizlaus dei gratia Hungarie, Dalmatie, Croatie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex universis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in eo, qui regibus dat salutem. Ad uniuersorum notitiam tenore presentium volumus pervenire, quod quia comes Rodyn filius Benedicti, fidelis noster a primevis nostre pueritie temporibus nostro lateri adherendo semper et ubique in diversis regni nostri expeditionibus meritoria obsequia et laudabiles famulatus cum fervore summe fidelitatis exhibuit et impendit, attendentes etiam dampna, destructiones, spoliationes et combustiones possessionum suarum et vulnera filii sui, nec non mortem quatuor servientium suorum, que pro fidelitate nobis observanda per comitem Herricum filium Herrici bani est perpessus de suis possessionibus miserabiliter effugando, licet respectu servitiorum suorum, dampnorum sibi illatorum et morte servientium suorum maioribus dignus haberetur, aliquali tamen remunerationis antidoto occurrere volentes regio cum favore quasdam terras castri nostri de minori Pezet, Menygch et Meduegyan vocatas, a predicto castro nostro exceptam(!) penitus et exemptam(!) cum omnibus utilitatibus et pertinentiis suis, prout ipsum castrum tenuit et possedit, eidem comiti Rodyn et per eum suis heredibus, heredumque suorum inposterum successoribus dedimus, contulimus et tradidimus iure perpetuo pacifice et irrevocabiliter possidendas. Ut igitur huius nostre collationis series robur obtineat perpetue firmitatis, nec possit ullo unquam tempore in irritum retractari, presentes eidem comiti Rodyn concessimus literas duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis patris Thome dei gratia episcopi Waciensis aule nostre cancellarii dilecti et

fidelis nostri, anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo quarto, regni autem nostri anno duodecimo.

*Thallóczy és Barabas Cod. Blag. 50—51. no. 23.*

## 407.

**1284, (4. augusta ?) U Potoku.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski zapovijeda svojoj materi Elizabeti da vrati biskupiji zagrebačkoj Vašku.*

Ladislaus dei gracia rex Hungarie carissime matri sue domine Elisabeth regine salutem, quam sibi optat intimo cordis affectu. Quum nos regnum nostrum et coronam ac regiminis nostri processum, suffragantibus meritis sanctorum progenitorum nostrorum, et presertim sanctissimi regis Stephani patrocinio suffulti, indubitanter credamus propensius gubernari, admiracione vehementi mater carissima cor nostrum concuti non immerito compellitur, quod cum in quibusdam nostris agendis, ac presertim in spiritualibus, vestre discrecionis consilio et regimine etiam nostri iuveniles actus esset expediens emendare; unde hoc proveniat, ut in persona vestre dileccionis, iam urgente deorsum virtute corporea, accendatur et invalescat possessionum ecclesiasticarum invasio et desolacio et occupacio indebita, contra deum et iusticiam attentata Quum etenim per nostros frequentes nuncios et litteras nostri sinceri amoris desideratam amoris unionem sepius requisissemus, ut possessionem ecclesie sanctissimi regis Stephani de Zagrabia, Vaska vocatam, occupatam contra deum et iusticiam, relinqueretis et restitueretis, nullum effectum tam timor domini, quam nostra sunt precamina consequuta, sed pocius, ut refertur, et nobis constat per nuncios nostros, ipsa possessio ad exinanicionem extremam severius et miserabilius est deducta. Quapropter adhuc petimus affeccione qua possumus, quatenus relinquatis et remittatis possessionem prefatam ecclesie memorate, et de iniuris et damnis illatis satisfieri faciatis ad plenum, alioquin, si prefatus venerabilis pater tam euidenti necessitate compulsus, contra personam vestram et vestros ecclesiasticam processerit per censuram, nec nobis, quando sepius vos requisiverimus, nec eidem poteritis imputare Nos etenim ex regali debito officii eidem domino episcopo deesse non possumus, nec post tot admoniciones iteratas licenciam in prosequucione iuris

sui aliquatenus denegare. Datum in Potok, in festo sancti Dominici confessoris, anno domini MCCLXXXIV.

*Apud Péterfi con. P. I. 104. — Katona Hist. crit. 895. — Farlati Illyr. sacr. V. 381.—382. — Fejér Cod. dipl. Hung. V 3, 245.—246. Kukuljević Reg. no. 1363.*

## 408.

**1284, [10.] augusta. U Krku.**

*Oporuka Deše Baniše.*

In Christi nomine amen. Hoc est exemplum cuiusdam puncti cuius tenor est.

In Christi nomine amen. Anno a nativitate 1284, indictione 12. mensis augusti intrante Cum terminum vitae suae unusquisque ignoret, et nihil certum habeatur, quam vitam finire, propterea igitur Dessa de Banissa iacens in lecto infirmus corpore, tamen in sana memoria et sensu, timens articulum humanae naturae imminere, in hunc modum suum condidit testamentum, in quo primo et principaliter dimisit et ordinavit, quod viginti quinque romanatus exigantur de usufructu bonorum suorum, qui vero debeant distribui pro eius anima, ubi fideicomissarius melius et utilius videbitur expedire Item dimisit vineam de callis spartitis, et unum campum iacentem in campis iuxta campum domini comitis Federici, et ortum de civitate cum murariis et omnibus suis pertinentiis nepti suae Dominicae filiae quondam Mariae et ambabus virzolis, tali modo, quod ipsa annuatim annuale suum et uxoris facere teneantur, scilicet dare debeant in anniversario suo fratribus minoribus Veglae totum expendium, quod fuerit in illo die necesse, et libram unam incensi in festo sancti Francisci similiter annuatim dare teneantur. Et si qua aliqua ipsorum obierit, ipse sive ipsa quae remanserit cum consilio vardiani, qui pro tempore fuerit in loco fratrum, aliam sive alias procuratrices loco ipsarum, sive ipsius instituere debeat; tamen semper sit una de agnatione ipsius. Item dixit, quod Sussana de Dobregno habet unum iuvencum pro medietate, et de uno alio tres partes habet Sussana et quartam partem ipse Dessa. Item dixit, quod Caramanus de Risicha habet tria capita armentorum pro tribus bissantiis ad capturam. Item dixit, quod Hieronymus de Gener habet iumenta septem et unum polledrum ad capturam pro bissantiis undecim, et quinque sibi tenetur dare pro uno equo, quod ipse vendidit. Item dixit, quod dictus Sussana habet unum

vacinum ad dividendum per medietatem. Preterea dictus Dessa dimisit et instituit super omnia bona sua, tam ordinata quam inordinata Dominicam de Sussana tanquam suam veram et legitimam fideicomissariam tali modo, quod ipsa omnia superius ordinata distribuere debeat ut decet, et alia bona inordinata manutenere et gubernare prout melius poterit, donec nepotes eius et nepta pervenerint ad talem sensum, ut per se possint se regere, et in aliquo non debeant ipsam molestare de ipsis bonis. Et si praedicti nepotes et neptis eius se male habebunt, omnia bona sua supradicta pro animabus eius et uxoris suae debeant elargiri. Et hoc dixit et voluit esse suum ultimum testamentum et suam ultimam voluntatem, quod si non potest valere nomine testamentorum, valeat nomine codicillorum, vel quacunque alia ultima voluntate. Actum Veglae in domo testatoris coram patrino suo fratre Justino et fratre Joanne de ordine fratrum minorum, Joanne Vello in Campo, Caramano, et Caramano de Risicha, ad haec vocatis et specialiter rogatis testibus.

Ego Joannes de Bano sacri palatii notarius predictis interfui et rogatus a testatore scripsi.

Ego Quirinus filius quondam Leonardi de Vegla imperiali auctoritate iudex ordinarius et notarius, rogatus praedictum testamentum, prout in eo vidi et legi, ita de mandato et auctoritate domini Nicolai vicecomitis Veglae mihi tradita et concessa, ad instantiam et supplicationem fratris Marci ordinis minorum vardiani loci Veglensis fideliter transcripsi et exemplavi et in hanc publicam formam redegi, meoque signo et nomine roboravi, nihil addens vel minuens, quod sensum mutet vel variet intellectum, nisi forte punctum, litteram vel sillabam, sub anno domini nostri Jesu Christi 1362., indictione 15., die penultimo mensis Julii, Veglae in loco ubi placita audiuntur. Praesentibus iudice Mauro et iudice Paulo . . . . . et aliis ad haec convocatis specialiter et rogatis testibus.

Ego Nicolaus vicecomes manum misi.

*(Signum not.)*

*Zbornik Bartoliev str. 1—2.*

## 409.

**1284, 12. augusta. U Dubrovniku.**

*Knez dubrovački daje Lastovo u zakup.*

Die duodecimo augusti in presencia iuratorum iudicum Michaelis de Cluno et Vrsacii de Viliarico. C. Nobilis dominus Michael Maurocenus comes Ragusii dedit et concessit Blasio filio Rossini de Xocato omnes rationes, quas habet in comitatu Laguste ab vltimo die mensis iunii proxime preteriti usque ad duos annos completos, tali uidelicet pacto et ordine, quod dictus Blasius debet habere omnes rationes et introitus ad comitatum Laguste pertinentes; verum tamen dictus Blasius debet dare domino comiti pro dictis duobus annis yperperos centum viginti et omnes falcones ad comitatum pertinentes et carnes de ducentis canillis; et si aliqua mulier de Lagusta caderet in peccatum, propter quod deberet esse ancilla comitis, dicta ancilla una uel plures, que sic euenirent, debeant esse dicti domini comitis. Quos yperperos dictus Blasius debeat soluere in terminis infrascriptis, videlicet · in festo natiuitatis domini proxime venturi yperperos triginta, et in festo sancti Petri de iunio proxime uenturi alios triginta yperperos, et in secundo anno residuos sexaginta yperperos in terminis suprascriptis, et dictas carnes de canillis et falcones dictus Blasius debet conducere Ragusium et presentare domino comiti. Verum tamen dictus Blasius debet habere decimam de blaua uentura et de vino duobus annis et alios introitus omnes ad comitatum pertinentes.

*Diversa cancellariae 1275. U dubrovačkom arkivu.*

*Imade početak nove godine u mjesecu januaru 1286 a onda bijeli listovi sve do listine od 17. jula. — Ipak nije ovaj nastavak za godinu 1286 već za godinu 1284., jer sa posljednjim septembrom ima na vrhu natpis · Mutatio indictionis MCCLXXXIIII. indictio XII., što odgovara doista godini 1284.*

## 410.

**1284, (?) 13. augusta. U Dubrovniku.**

*Pogodba o prodaji soli.*

Die XIII. augusti coram domino comite et iuratis iudicibus Dimitrio de Menze et Fusco Binzole. C. Fredericus Theodori de Galuzo fecit

tale mercatum cum Grubessa de Ragnana et cum Nichola de Crossio officialibus electis ad emendam salem pro comuni, quod ipse Fredericus obligauit se ire in continenti cum ligno suo Dyrachium et portare dictum lignum emiscum(!) salo(!) albo de Dyrachio uel adminus medium caricum et dare dictum salem comuni Ragusii ad rationem quatuordecim yperperorum pro centenario salis ad mensuram Ragusii, et comune Ragusii tenetur recipere illud pro dicto precio et facere solutionem dicti salis infra tercium diem, postquam sal fuerit exoneratus. Pro quo mercato datus fuit unus follerus pro ara et predicta omnia una pars alteri obseruare promisit sub pena centum yperperorum a parte non obseruante parti obseruanti soluendorum.

*Diversa cancellariae 1275. U dubrovačkom arkivu.*
*Gl. primjetbu za listine od 13. augusta i. g.*

## 411.

**1284, 19. augusta. U Zadru.**

*Na javnoj dražbi kupuje samostan sv. Nikole tri puste zemlje i nedjelivu zemlju Stanoja, sina Juriše Šijaka, prodane radi duga od 84 komada ovaca i koza istom samostanu dužnih.*

In Christi nomine. Anno incarnationis eiusdem millesimo ducentesimo octoagesimo quarto, indictione duodecima, die tercio decimo exeunte mense augusti, Jadre. Temporibus equidem domini Johannis Danduli incliti ducis Venecie, et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Johannis Contareni egregii comitis. Testificans testificor ego quidem Vitus Jadrensis curie riuarius et preco in salute anime mee et in ea veritate que Christus est dico, quomodo habita licencia et mandato a prenominato domino Johanne Contareno comite Jadre suisque iudicibus et curia incantandi et preconiçandi tria derra et vnam terram, que tenent se simul Stanoy filii condam Jurgii Siyag, posita in insula Dobropoyana. Que uero tria derra uersus boream firmant ad terram seu possessiones heredum condam Fortis Volcinne de Mathafarro et heredum condam Viti de Mrouiça, de austro possidet Millotha filius Budiçii, et de trauersa est terra monasterii sancte Marie monialium et terra Pauli Syachi. Predicta uero terra est medietas pro indiuiso vnius terre ipsius Stanoy, posite in eadem contrata iuxta mare uersus trauersam, de borea possidet Vitaça de Lemesso, et de austro

Laurencius de Ceualellis, ipsa uero tria derra simul se tenentia, et medietas predicte terre pro indiuiso posita ad incantum ad instanciam et peticionem domine Marie abbatisse monasterii sancti Nicolai Jadre et suarum sororum pro octoaginta quatuor bestiis inter oues et capras, quas idem Stanoy dare tenebatur eidem monasterio sancti Nicolai, extimatas quadraginta libras denariorum paruorum per ciuitatem Jadre et eius plateas diebus pluribus publice incantaui alta voce clamando, quod plus offerenti darentur et deliberarentur; et sic obtulit et presentauit se frater Petrus monachus dicti monasterii sancti Nicolai vice et nomine dicte abbatisse et suarum sororum ad dandum et soluendum de predictis tribus derris et medietate terre pro indiuiso pro ipso monasterio sancti Nicolai quadraginta libras denariorum paruorum in solucione et scomputacione predicti debiti LXXXIIII bestiarum. Et sicut iterum per vnum mensem et plus ipsa tria derra et medietatem dicte terre pro indiuiso publice incantaui secundum consuetudinem et formam statuti communis Jadre, sed nullus conparuit, qui plus aut tantum vellet de ipsis dare, nec ad ea mittere uel aliquid presentare Et ideo de licencia et mandato suprascripti domini comitis Jadre suorumque iudicum et curie ipsa tria derra cum medietate predicte terre pro indiuiso sub logya(!) Jadre dedi, deliberaui, vendidi et transactaui predicte domine Marie abbatisse dicti monasterii sancti Nicolai, suisque sororibus pro ipso monasterio sancti Nicolai predictis quadraginta libris denariorum parvorum in scomputacione et solucione predictarum suarum LXXXIIII bestiarum, ita, ut a modo in antea ipsa domina abbatissa et eius sorores cum suis succedentibus pro ipso monasterio sancti Nicolai plenam potestatem habeant et virtutem ipsa tria derra cum predicta medietate terre pro indiuiso intromittendi, habendi, tenendi, gaudendi, possidendi, vendendi, donandi, pro anima et corpore indicandi, omnemque aliam suam voluntatem et vtilitatem ex eis pro ipso monasterio libere faciendi, nemine sibi uel suis succedentibus in perpetuum contradicente uel molestante, cum omnibus suis certis terminis, pertinenciis, confinibus et habenciis ipsis tribus derris cum medietate dicte terre pro indiuiso tam subter terram quam supra terram in integrum pertinentibus, uel que pertinere sibi possunt. Et hec omnia suprascripta per verum dico testimonium coram his vocatis et rogatis testibus, scilicet: Dompnio Blasio sacerdote sancti Petri noui, et Dobre Cregna Jadrensibus et aliis.

*(Drugi rukopisi).*

† Ego Johannes Contareni comes Jadre manum misi.
Ego Raynerius Varicassa iudex manum misi.

Ego Thomasius Çauate iudex manum meam misi.

Ego Henricus imperiali auctoritate notarius et Jadrensis iuratus hiis interfui et rogatus scripsi et roboravi.

*(Signum not.)*

*Original u gubern. arkivu u Zadru (odio samostana sv. Nikole no. 68.)*

## 412.

**1284, 21. augusta. U Zagrebu.**

*Timotej biskup zagrebački posvećuje u stolnoj crkvi žrtvenik na čast B. D. Marije.*

Anno domini MCCLXXX quarto, XII kalendas septembris, consecratum est altare beate Marie virginis in ecclesia Zagrabiensi per venerabilem patrem dominum Tymotheum episcopum Zagrabiensem. In quo continentur iste reliquie, videlicet: . . . . . . . de tunica domini, sancte Lucie virginis, sancte Elyzabeth, sancte Clare virginis, sancte Teodore, sancte Tecle virginis, sancte Gertrudis virginis, item undecim milia virginum, Stephani regis et confessoris, sanctorum Johannis et Pauli martirum, sancti Vincenti martiris, sancti Demetrii martiris, sancti Georgii martiris, sancti Gerardi episcopi et martiris, sanctorum Viti et Modesti martirum.

*Bilješka na listu pergamene staroga njekoč breviara.*

*Tkalčić Monum. episcop. Zagr. I. 216. — Wenzel Cod. dipl. Arpad. XII. 419. donosi regest. — Kukuljević Reg. no. 1374.*

## 413.

**1284, 9. septembra. U Baru.**

*Domnije, biskup kotorski ne priznaje biskupa Svačkoga sucem u parnici izmedju sebe, kaptola kotorskog i nadbiskupa barskoga i njegovog kaptola glede podložnosti crkve Bres . . .*

Anno domini millesimo ducentesimo octogesimo quarto, mense septembri, die nono intrante. Nos Dompnius dei gratia episcopus Cattarensis vna cum nostro capitulo dicimus uobis domine Petre [episcope] Souaccinensis in presentia istorum proborum virorum et protestamur,

videlicet magistri Thomasii de Firmo, fratris Gregorii Ragus[ani] de ordine [sancti Benedi]cti, presbiteri Pauli et aliorum quam plurium testium [ad] hoc specialiter uocatorum, quod quicquid dicere udimus non dicimus . . . . . sentiendi in uos tanquam in iudicem sed . s declinandi forum vestrum, cum iudex noster non sitis sicut in conuenienti . . bimus ecce salua uestra reuerentia iudex . vo]catus esse non potestis in causa, que uertitur seu uerti speratur inter nos et nostrum capitulum de una parte, et archiepiscopum . m Antibarensem et suum capitulum ex altera super subiectione ecclesie Bres . ensis pro eo, quod estis ipsius archiepiscopi subfraganeus, item quia littere obtempte(!) ad uos a summo pontifice a pristino . . . . curatore . prenominata causa obtempte sunt per subreptionem, nam prephatus(!) archiepiscopus impetrando ipsas su . . [veri]tatem et expressit falsitatem dicendo prelibatam ecclesiam seu plebem ad eius iurisdictionem spectare, quod fal[sitatem] . . . . . . cator carere . . impetratis et in expensis legitimis condampnari(!), item quia de tastis . . . . . . as ipsius, ut renunctiaremus(!) sine iuris cognitione iuri nostro, item quia in uestris litteris nobis minando dixistis, quod si aliquid contra nostrum iudicium presumpseritis attentare, statim per diffinitiuam sententiam contra uos procedemus, item quia dictus uester archiepiscopus una cum suo capitulo plene confidens de uobis tanquam de subfraganeo suo scripsit nobis, quatemus ad uos tantum, quod sententia accipienda absque lite ad terminum conueniremus et omnia ista parati sumus probare; vnde recusamus uos ut suspectum et uolumus, quod tu tabelio facias nobis exinde publicum instrumentum. Actum est hoc in monasterio sancti Saluatoris de Antibaro, anno, mense, die predictis, coram testibus memoratis, inter quos et ego Thomas de Firmo communis Cattarensis iuratus notarius publicus hiis omnibus interfui et rogatus scripsi et roboraui.

*(Signum not.)*

*Original u arkivu jugoslavenske akademije u Zagrebu Diplomata a. 1284.*

*Listina veoma oštećena. Na istoj se pergameni nalazi prizив biskupa Dompnija papi od istoga datuma.*

## 414.

**1284, 9. septembra. U Baru.**

*Domnije, biskup kotorski, priziva se u parnici s nadbiskupom barskim glede podložnosti crkve u Bres . . . papi i podlaže se sudu njegovomu.*

Anno domini millesimo ducentesimo octogesimo quarto, mense septembris, die nono intrante. Quomodo appelattionis(!) remedium est inventum in subsidium oppressorum et periculosum est coram litigioso uel suspecto iudice litigare et interdum mestissimum sortitur euentum, idcirco nos Dompnius dei gratia episcopus Cattarensis una cum nostro capitulo coram uobis domine Petre eadem gratia episcopo Souaccenensi sedentibus pro tribunali in presentia magistri Thomasii de Firmo, fratris Gregorii de Ragusia de ordine sancti Benedicti, presbiteri Pauli, diaconi Dabronis et aliorum proborum uirorum quamplurium testium ad hoc specialiter uocatorum per uos sentientes nos grauari eo, quod exceptiones nostras legitimas admittere recusastis, que in alio instrumento sunt annotate, in his scriptis ad summum pontificem appelamus et instanter et instantissime apostolos petimus, quos ex nunc parati sumus recipere, si uultis nobis [iu]s dare subicientes nos et nostrum capitulum et iura ecclesie nostre sub protectione dicti summi pontificis, et quos dare nullatenus uoluit. Actum est hoc in monasterio sancti Saluatoris de Antibaro, anno, mense, die predictis, coram testibus memoratis inter quos et ego Thomas de Firmo publicus Cattarensis iuratus notarius his omnibus interfui et rogatus scripsi et roboraui.

*Original u arkivu jugoslavenske akademije u Zagrebu. Diplomata a. 1284.*

*Nalazi se na istoj pergameni, na kojoj prosvjeduje Domnije protiv suda biskupa svačkoga od jednakoga datuma.*

## 415.

**1284, 15. septembra. U Dubrovniku.**

O. . 147 *Petar Lukarić iskazuje, kako mu je orobljena ladja.*

Die XV. septembris, coram domino comite et iuratis iudicibus omnibus quinque, videlicet Dimitrio de Menze Andrea de Benissa, Fusco Binzole et Michaele de Cluno et Vrsario de Vilanco. C. Petrus

Luccarii conquestus fuit dicens: ego ibam ad castrum de Lauellona in vna barca de Brondusio, cuius erat nauilerius inscisus de Brondusio, et eundo sic uenit una vacheta armata hominibus de Spinareza, in qua erat patronus dicte vachete chur Micho nepos Sebasto Stani de Spinareza filius Herrici Russi Januensis, qui Micho predictus armauerat dictam vachetam in curso suis hominibus de casalibus suis et robauit me et accepit mihi omnia que habebam, videlicet sex buticellas plenas vino de Marchia, que constiterunt yperperos V pro qualibet, et in denariis accepit mihi solidos denarios grossos viginti et quinque florinos aureos et vnam sclauinam, que constitit denarios grossos viginti septem, et vnum scutum, qui, ) constitit denarios grossos decem et octo, et tria paria de camisiis et brachis, que constiterunt yperperis tribus, et duo paria de caligis, que constiterunt grossos quatuordecim, et duas toalias, que ualuerunt grossos decem, et vnum curtellum et alias res minutas, que ualuerunt denarios grossos sex et denarios paruos turonenses viginti quatuor, et denarii grossi octo qui erant in tabulettis. Summa yperperos LXVIII et grossos IIII de capitali.

*Diversa cancellariae 1275. U dubrovačkom arkivu. Vidi opasku kod 13. augusta i. g.*

## 416.

**1284, 2. oktobra. U Dubrovniku.**

*Nadbiskup Bonaventura osudjuje svećenika Barbia Longa, što je razbio nos koludrici plemićki Miri.*

In Christi nomine. Anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo quarto, indictione duodecima, die lune secundo intrante mense octubri. Cum nos frater Bonaventura de ordine minorum miseratione divina Ragusinus archiepiscopus, fama publica deferente ad clamorem totius ciuitatis Ragusine, inquisitionem facientes contra dompnum Barbium Longum ex eo, quod dicebatur incisisse nasum nobilis domine domine Mire monialı sancti Andree, et ipse in presentia nobilis uiri domini Michaelis Mauroceni comitis Ragusini, dompni Antonii de Galioppa, dompni Clementis de Gangulo canonicorum ecclesie Ragusine, et dominorum Vitalis Binzole, Grubesse de Ragnane, Lucari Fusci, Mathie de Menze et Marini de Pesegna iudicum Ragusinorum coram nobis super hoc interogatus de plano confessus fuerit, se dicte domine Mire moniali in uia sancti Jacobi de Visniza nasum incisisse. Attendentes, quod hec est

res valde perniciosa, exemplo quod talis et ita uilis persona in talem et ita nobilem dominam tantum nefas ausus est comittere, nolentes, quod tantum maleficium maneat inpunitum, sed quod pena istius sit metus multorum, priuamus dictum dompnum Barbium Longum omni officio et ecclesiastico beneficio, ipsum in his scriptis sententiando condempnantes, ut penitentiam agat de commissis, perpetuis carceribus detineri. Pronuntiata fuit hec sententia in sala archiepiscopali die predicto, domino archiepiscopo pro tribunali sedente, presentibus suprascriptis.

*(Signum notarii).*

Ego Thomasinus de Sauerio sacri palatii notarius et communis Ragusii scriba interfui et de mandato prenominati domini archiepiscopi et rogatus scripsi et roboraui.

*Original u dubrovačkom arkivu na istoj pergameni, na kojoj je i listina od 8. decembra i. g.*

*Zbirka saec. XIII.*

## 417

**1284, 14. oktobra. U Dubrovniku.**

*Testamenat Martola Crijevića.*

Die XIIII octubris Ragusii etc. Ego quidem Martolus de Cereua nolens decedere intestatus sanus corpore et mente de bonis meis tale facio et ordino testamentum. In primis extraho pro anima mea yperperos quingentos, de quibus uolo, quod dentur quolibet anno yperperi centum de bonis meis, quousque omnes dicti quingenti yperperi fuerint integre persoluti, quos ordino distribui in hunc modum, videlicet pro primicia yperperum vnum, pro decima yperperos quinquaginta, fratribus minoribus de Ragusio yperperos sexaginta, fratribus predicatoribus de Ragusio yperperos triginta, operi ecclesie sancte Marie maioris yperperos quadraginta, monasterio Lacromonensi yperperos viginti. Item monasteriis monialium, videlicet Marie de castello yperperos decem, sancto Andree yperperos decem, sancto Bartholomeo yperperos decem, sancto Symeonis(1) yperperos decem, sancto Nicholao yperperos decem, sancto Thome yperperos decem, sancto Petri minoris(1) yperperos quinque, item monasterio de Mercana yperperos quinque, monasterio sancti Petri de medio mari yperperos tres, monasterio sancti Andree de pelago yperperos decem, monasterio sancti Michaelis de pechina yperperos quinque, monasterio de Meleta yperperos quinque, monasterio

sancti Jacobi de Visiniza yperperos duos, item cuilibet recluse intus et extra ciuitatem yperperos duos, item cuilibet loco fratrum minorum de Dalmacia yperperos tres, item fratribus minoribus de Parenzio yperperos tres, item fratribus minoribus de Pola yperperos tres, item filiabus Slaue et Geruasii yperperos duos pro qualibet, item sorori mee Englese yperperos triginta, item Dese sorori mee yperperos quadraginta, item Desislaue de Xumagna yperperos quinque. Et si aliquid superauerit de dictis quingentis yperperis uolo, quod Petrus de Benissa et Pasqua et Damianus Vlcassii, quos meos pitropos in hoc testamento constituo, distribuant illud residuum per pauperos ciuitatis, ut eis uidebitur Et si vxor mea Agaype uoluerit possidere lectum, possideat omnia mea bona secundum consuetudinem ciuitatis, et stet cum matre mea. Si autem dicta mater mea et vxor mea non possent concordare simul, uolo, quod dicta vxor mea stet in domibus et in vineis, quas dedit mihi mater mea per cartam notarialem, dum uixerit dicta mater mea. Si autem dicta vxor mea se uoluerit maritare, habeat integre suum perchiuium, quod est yperperos sexcentos, et de meo habeat yperperos centum Item confiteor, quod habeo a Pasqua et Damiano cognatis meis in entega yperperos sexcentos, et a Desa cognata mea habeo yperperos ducentos entega et de lucro habito et habendo medietas debet esse mea et alia medietas patronorum dictorum yperperorum, et tota racio dictorum yperperorum quos habeo in entega est scripta in quaterno meo Si autem accidat, quod heredes mei ante legittimam etatem decederent de hac uita, quod deus auertat, uolo, quod omnia alia bona me[a] uendantur per meos pitropos et debeat fieri unum monasterium de virginibus ad honorem dei et beate Marie virginis, ubi melius uidebitur. Si autem heredem meum masculum ante legittimam etatem mori contigerit et remanserit heres de femina, uolo, quod extrahatur quartum omnium bonorum meorum computatis supradictis quingentis yperperis in hoc quarto et illud quod dicto quarto remanserit ad dictos quingentos yperperos detur ad incipiendum dictum monasterium de virginibus. Omnia autem et singula suprascripta uolo, quod dicti pitropi mei compleant, et si aliquis ex dictis pitropis morietur uel non esset presens Ragusii, uolo, quod ille uel illi qui superuixerint et fuerint Ragusii complere debeant omnia supradicta. Si uero dictos pitropos meos omnes mori contigerit, antequam omnia predicta compleantur, uolo et ordino, quod thesaurarii ecclesie sancte Marie maioris qui pro tempore fuerint sint pitropi mei et complere predicta omnia teneantur Quicunque autem hoc meum testamentum uiolare uel ei contrarium dare presumpserit, iram et maledictionem omnipotentis dei et domini nostri Jesu Christi et beate Marie virginis et tocius curie

celestis habeat in eternum. Hoc autem testamentum nullo testimonio rumpi possit. Hii sunt testes: Andreas de Benissa iuratus iudex.

*Diversa cancellariae 1282—1284. u dubrovačkom arkivu.*

## 418.

**1284, 15. oktobra. U Dubrovniku.**

*Pogodba na jednom stanku.*

Die XV. octubris coram domino comite et iuratis iudicibus Lucaro Fusci, Grubessia de Ragnana et Marino de Pesegna. C. Sauinus de Bonda pro se et fratribus suis et cum uoluntate dictorum fratrum suorum presencium et uolencium concordauit se cum Rune filio Cricichi de Canali de duodecim vaccis iudicatis ei per sententiam in stanico facto cum Bedicio in hunc modum, quod dictus Rune debet dare dicto Sauino et fratribus eius quatuor uaccas, de quibus debet eis dare duas uaccas bonas pregnantes usque ad XV dies, et si non daret eis dictas vaccas in dicto termino, quod debeat sibi dare yperperos tres pro qualibet vacca. Et alias duas vaccas que sint duorum annorum debet eis dare a festo sancti Luce proxime venturi usque ad unum annum. Et si non daret eis dictas duas vaccas in dicto termino, debeant dare sibi yperperos duos pro qualibet vacca. Et dicti Sauinus et fratres eius, videlicet Ruchola, Andreas et Elias non possint petere aliquod dicto Rune nec alicui alteri de dictis duodecim vaccis acceptis his, que superius scripta sunt. Et si dictus Rune poterit aliquid excutere de dictis duodecim vaccis ab aliquo Sclauo aliquid(!), totum id quod dictus Rune excuxerit sit dicti Rune. Et dicti Sauinus et fratres eius super hoc nullam possunt facere questionem.

*Diversa cancellariae 1275. U dubrovačkom arkivu. Gl. opasku kod listine 13 augusta i. g.*

## 419.

**1284, 15. i 23. oktobra. U Trogiru.**

*Izbor gradskoga vijeća u Trogiru.*

Die dominico 15. octobris 1284. congregatis iudicibus, consiliariis et pluribus aliis hominibus volentibus venire in platea Traguri, facta

fuit electio consiliariumi(!) in perpendiculum datis quindecim ballotis septem scriptis et octo non scriptis more solito. Qui consiliarii electi, sunt hii Dominus Dessa Amblasii, dominus Valentinus Casariza, dominus Georgius Cega, dominus Duymus Domiche, dominus Siluester de Mengas, dominus Thomas Janniche, dominus Matheus domini Luce, dominus Dessa Smiti. Die lune 23. octobris congregatis consiliariis in palatio communis Tragurii, inter quos dominus Palmerius domini Falci potestas predicte ciuitatis proposuit, quod sit de maiori consilio faciendo prouidendum et faciendum sibi consilium exhiberi, in quo post multas contionationes placuit maiori parti facto inter eos partito per ipsum dominum potestatem, quod eligantur ad presens 40 consiliarii, qui consiliarii electi sunt hii 40: Sier comes dominus Jannicha, sier comes dominus Luzius, sier comes Andreas comitis Marini, dominus Dessa Morsiche, dominus Marinus Casariczi, dominus Nicola Casiocti, Petrus Valentini, Julla Plati, Gregorius dominus Luzi, Janninus Diuoiz, Raddus Petri, Georgius Caluici, Petrus Celie, Simon comitis Marini, Petrus Duymi, Maurus Stocchi, Nicola Longus, Cibrianus Marini, Amblasius Martini, Marinus Bertanni, Dessa Duymi Celie, Strechia Gausinnia Marini, Stepanus Doymi Celie, Doymus de Casarizi, Marinus Stepani, Temini Vite, Redosii de Firmino, Barthi Siluestri, Matheus Dobri. Consiliarii facti die 15. octobris: Dessa Amblasii, Valentinus Casariz(!), Georgius Cega, Duymi Domiche, Siluester de Mengas, Thomas Janniche, Matheus domini Luce, Dessa Smiti Infrascripti sunt aduocati electi per consiliarios die predicta. Priula Casiocti, Dessa Morsiche Faue, Gregorius domini Luzi, Petrus Duymi Ceghe Isti sunt camerarii. Julla Ploci die mercurii tertia iurauit, Serbella Desse die dominico septimo iurauit.

*Lucius Memorie di Traù 204. Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. IX. 417.*

## 420.

**1284, 16. oktobra i 6. novembra. U Trogiru.**

*Ban Pavao Šubić traži od grada Trogira šesdeset oružanih momaka.*

1284. die 16. octobris dominus Palmerius domini Falci potestas proposuit et legi fecit literas missas potestati et consiliariis per banum Paulum et Georgeum(!), et Maladenum comites, in quibus continetur, quod homines de Tragurio mittant eis statim 60 pedites bonos et bene armatos, et ante ipsos Eliam contra infedeles regiae maiestatis, super

quibus petit sibi consilium exhiberi. Facto partito de levando et sedendo post contentiones determinatum fuit mittendos 40 homines. Die 6. novembris recepte fuerunt littere domini bani de victoria ab eo obtenta.

*Iz odlomaka nota vijeća trogirskog.*

*Lucius Memorie di Traù 116. — Fejér Codex dipl Hung. VII. 4, 170.—171*

## 421.

**1284, 17. oktobra. U Dubrovniku.**

*Ivan Predanello opet pred sudom nadbiskupovim prisiže, da će platiti dug.*

Anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo quarto, XII indiccione, die Martis XVII. intrante octobri. In presencia nobilium virorum domini Michaelis Maurocení nunc comitis Ragusii, domini Marini et Nicolai suorum militum, domini Antonii de Gaioppa clerici Vitalis Bodatie, dompni Clementis de Gangulo, dompni Vrsacii de Gleda canonicorum Ragusinorum, domini Pasce Volcasii, domini Junii de Crosio, domini Luchari de Fuscho, domini Grubesse de Ranana Vrsacii de Cereua, Palme de Binzola, Laurencii de Mence, Marini de Pesagna, Zersii Sauini Bondi, Paschalis Marinelli, Nicole de Certello, et aliorum multorum clericorum et laicorum in sala archiepiscopali. Cum venerabilis pater dominus frater Bonauentura miseracione diuina archiepiscopus Ragusinus citari fecisset pro primo, secundo et tercio peremptorie per presbiterum Pascam Santisium maioris ecclesie Ragusine subdiaconum Joannem de Predanello, ut compareret coram eo ad audiendam senteneiam, quam volebat ferre contra ipsum, tandem comparuit in presencia supradictorum omnium et antequam predictus dominus archiepiscopus procederet ad sentenciam, predictus Joannes cepit petere veniam et misericordiam dicens, quod nulla racione predicto domino dare poterat pignora quinquaginta yperperorum, in quibus condempnatus fuit per eundem dominum archiepiscopum, nec eciam fideiussores de aliis quinquaginta in quibus per eundem fuerat condempnatus. Tunc predictus dominus archiepiscopus inclinatus precibus domini comitis et aliorum laicorum et clericorum, qui presentes erant, obtulit eidem Joanni tale iuramentum, videlicet, quod si dictus Joannes uellet iurare ad sancta dei euangelia in presencia omnium qui aderant, quod

nulla racione habebat pignora predicta nec habere poterat, quod ipse commutaret sibi predictam condempnacionem quinquaginta yperperorum in aliam penitenciam condignam, quam oblacionem iuramenti acceptauit in presencia omnium supradictorum Joannes supradictus, et statim tactis sacrosanctis euangeliis iurauit ad sancta dei euangelia, quod nec habebat pignora memorata, nec aliqua racione habere poterat. Tunc dominus archiepiscopus accepit ab eo fideiussorem dompnum Petrum de Scillo canonicum Ragusinum de quinquaginta yperperis, et de aliis quinquaginta absoluebat eum, et suscepto ab eo iuramento de parendo mandatis dicti domini archiepiscopi inter alia precepta sibi sub debito prestiti iuramenti, quod penitenciam, quam sibi imponet loco predicte condempnacionis quinquaginta yperperorum perficiet et execucioni mandabit, dummodo possibilia eidem precipiat. Actum fuit hoc in sala archiepiscopali presentibus supradictis. Et ego Antonius de Carletis ciuis Parmensis et predicti domini archiepiscopi iuratus officialis, imperialis aule publicus auctoritate notarius his omnibus interfui rogatus, et de mandato eiusdem domini scripsi et roboraui.

*Original u dubrovačkom arkivu. Tri listine na jednoj pergameni, ova a i druge dvije od datuma iste godine 18. i 20. aprila.*

*Bullarium Ragusinum 437.—438. — Farlati Ill. sacr. VI. 117. — Kukuljević Reg. no. 1362 i 1377*

## 422.

**1284, 17. novembra. U Čazmi.**

*Pred kaptolom čazmanskim zalažu sinovi župana Pouse dio imanja Raščine Ivanu banu.*

Nos capitulum Chazmensis ecclesie memorie commendantes significamus quibus expedit vniuersis, quod Jhoi[n]es et Pousa filii comitis P[o]usa tam pro se quam pro Nicolao et Mark fratribus eorum absentibus a parte una, et Marcellus comes Crisiensis uice et nomine domini sui J[ohannis] bani tocius Sclauonie filii Henrici bani ab altera coram nobis personaliter constituti, iidem filii comitis Pousa terram seu possessionem eorum Rascyna vocatam eo iure eaque plenitudine, qua ipsam pater eorum videlicet Pousa comes et magister Gueche frater eiusdem adhuc uiuentes tenuerunt et possiderunt, confessi sunt pignori obligasse eidem domino J[ohanni] bano pro octoginta et quinque marcis plene ut dixerunt acceptis; exclusa tamen et excepta octua parte eiusdem pos-

sessionis, que nobilibus dominabus scilicet consorti Tyba filii Belus et consorti magistri Georgii cessit in porcionem racione quarte earundem ex parte filiorum Pousa predictorum redimendam cum huisdem octoginta quinque marcis ab ipso domino bano a festo beati Andree apostoli nunc uenturo in undecima reuolucione anni coram nobis penam dupli, si ipsum terminum pretermiserint, incursuri. Ad hec huiusmodi condiciones et ordinaciones intercesserunt coram nobis inter partem, quod iidem filii comitis Pousa predictam possessionem eorundem Rascyna ante prefatum terminum redempcioni deputatum facultatem redimendi ab eodem domino bano non habebunt, ipso quidem [termi]no adueniente et instante eandem possessionem pro se redimendi habent facultatem non tamen ad racionem redempcionis eiusdem pecuniam ab aliquo alio habere et recipere possunt, ut ipsam uendere possint seu eciam obligare, sed alia possessione eorum uendita uel obligata redimere possunt possessionem eorum supradictam; quo termino redempcionis idem banus, sicut coram nobis intercessit, omnes iobagiones, quos medio tempore ad ipsam possessionem congregauit, eisdem filiis comitis Pousa pacifice relinquet pro sumpma pecunie supradicte. Predicta autem solucio octoginta et quinque marcarum fieri debet partim in denariis partim in estimacione, sicut coram nobis ordinatum extitit et taxatum. Datum sexta feria proxima post festum beati Martini confessoris, anno domini M°CC° octagesimo quarto.

*Original u kr. ug. drž. arkivu u Budimpešti: M. O. D. L. no. 35.809. (bivša zbirka Kukuljevićeva). Na hrptu vidi se trag pritisnuta okrugla pečata.*

*Kukuljević Reg. no. 1378.*

## 423.

**1284, 23. novembra. U Čazmi.**

*Pred kaptolom čazmanskim sinovi kneza Povše primaju založnu svotu od punomoćnika bana Ivana za svoj posjed Raščinu.*

Nos capitulum Chasmensis ecclesie memorie commendamus, quod Ihoi[n]es et Pousa filii comitis Pousa tam pro se quam pro Nicolao et Mark fratribus suis absentibus a parte una, ab altera autem Marcellus comes Crisiensis uice et nomine domini sui J[ohannis] bani tocius Sclauonie filii Herrici bani coram nobis personaliter constituti, idem comes Marcellus nomine eiusdem bani domini sui pro filiis dicti comitis Pousa

dedit et soluit coram nobis Tyba filio Belus presencialiter astanti uiginti sex marcas, cum quibus iidem filii comitis Pousa eidem Tyba debitores erant, ut dixerunt, ipsas autem uiginti sex marcas Marcellus comes predicti domini bani uice et nomine soluit ad racionem et obligacionem possessionis ipsorum filiorum comitis Pousa Rascyna uocate, quam iidem filii comitis Pousa eidem domino bano secundum tenorem litterarum nostrarum patencium exinde confectarum pro octoginta quinque marcis obligarunt, et assumpserunt iidem filii comitis Pousa ipsos uiginti marcas eidem domino bano refundere, resarcire et solide in termino redempcionis eiusdem possessionis Rascyna assignato, videlicet a festo beati Andree apostoli nunc uenturo in undecima reuolucione anni coram nobis ita videlicet, quod ad racionem redempcionis ipsius possessionis Rascyna nullam pecunie quantitatem ab aliquo recipere et habere possunt, ut ipsam uendant uel obligent, sed alia possessione eorum obligata uel uendita redimendi habent facultatem, nec infra prefatum terminum eandem possessionem Rascyna redimere possunt predicti filii comitis Pousa, sicut coram nobis inter eos ordinatum extitit et taxatum. Interuenit eciam, quod si iidem filii comitis Pousa predictas uiginti sed marcas prescripto termino adueniente et instante non soluerint, pene dupli subiacebunt eo facto Datum in festo beati Klementis, anno domini M°CC° octagesimo quarto.

*Iz zana:* Super facto uiginti sex marcarum ad racionem terre Rascyna pro filiis comitis Pousa contra dominum Johannem¸ banum

*Original u kr. ugar. državnom arkivu u Budimpešti M. O. D. L. no. 35 840 (bivša zbirka Kukuljevićeva). Na hrptu vidi se trag pritisnuta pečata, kojom bijaše listina zatvorena.*

*Kukuljević Reg. no. 1879.*

## 424.

**1284. 23. novembra. U Spljetu.**

*Marija udova Bratimira prodaje kaptolu spljetskom zemljište u Visokom.*

In nomine dei eterni amen Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo octoagesimo quarto, indiccione duodecima, die octauo exeunte nouembri, regnante domino nostro Ladislao serenissimo rege Vngarie Temporibus domini Johannis venerabilis Spalatensis archiepiscopi, domini Mladenni(¹) Stepconis de Bribe[rio] incliti comitis, domini Viti

Cerne Merge de Jadera egregie potestatis, Camurcii Petri, Petri Leonardi, Francisci Sceppe iudicum Mari relicta Bracimeri est confessa et manifesta se suscepisse et in se habuisse a capitulo sancti Domnii viginti libras denariorum paruorum, pro quibus libris dedit, contulit ac precise uendidit eisdem terram suam positam in Visoc prope terram heredum Dese Çernusii bannitam per Miloi riuarium publicum in platea. Dans dicta Mari plenam potestatem eidem capitulo ipsam terram perpetuis temporibus habendi, posedendi(!), uendendi, donandi et quicquid eis de ipsa terra placuerit faciendi, promittens et obligans se dicta Mari ipsam terram eidem capitulo ab omni persona defendere et excalumpniare cum suorum bonorum obligacione In signum uero stabilis et precise uendicionis vnum passum de terra per longum et latum in Bade pro gambio(!) ab ipsis recepisse se dixit. Actum ante domum ipsius presentibus Petro Braçce, Grigorio Dragiscimiççi(! et aliis

*(Drugi rukopis).*

Ego Damianus Nicole Marule examinaui.

Ego vero domnus Lucas canonicus et iuratus notarius Spalatensis his interfui et vtriusque partis uoluntate rogatus ut audiui scripsi et roboraui.

*(Signum not.)*

*Original u arkivu kaptola u Spljetu a. 1284. (XVI. 1,114.).*

## 425.

**1284, 25. novembra. U Dubrovniku.**

*Testamenat Deše udove iza Tolislava Prakovca.*

Die XXV novembris Ragusii etc. Ego quidem Desa vxor condam Tollisclaui de Pracouzio sana corpore et mente nolens decedere intestata, tale de rebus meis mobilibus et immobilibus facio testamentum et constituo meos pitropos siue commissarios ecclesie sancte Marie maioris qui per tempora fuerint In primis uolo et ordino, quod soror mea Maria religiosa post obitum meum habeat partem meam vinee et domus similiter tali pacto et ordine, quod dicta Maria possit possidere in uita sua dictam partem meam domus et vinee supradicte, verum tamen non possit ipsam uendere neque inpignare(!) nec aliquo modo alienare, et post obitum ipsius Marie uolo et ordino, quod predicta uendantur illis qui plus dare uoluerint, et de pecunia que accipietur ex ipsis detur recta decima secundum consuetudinem terre, et pro primicia dentur denarii

grossi sex, fratribus predicatoribus yperperus vnus. Et si totus clerus conuenerit ad sociandum corpus meum in morte usque ad ecclesiam sancti Sergii de Vergato, uolo, quod habeant yperperos quinque, et si fecero me sepelhri apud fratres minores, uolo, quod dicti clerici habeant yperperos tres. Et si dominus archiepiscopus uenerit ad funus meum, detur yperperus vnus, et uolo, quod uocetur, et si non uenerit nichil habeat. Item cuilibet loco fratrum minorum custodie Ragusine, videlicet Catari, Antibari, Vlcinii et Dyrachii dentur yperperi tres. Item fratri Martino de Arbo patrino meo yperperi decem, fratri Petro de Vegla patrino meo yperperi decem, fratri Philippo de Bruxia yperperi quinque. Et si dicti fratres obierint, antequam recipiant dictos yperperos, uolo, quod dicti yperperi deueniant ad fratres minores de Ragusio. Item patrino meo seculari qui tunc fuerit dentur yperperi quinque. Et quod residuum fuerit, totum detur fratribus minoribus de Ragusio. Quicunque autem hoc meum testamentum uiolare uel contraire ipsum presumpserit, iram omnipotentis dei etc. Hic autem et est testis, Vrsacius de Viliarico iudex.

*Diversa cancellariae 1282—1284. u dubrovačkom arkivu.*

## 426.

**1284, 30. novembra.**

*Gvilelmo meštar templara daruje gradjaninu zadarskom Luki Dešinu za zasluge stečene za red templarski zemlju kraj Zadra.*

Nos frater Guillermus de Peymes domorum milicie templi per Hungariam et Sclauoniam magister significamus vniuersis presencium noticiam habituris, quod nos attendentes grata et fidelissima deuotaque seruicia per nobilem uirum dominum Lucam de Dessa ciuem Jadre nobis et fratribus nostris quam pluries exhibita et inpensa et adhuc inpendere non dessinit incessanter de die in diem, primo considerata utilitate profectuque domus nostre, communicato consilio et assensu dilectorum in Christo fratrum nostrorum fratris Petri de Beizeyo vicepreceptoris in Auramia(!), fratris Oliuerii, fratris Thome, fratris Johannis de Foys in Zablata preceptoris, fratris Johannis de Athys preceptoris palacii de Auramia in maritimis existencium, quandam particulam terre nostre incultam, desolatam et vacuam sitam in territorio nostro de Zablata Pozkaligna uocatam, sicut continuatur cum . . . .     . .  usque ad mare et usque ad predium de Zablata, cum certis ipsius terre ter-

minis, pratis, vineis, pascuis, arboribus, terris cultis et incultis dedimus, assignauimus et confirmauimus dicto domino Luce de Dessa et heredibus suis masculinis, heredumque masculorum ipsorum successoribus, quamdiu uixerint et fideles domui templi extiterint, cum omnibus prefate terre iuribus, prouentibus et utilitatibus pacifice possidendam sub tali forma, quod usque ad complementum duorum annorum a confectione presencium finitorum, pro eo, quod terra predicta inutilis et inhabitata permanebat, prefatus Lucas aut heredes ipsius nullum censum domui nostre soluere tenebuntur, completis vero duobus annis idem Lucas uel ipsius heredes pretaxati, uiginti libras monete paruulorum venetorum in festo sancte Marie virginis augusti domui nostre de Aurania soluere teneantur annuatim. Hoc adiecto, quod iobagiones, quos idem dominus Lucas aut ipsius heredes nominati super predictam terram causa commorandi adduxerint, de tribus magnis iudiciis, uidelicet de homicidio, incendio uel de mutilacione membrorum seu arborum, coram nostro dominio debeant iudicari, terciam uero partem iudicii idem L[ucas] optinebit, domus uero duas partes. Ne igitur sepe nominatus L[ucas] aut ipsius heredes per aliquem ualeant imposterum molestari uel impediri, presentes eisdem contulimus sigilli nostri munimine roboratas. Actum anno domini M°CC°LXXX°IIII°, in festo beati Andree apostoli.

*Iz originalnog prijepisa biskupa ninskog Marcela od godine 1291. 9 oktobra u narodnom muzeju u Budimpešti (bivša zbirka Jankovićeva). — Wenzel Cod dipl. Arp. cont IX 403.—404. — Fejér Cod. dipl Hung VII. 5, 598. donosi listinu biskupa Marcela od god. 1291 iz zadarskog arkiva ispuštajući ovdje priopćenu listinu. — Kubinyi Cod dipl. Arp. I. 133. — Kukuljević Reg. no. 1380.*

## 427.

**1284, 8. decembra. U Dubrovniku.**

*Svećenik Barbius Longus osudjuje se na vječnu tamnicu, što je razbio nos koludrici plemićki Miri.*

In Christi nomine. Anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo quarto, indictione duodecima, die octauo intrante mense decembri, in presencia nobilis uiri domini Michaelis Mauroceni comitis Ragusini, et iuratorum iudicum Vitalis Binzole, Grubessie de Ragnana, Lucari Fusci et Mathie de Menze, ac consiliariorum Stasii Clementis, Pasque Volcasii,

Johannis de Crossio, Damiani de Gondula, Marini de Bistio et Sauini de Bonda in maiori ecclesia congregatorum. Cum nos frater Bonauentura de ordine minorum diuina miseratione Ragusinus archiepiscopus presbyterum Barbium Longum, qui confessus fuit de plano incisisse nasum nobili mulieri domine Mire moniali sancti Andree, priuauerimus omni officio et ecclesiastico beneficio ipsum, in scriptis setentiando(.) condemnantes, ut penitenciam de commissis agat, perpetuis carceribus detineri. Volentes, quod dicta sententia melius obseruetur, dicimus et precipimus, quod dictus presbyter Barbius in carcere facto sub ecclesia sancti Saluatoris de Palude conpedibus et uinculis ferreis ad pedes et unam manum sicut nunc est debeat perpetuo detineri, et ibidem comedere debeat panem et aquam solummodo, saluo quod in ipsius infirmitatibus gubernationem et prouisionem ipsius in cibo et potu nostre discrecioni et prouidencie reseruamus. Actum est in ecclesia maiori sancte Marie presentibus suprascriptis.

*(Signum not.)*

Ego Thomasinus de Sauere sacri palatii notarius et comunis Ragusii scriba interfui et de mandato prenominati domini archiepiscopi et rogatus scripsi et roboraui.

*Original u dubrovačkom arkivu na jednoj pergameni sa listinom od iste godine 2. oktobra. — Zbirka saec. XIII.*

## 428.

**1284, 11. decembra. U Zadru.**

*Zadarski pomirnici čine mir izmedju Nina i Raba.*

In Christi nomine amen. Anno incarnationis eiusdem 1284. indictione[1] 12., die 11 intrante mense decembris, Jadrae. Temporibus equidem domini Joannis Danduli inclyti ducis Venetorum, et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Joannis Contareni egregii comitis. Nos quidem Pasqua de Varicassa civis Jadrensis iudex arbiter, arbitrator et amicabilis compositor inter egregium virum dominum Marcum Michaelem comitem Arbi et commune eiusdem civitatis Arbensis ex una parte, et nobilem virum dominum Volcetam potestatem Nonae et commune eiusdem civitatis Nonae ex altera parte, ut constat

[1] Lucius ima 13. indikciju, što je u protuslovlju sa malo niže, g. 1284. indikcijom 12., ako nije sam notar jedanput rabio bizantinsku a drugiput opet opću indikciju.

per publicum instrumentum compromissi facti manu Homodei filii quondam Joannis Denarii imperiali auctoritate notarii et nunc Arbensis iurati notarii in anno nativitatis Christi 1284 indictione 12, die ultimo novembris, auditis et intellectis et diligenter examinatis personaliter in utraque civitate cum solemnibus nunciis et ambasciatoribus utriusque terrae omnibus litibus et quaestionibus et controversiis ac discordiis, quae vertebantur inter utramque civitatem, videlicet Arbum et Nonam tam pro diviso quam pro communi coram omnibus propositis et allegatis per utramque partem et super his habita deliberatione et consilio diligenti plurium sapientum tam saecularium quam religiosorum, et cum diligenti studio investigata et cognita veritate, vocatis etiam dictis partibus et citatis coram nobis et conductis hinc in civitate Jadrae per legitimos nuncios et ambasciatores utriusque civitatis et utriusque communis astantes praesentes ad haec tam pro communi quam pro diviso suarum civitatum secundum formam et potestatem nobis datam per utramque partem in dicto compromisso. Dei nomine invocato pro bono pacis et concordiae dicimus, pronuntiavimus, laudamus, sententiamus, arbitramus(¹) et confirmamus et laudum, arbitrium, concordium et per firmam sententiam arbitralem, et praeterea[1], quod sententia quam illustris dominus Marcus Michael comes Arbensis protulit in Dobrissam[2] civem Nonensem, quem fecit suspendi propter opera sua mala, fuit digna ac sancta et iusta, et quoniam predictus Dobrissa iverat furatum ad insulas predicti domini comitis Arbensis, et inventus ac captus in furto manifesto fuit dignus et meritus praedictam suspensionem; et illud quod predictus dominus comes Marcus Michael fecit in ipsum Dobrissam bene fecit et dignum et iustum fuit, unde hominibus Nonae tam pro diviso quam pro communi imponimus perpetuum silentium super hoc, liberantes et absolventes praedictum dominum comitem Arbensem et successores suos et commune Arbense et omnes ac singulos homines de Arbo et eius districtu tam pro diviso quam pro communi ab ipsa quaestione et morte eiusdem Dobrissae, sub poena M librarum denariorum paruulorum venetorum secundum formam dicti conpromissi. Item quia una barcha Arbensis capta fuit tempore treguae per homines Nonae et conducta Nonam, dicimus et sententiamus, quod commune et homines Nonae solvere debeant et teneantur in manibus suprascripti domini Marci Michael comitis Arbensis 20. librarum denariorum venetorum paruulorum usque ad carnis priuium proxima in civitate Arbensi sub poena dicti compromissi, qui vero dominus comes Arbensis

---

¹ Lucius ima: P.

² Poslije ima Lucius: Dobressam.

dividat et distribuat inter suos cives et homines, sicut ei placuerit et melius apparebit. Item de morte Cernote nobilis civis Arbensis, qui tempore guerrae interfectus fuit in praelio per homines Nonae, venientibus Arbensibus super Nonenses, debellante una parte cum alia super territorium Nonae, dicimus, sententiamus per laudum, sententiam et arbitrium, quod homines et commune Arbense et propinqui ipsius Cernote omnes et singuli tam pro diviso quam pro communi Arbensi habeant silentium perpetuum sub praedicta poena compromissi absolventes commune et homines Nonae omnes super hoc, quia hoc factum fuit in guerra et praelio manifesto, et in praeliis talia fieri consueverunt et evitari non queunt. Item pro omnibus damnis factis per homines Arbenses hominibus Nonae, tam pro diviso quam pro communi in tota dicta guerra dicimus et sententiamus, quod commune et homines Arbenses solvere debeant et teneantur in manibus suprascripti domini Volcete potestatis Nonae 40 libras denariorum venetorum paruulorum in civitate Nonae usque ad carnisprivium proximum sub praedicta poena compromissi, qui vero potestas Nonae dividat ipsas 40 libras denariorum paruulorum inter suos cives et homines Nonae sicut ei placuerit et melius apparebit. Item dicimus et sententiamus per sententiam arbitralem, quod omnia et singula damna facta et data in tregua, tam in guerra post suspensionem predicti Dobrissae[1] per utramque civitatem tam pro diviso quam pro communi sint cassa, vana et nullius valoris ex utraque parte sub poena dicti compromissi et super his per utrumque commune et divisum dictarum civitatum perpetuum silentium habeant, salvis tamen rationibus utriusque partis ante dictam guerram et ante suspensionem dicti Dobrissae, quas una civitas haberet petere super alteram tam pro diviso quam pro communi, in quibus volumus, quod utraque pars possit uti suis rationibus ante dictum tempus, secundum iura et antiqua pacta, quae sunt inter ipsas duas civitates. Pronunciamus insuper et confirmamus plenam et firmam pacem et concordiam inter utrumque commune et divisum ipsarum civitatum, sicut in suis antiquis instrumentis et pactis veteribus legitur et plenius continetur, et pro maiori cautela et nexu firmitatis fecimus iurare duodecim bonos et nobiles viros de Arbo et duodecim de Nona praedictam pacem, pacta antiqua et praedictam sententiam nostram et omnia et singula suprascripta semper attendere et observare se et communia sua et divisim. Hi autem sunt cives Arbenses qui iuraverunt praedicta: Stephanus de Firma, Philippus Genani, Matheus de Hermolao, Nicola de Pribe, Stephanus de Galzigna, Martinussius de Rovigna, Madius de Clemente, Oreste de Foscho, Epube de

[1] Lucius imade pogriješno Dobrossae.

Zane, Stephanus de Demine, Martinus et Marinus de Machna. Isti vero sunt cives Nonenses qui iuraverunt predicta: Migostus iudex, Moyssa Chrance Jamomethi, Paulus filius Borislavi, Jacobus Dragchis, Rodovanus[1] Stingi, Tolislaus Budislavig, Rodoslavus[2] frater archipresbyteri, Desenus Darysig, Volcina Drusigi, Voychna Dresevig et Stephanus Danchovig, qui omnes et singuli suprascripti tam Arbenses quam Nonenses coram nobis praenominato Pasqua de Varicasse iudice arbitro sacramento iuraverunt ad sancta dei evangelia super librum praedictum, pacem et concordiam ac sententiam nostram et omnia et singula sacramenta et pacta antiqua plene attendere et observare et facere observari et attendi per suas civitates et communia et divisim in nullo contravenire sub poena M librarum secundum formam dicti conpromissi; super cuius nostrae arbitralis diffinitione nobilem virum Guidonem de Varicassa civem Jadrensem constituimus et dedimus in prestaldum ad omnia suprascripta taliter percomplendi. Et ego praenominatus Guidotus(!) de Varicasse prestaldus super hoc constitutus omnia quae superius sunt expressa vera esse testificor in salute animae meae coram his nobilibus viris Jadrae vocatis et rogatis testibus, scilicet: Dessa de Fafogna, Frederico quondam Grisogoni de Mauro et Paulo de Borache, Thomasio Penazo, Damiano de Slorado, Prodde de Cosa, Barthe quondam Chrisogoni de Mauro Jadrensibus civibus et aliis.

Ego Pasqua de Varicasse suprascriptus iudex arbiter inter Arbenses et Nonenses manum misi.

Ego Stane de Varicasse examinator manum meam misi.

Ego Henricus imperiali auctoritate notarius et iudex iuratus his nterfui et rogatus scripsi et roboravi.

*Lucius De regno Dalm. et Cr. l. IV. c. 9. 183—185. - Wenzel Cod dipl. Arpad. cont. IX. 414. — Kukuljević Reg. no. 1381.*

## 429.

**1284, 12. decembra. U Dubrovniku.**

*Bilješka kako je Kraniša na putu u susjednu zemlju orobljen.*

Die martis XII. decembris, coram domino comite et iuratis iudicibus Vitale Binzola et Grubessia de Ragnana. C. Cranissa pilizarius uratus de ueritate dicenda qui conquestus fuit dicens: ego ibam in.

[1] Valjda: Radovanus.
[2] Valjda: Radoslavus.

Sclauoniam cum uno meo socio nomine Radyenich, et quando fuimus in loco qui dicitur Vbert, uenerunt Grupsa Tomich et Michael Vatolieuich cum duobus fratribus suis et alii socii eorum et robauerunt nos et acceperunt mihi paria V de calzariis ualentibus perperum I, et ficus valentes denarios grossos XXVI, et de cirituris ualentibus yperperum I, et capellos de filceo ualentibus yperperos II, et vnam capam cum uno caccenczo ualente yperperum I, et oleum ualens de grossis V, et de cordis valentibus grossos II, et quatuor medias sclauinas que ualerent grossos XVI, et de iurie grossos VII, et de sachis et sale qui ualuerunt yperperum I, et vnum saccum de pane valentem grossos V, et vnum quarterium de carnibus ualens grossum I, et quatuor salmeries valentes yperperos XIIII, et unam maziam de ferro et unam spatem de grossis XII, et unam capam albam valentem grossos VII, et bisacias valentes grossis III, qui homines predicti sunt homines iuppani Tuerdici.

*Diversa cancellariae 1275. u dubrovačkom arkivu; gl. opasku kod listine od 12. augusta i. g.*

## 430.

**1284. U Zagrebu.**

*Bilješka o prodaji Toplice i Ružindola.*[1]

Fassio perennalis Pribk filii Joba[2] de genere Joba pro comite Radizlao filio Stephani eiusque haeredum super suis successoribus iure perpetuo terris seu possessionibus tam haereditariis quam et emptitiis in Podgorya pro marcis argenti septuaginta, item super terra Toplicha pro 25. marcis ac terra Rusandol pro 45 inter metas intus per extensum circumscriptas situatis celebrata coram capitulo Zagrabiensi 1284. Hocce documentum deberet transcribi ex integro propter introsertas antiquas metales.

*Iz ruk. 18. st. u arkivu jugoslavenske akademije u Zagrebu sign. I. d. 7. — Elenchus litt. instrum. fam. Oršić resp. p. 498.*

[1] Ova se bilješka za cijelo odnosi na listinu od god. 1284. 14. februara, pod br. 389.
[2] Za cijelo »Priba«.

*

## 431.

**1284. U Zagrebu.**

*Bilješka o prodaji Toplice i Ružindola.*[1]

Fassio perennalis in transumpto Vutkovoy pro comite Raduzlao filio Stephani fratris dicti Vutkovy super certis terris seu et possessionibus tenutis in Ruszindol et Toplicza existentibus in Podgoria pro 50. marcis fini argenti celebrata coram capitulo Zagrabiensi 1284. Extradatum 1613. cui sunt insertae metales Topliczenses.

*Regest. arch. comit. Oršić sub fasc. VI. no. 51. u kr. zemaljskom arkivu u Zagrebu.*

## 432.

**1284.**

*Dominikanci zadarski vraćaju neke posudjene stvari samostanu Ninskom.*

Nos fratres de conuentu Jadrensi ordinauimus una cum fratribus de Nona de rebus, quas alliquando(!) acceperant fratres Jadrenses et reddimus eis secundum iniunccionem capituli prouincialis res, que inueniri potuerunt; que autem inueniri non potuerunt, quia dubium erat, utrum tot essent quod(!) reppetebantur(!), conposuimus et dedimus eis propter bonum pacis unum librum misalem et unum breuiarium, ita tamen, quod de cetero nullus prelatus de Nona uel alius frater aliquo tempore faciat mencionem de pluribus rebus. Et in huius rei testimonium sigillum fratris Sauli vicarii Dalmacie et conuentus nostri Jadrensis et domus de Nona apposuimus. Ordinata sunt hec tempore fratris Sauli vicarii Dalmacie, et fratris Symonis lectoris et uicarii de Jadra, et fratris Vincencii prelati de Nona cum aliis suis fratribus anno domini MCCLXXXIIII°.

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru Odio samostana sv. Dominika no. 1047*

*Na listini nalaze se tri uzice od pergamene, samo na jednoj visi odlomak pečata u crvenom vosku.*

[1] Ova se bilješka za cijelo odnosi na listinu god. 1284. 14. februara, pod br. 389.

## 433.

**1285, 2. januara. U Čazmi.**

*Pred kaptolom čazmanskim ustanovljuje se prodaja zemlje u Gariću.*

Capitulum Chasmensis ecclesie universis Christi fidelibus presens, scriptum inspecturis salutem in domino sempiternam. Ad universorum noticiam pervenire volumus presencium per tenorem, quod Laurencius filius Petri a parte una, ab altera autem comes Adam filius Ders coram nobis personaliter constituti, idem Laurencius quandam terram suam in Garyg iuxta locum fori Garyg existentem, cum pertinenciis, adiacenciis et utilitatibus suis universis, quam Petrus pater suus predictus adhuc vivens a Job filio Drask secundum formam et continenciam privilegi nostri exinde confecti titulo conparaverat empcionis ex consensu, beneplacito, connivencia et permissione ipsius Job presencialiter astantis, confessus est propria et spontanea voluntate vendidisse eidem comiti Adam suisque per eum heredibus et heredum successoribus inrevocabiliter habendam et iure perpetuo possidendam pro triginta marcis, quas se ab eodem comite Adam plene recepisse, numerasse et habuisse coram nobis est confessus. Assumpsit [eciam idem] Laurencius et obligavit se ad expediendum ipsum comitem Adam laboribus propriis et expensis ab omnibus . . . . . . . . . dicte terre contra eum tractu temporis per quempiam oriri contigeret questione. Cuius terre mete sicut in eodem privilegio nostro, quod dictus Laurencius ipsi comiti Adam coram nobis assignavit contineri inspeximus taliter distinguntur, videlicet prima meta incipit a parte orientali in Resnyk, ubi est meta iuxta magnam viam per quam cadit in aquam Garyg, ubi est arbor cerasi cruce signata et meta terrea circumfusa, et in aquam Garig vadit superius de qua exit in Ramurna potok, ubi est meta terrea sub arbore harasth cruce signata et meta terrea circumfusa, et in eodem Ramurna potok vadit superius et exit ubi est arbor pomi cruce signata et meta terrea circumfusa iuxta viam, de qua exit in vallem contra meridiem et venit ad fontem Vidoim. Inde ascendit in montem ad arborem harazt cruce signatam meta terrea circumfusam iuxta viam, per quam venit ad metam terre que est sub arbore gartan cruce signata, ubi vicinatur terre loci fori de Garig. Inde descendit de monte ad metam terream, que est iuxta viam, per quam venit ad metam terream que est sub arbore pomi cruce signata Inde contra septemtrionem in eadem via per arbores cruce signatas venit ad metam terre que est iuxta aquam Garig, in qua

vadit superius et exit ad aquam Dobouch, per quam aduc(!) superius tendens exit in vallem, ubi est meta terre sub piro cruce signata, et in eadem valle vadit superius et transit viam ad metam terre. Deinde declinat contra orientem in valle sicca, de qua venit ad metam terre, que est iuxta arborem piri, et ipsa pirus est meta terre fori. Inde vadit in via et venit ad priorem metam In cuius facti seriem presentes contulimus sigilli nostri patrocinio communitas. In crastino octavarum nativitatis domini, anno eiusdem M⁰CC⁰ octuagesimo quinto.

*Cod. dipl. patrius VII. 92—94. no. 151. — Po originalu u arkivu grofova Erdodya u Galgocu. — Vidi se trag iisečenu pečatu na svilenoj vrvci bijele boje. — Kukuljević Reg. no. 1384.*

## 434.

**1285, 3. januara. U Dubrovniku.**

*Svjedočanstvo o grabežu.*

Die tercio ianuarii, coram domino comite et iuratis iudicibus Vitale Binzola, Grubessia de Ragnana et Marino de Posegna. Matherna Blasii de Pucigna petiit Radoe de Bosna, quod debeat ei satisfacere de sale et rebus, quas dictus Materna(!) dicebati psum Radoe sibi uiolenter accepise. Qui Radoe respondit: non est uerum, quod acceperam aliquid, quia sum pastor et pasco partem meam bestiarum, verumtamen audiui dici in Oraxez . . . ab hominibus casalis predicti, quod Ragusei era[n]t robati et dicebatur, quod Silez, qui moratur in dicto casali Oraxez conduxerat cognatos suos, videlicet Grupsam et Bratosclauum filios Thome Zufoti de Stagno, et ipsi tres robauerant Raguseos, tamen nec uidi aliquid de predictis, sed dicebatur, quod Silez receperat sibi salem et alii duo, uidelicet Grupsa et Bratosclauus acceperent alias mercationes et portauerant in Stagnum.

*Diversa cancellariae 1275. U dubrovačkom arkivu.*

## 435.

**1285, 13. januara. U Dubrovniku.**

*Knez dubrovački i njegovi sudci sude prevozniku robe u Drač.*

Die sabbathi XIII. ianuarii coram domino comite et iuratis iudicibus Grubessia de Ragnana et Lucaro Fusci. Vertente questione inter Petrum Georgii de Ragusa agentem ex parte una, et Nichiforum de Zinigreto ex altera. Dixit dictus Petrus per suum aduocatum Palmam Binzole, qui ipse naulizauit cum dicto Nichiforo quatuordecim ballas de gomeris et una[m] ballam de drappis et quinque ballas de ferro ad portandum dictas res Andree Cango de Venecia in Dyrachinum, cuius sunt dicte res, pro quibus dictus Nichiforus debebat habere pro naulo yperperos tres. Unde cum dictus Nichiforus portauerit dictas res vsque vltimum in barcam, cum qua iuit et ab inde redierit Ragusium pro suis utilitatibus faciendis, et reportauerit dictas res Ragusium, peciit iudicari per sententiam, quod ipse Nichiforus ad suum periculum et fortunam usque Dyrachium portet dictas res, satisfaciat dicto Andree de dampno, si quid haberet ex eo, quod ipse Nichiforus non portauit dictas res Dyrachium tempore quo debebat, eciam si quid defecerit de dictis rebus. Ad quem respondit dictus Nichiforus per suum aduocatum Pasquam de Pecorario, quod uerum est, quod ipse debebat portare dictas ballas Dyrachium, secundum quod dictus Petrus dixit; tamen ipse Nichiforus dixit se non recepisse per numerum quid esset in dictis ballis, et propter contrarietatem temporis quam habuit in Vlcinio ita, quod per uim iuit in terram, non potuit ire magis ante et de necessitate oportuit ipsum redire Ragusium ad aptandum barcam et eciam multa perdita fuerunt que deberet restitui per auarcam, et ideo peciit absolui per sentenciam a dicta petitione ipsius Petri. Super quibus ipse Petrus per dictum aduocatum suum Palmam dixit et allegauit, quod ipse Nichiforus fuit in ciuitate Vlcinii, ubi aptauit et aptare potuit dictam barcam, et ibi eciam uendidit et emit mercationes quas portauit in dicta barca, et sicut rediit, sic poterat ire Dyrachium, quia minor via erat ad eundum Dyrachium quam ad redeundum Ragusium. Quapropter dominus comes et iudices suprascripti auditis et intellectis rationibus et allegationibus partium dixerunt et per sententiam iudicarunt, quod dictus Nichiforus debeat pro dicto naulo portare dictas res Dyrachium prenominato Andree, verumtamen ipsas res debeat portare vsque Vlcinium ad ipsius Nichifori periculum et fortunam, et ab Vlcino(!) antea debeat ipsas res

portare ad periculum et fortunam dicti Andree, sicut antea debebat portare. Verum tamen de toto dampno, quod dictus Andreas dicere uoluerit per sacramentum se habere, ex eo quod ipse Nichiforus non portauit dictas res ante, ut debebat, et etiam si aliquid de dictis rebus deficeret dicto Andree, ipse Nichiforus debeat satisfacere dicto Andree, saluo iure dicti Nichifori de dicto naulo et dampnis habitis in dicta barca propter dictam contrarietatem temporis, que dampna restitui debeant per auaream de auere, quod fuit in dicta barca et de ipsa barca appreciando ipsam tantum minus de et quod ualuerit, que dampna fuerunt in summa yperperos tres, et in ipsa barca fuerunt yperperi ducenti dicti Nichifori et sociorum eius et dicte res ipsius Andree, et barca fuit appreciata yperperos LXXXX, de quibus due partes, scilicet LX yperperi debent poni in dicta auarea. Cui Nichiforo dictus dominus comes cum uoluntate iudicum predictorum precepit, ut a die Jouis in antea cum proprio bono et conuenienti tempore, quod fuerit, moueat se de Ragusa cum dicta barca uel cum alia bona et sufficienti barca et portare dictas res, secundum sentenciatum est, debeat Dyrachium prenominato Andree.

*Diversa cancellariae 1275. U dubrovačkom arkivu.*

## 436.

**1285, 13. januara. U Dubrovniku.**

*Nasilja izmedju Dubrovčana i njihovih susjeda.*

Die sabbathi XIII. ianuarii, coram domino comite C. Crane filius Juanci piscatoris iuratus de ueritate dicenda, qui conquestus fuit dicens ego eram heri cum patre meo et Marino Sole in portu Malfi ad piscandum, et illi duo ambaxiatores iuppani Tuerdici, qui fuerunt Ragusii ibant cum una barca et uenerunt ad nos et acceperunt nobis per uim tot pisces qui ualuerunt plus octo grossos, et emenauerunt cum spata in fedro ad percuciendum patrem meum, sed non iunxerunt eum, et pater meus dixit eis. quare facitis uos hoc nobis. Et ipsi dixerunt: quia comes et homines Ragusii faciunt super nostros id quid uolunt, et nos similiter uolumus uobis facere, eatis ad comitem uestrum ad conquirendum nos. Et cum eis unus Raguseus cuius erat barca de casali Vitagne cuius nomen nescio.

*Diversa cancellariae 1275. U dubrovačkom arkivu.*

## 437.

**1285, 18. januara. U Dubrovniku.**

*Stanak.*

Die XVIII. ianuarii, coram domino comite et iuratis iudicibus Vitale Binzola et Mathia de Menze. C. Stanislauus Zizina de Gezecha et Georgius de Cicuto de comuni uoluntate concordauerunt se in hunc modum, quod in festo sancti Georgii proxime uenturi ipsi debent esse ad stanicum in loco, qui dicitur Lesena Preza super eo, quod dictus Georgius petebat dicto Stanisclauo(!) yperperos decem et octo et grossos duos nominatim pro drapo et fortagno, quod dictus Georgius dicebat se uendidisse dicto Stanisclauo. Et dictus Stanisclauus debet secum conducere Bogdanum Sauaricam pro suo iudice, et dictus Georgius debet secum conducere Lucarum Fusci pro suo iudice. Et qui non uenerit ad stanicum in dicto termino, sit tortus, saluo si dictus Stanisclauus illo tempore fuisset de mandato domini sui in exercitum uel in seruicium domini sui aut esset infirmus, tunc dictus Stanisclauus debeat mittere per unum suum hominem, quod non potest uenire propter dictas duas causas. Et si non esset uerum id quod mitteret dicendo, quod ipse sit tortus.

*Diversa cancellariae 1275. U dubrovačkom arkivu.*

## 438.

**1285, 18. januara. U Dubrovniku.**

*Sud o nekim zemljama u Župi.*

† Anno domini ducentesimo octuagesimo quinto, indictione tercia decima, die octavodecimo intrante mense ianuarii, Ragusii, coram vobis subscriptis testibus. Nos dompnus Petrus dei gratia abbas monasterii Lacromonensis et conventus eiusdem monasterii, scilicet presbyter Volcus et presbyter Paulus et frater Mateus et Povesch(!) et cum voluntate procuratorum Pasqua de Picurario et Laurentius de Menze confitemur, quod terras dicti monasterii positas in Breno, que sunt tres solidi de terra et confinant ex parte occidentis cum Marco Acuoso(!), et ex parte orientis cum Paulo de Gisla, et ex parte pelagi cum Grubessa de Ranina, et ex parte montis cum Mateo Savaldi, dedimus domino Mateo

Savaldi ad terciam generationem ad pastinandum etc. Et debeant dare dicto monasterio ip[p]erperos duos pro affictu etc. Et post terciam generationem redeat vineam ad monasteriam Et si tempore gverre etc. Et laborent tribus vicibus et incidant vineam secundum usum Ragusii Et de hoc facte sunt due carte similes hec et alia. Hec autem carta nullo testimonio rumpi possit. Hii sunt testes: Grubessa de Ranina iuratus iudex. Et ego presbyter Johanes iuratus notarius communis scriptor sum et testis.

*Mattei Memorie storiche su Ragusa. Rukopis u knjižnici Male braće dubrovačke br. 416 (st. br. 267). Tom. III. 214.*

## 439.

**1285, 23. januara. U Dubrovniku.**

*Punomoć prokuratoru.*

Die XXIII ianuarii, coram domino comite et iuratis iudicibus Vitale Binzole, Grubessia de Ragnana et Mathia de Menze. C. Symon de Brauari Jadratinus fecit, constituit et ordinavit magistrum Rolandum specialem presentem et recipientem suum procuratorem ad petendum et recipiendum Pasque de Curiaro de Ragusa terciam partem de duodecim libris denariorum venetorum paruorum, quos ipse Symon dixit se expendisse eundo post dictum Pasquam et alios duos socios eius, qui aufugerunt cum una eius barca et cum soldo quod acceperat a comuni Venecie, et in alia parte terciam partem de duodecim libris denariorum paruorum, quas dixit dictum Pasquam et socios eius debere sibi dare pro naulo dicte barce. Et si necese fuerit ad agendum, placitandum, sentenciam audiendum, solucionem recipiendum, finem et remissionem faciendum, que ipse Symon posset facere si presens esset, promittentes ratum et firmum habere quicquid dictus procurator uel substitutus ab eo fecerit in predicto.

*Diversa cancellariae 1275. U dubrovačkom arkivu.*

## 440.

**1285, 21. februara. U Dubrovniku.**

*Nasilja i otimačina.*

Die vigesimo primo februarii, coram comite et iuratis iudicibus Grubessia de Ragnana et Mathia de Menze C. Marcus de Zimoli C. Draganus Juanni, C. Martinus Bratoradi, C. Peruoratus Radovne, C. Osricna Boliobrati iurauerunt de ueritate dicenda, quod conquesti fuerunt dicentes. nos eramus ad laborandum in Vmbla in vinea dicti Marci, et hac nocte uenerunt certi homines cum armis et archubus et clipeis ad capannam dicti Marci in qua iacebamus et arcauerunt et uulnerauerunt duos ex nobis, scilicet Peruoratum et Dragannum, et robauerunt nos et portauerunt uias res nostras, et nos clamauimus, et laboratores Vite et Mario qui erant prope nos noluerunt currere ad rumorem, et illi de casali Razate et de aliis casalibus omnibus cucurerunt post eos et ipsi proicerunt uias partem de rebus nobis acceptis et alias res portauerunt — *(Izbrajaju se neznatne stvari odnesene, najviše odijela.)*

*Diversa cancellariae 1275. U dubrovačkom arkivu.*

## 441.

**1285, 18. marta. U Dubrovniku.**

*Stanak.*

Die XVIII. marcii, coram domino comite et iuratis iudicibus Vitale Binzole et Grubessia de Ragnana. C. Jurech Semze de Merzoa, C. Dobricna Braych de Malfo, C. Velisius Obradouich de Cuuilla, C. Crayslauus Vgreouich de Cracoue stetetunt plezii per Peruodrago Obradich de Golubinez, quod presentabit ipsum ad stanicum, quando iuppanus Tverdicus erit ad stanicum cum hominibus Ragusii, et si dictus iuppanus Tuerdicus non uenerit personaliter ad stanicum, sed miserit homines suos, dicti plezii teneantur presentare dictum Peruodragum ad dictum stancum(!) ad faciendum racionem Nalesco filio Rossini de Xorato super eo, quod ipse Rossinus Nalescus petit dicto Peruodrago yperperos sexdecim pro rebus, quas ipse dicebat dictum Peruodragum accepisse

sibi uiolenter. Et si ipsi plezii non presentarent dictum Peruodragum ad stanicum, ut predictum est, quod ipsi sint torti et teneantur soluere dicto Nalesco predictos sexdecim yperperos.

*Diversa cancellariae 1275. U dubrovačkom arkivu.*

## 442.

**1285, 15. aprila. U Trogiru.**

*Poslanik banov poziva Trogirane, da zajedno s njime udare na nevjerne kralju Splječane.*

In dei nomine amen. Anno domini 1285., indictione XIII., die dominico 15. aprilis, temporibus domini Ladislai dei gratia illustris regis Hungariae, venerabilis patris domini Gregorii episcopi Traguriensis. magnifici Georgei (!) comitis Tragurii et nobilis viri domini Palmerii domini Falci de Firmo civitatis Traguriensis potestatis, in publico et generali consilio civitatis Traguriensis in palatio dicti communis ad sonum campanae, ut moris est, congregato, nobilis vir comes Stipsa filius Namsse nuntius et ambaxator egregii viri domini bani Pauli, ex parte dicti domini bani praecepit potestati et communi Tragurii, ut exercitum deberent facere cum ipso bano contra homines de Spalato infedeles regis Hungariae, et stare iuxta ipsum banum, alioquin ipse dominus banus habebit ipsos Traguriinos pro infidelibus, quemadmodum et Spalatenses, et eis faciet sicut Spalatensibus. Qui dominus Palmerius potestas praedictus nomine et vice communitatis Tragurii et pro ipsa communitate, et etiam dominus Dessa Amblasii nobilis vir Traguriensis voluntate ipsius domini potestatis, et ad cautelam dicti(!, communitatis Tragurii convocatis in dicto consilio venerabile patre domino episcopo et aliis pluribus clericis et laicis et religiosis personis, protestati sunt, et protestando dixerunt, quod dictum exercitum volontarie(!) non faciunt, immo coacti et per vim mandato praedicti domini bani, et per hoc non volunt nec intendunt venire contra concordiam factam cum Spalatinis, quia per vim faciunt Traguriini modo exercitum contra Spalatenses. Actum Tragurii in palatio communitatis praesentibus venerabili patre domino Gregorio episcopo Traguriense, domino Gervasio archidiacono Traguriense, domino Paulo abbate monasterii sancti Johannis de Tragurio, domino Ugrino monaco dicti monasterii, fratre Mauro et fratre Thoma de ordine Praedicatorum, fratre Stephano guardiano, et fratre Luca de

ordine minorum, Stani Varicassi de Jadra, Syraccho de Ragusio, domino Joannino de Ponte, domino Joanino (!) Salinbene, et domino Joannino Titiolo de Venetiis, et Duymo Domiche examinatore.

*Lucius Memorie di Traù 116. — Fejér Codex dipl. Hung. VII. 4. 191.—2. — Wenzel Cod dipl. Arp. cont. IX. 437—438 — Notae Joannis Lucii Starine XIII. 215. To isto pod datumom 16. oktobra XIII 216.*

## 443.

**1285, 14. maja.**

*Bilješka o Ivanu sinu Henrika bana.*

Magister Johannes filius Henrici bani recipitur in militem et familiarem Karoli II. XIV. madii indictionis XIII.

*Registri Angioini. B. 97. Reg. Karoli II. f. 245. — Wenzel Acta extera I. 68.*

## 444.

**1285, 14. maja. U Zadru.**

*Izvršitelji oporuke pok. Andrije de Cotopagna prodaju Lampredíju de Cotopagna trećinu posjeda Kotopanšina za tri sta libara.*

In Christi nomine. Anno incarnacionis eius millesimo ducentesimo octuagesimo quinto, mense maii, die quarto decimo intrante, indicione tercia decima, Jadre, temporibus domini Johannis Danduli incliti ducis Venecie, et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Johannis Contareni egregii comitis. Nos Cosa Saladinus et Jacobus [Ça]dulinus comissarii olim nobilis uiri domini Andree de Cotopagna; sicut ex eius testamento manu Viti archidiaconi et notarii Jadrensis confecto, quod sic incipit: In Christi nomine. Anno incarnacionis eius millesimo ducentesimo septuagesimo nono, mense octobri, die quarto intrante, indicione octaua, Jadre, et cetera, ut in eo legitur, euidenter apparet; presenti publico scripto facimus manifestum, quod per uirtutem et potestatem dicti testamenti damus, secundum quod predictum continet testamentum, tibi quidem Lampredio condam Creste de Cotopagna pro trecentis libris uenetorum paruorum, quos a te confessi et

manifesti sumus integre suscepisse et plenarie habuisse terciam partem totius terre Cotopansina uocate olim dicti domini Andree posite in Sclauonia, sicut eam idem dominus Andreas habuit, tenuit et possedit Deotaydo de Cotopagna presente et expresse consenciente, cum siluis, nemoribus, pascuis, pratis et aquis, suisque cartis nouis et ueteribus et earum robore et uigore ac omni iure ad dictam partem terciam pertinente subtus terram et supra terram, a modo cum plena uirtute et potestate intromitendi, habendi, tenendi, possidendi, gaudendi ac de ipsa parte tercia faciendi, sicut ipsius condam domini Andree supradictum continet testamentum, nemine tibi in perpetuum contradicente. Actum est hoc et firmatum coram his uocatis et rogatis testibus, scilicet: Creste filio condam Mathei de Georgio, Leonardo Flabanico et aliis.

*(Drugi rukopis.)*

† Ego Lampredius Çiualellus iudex examinator manum mesi.(!)

Ego Vitus Jadrensis archidiaconus et notarius interfui rogatus ut audiui hanc cartam scripsi, roboraui et signo consueto signaui.

*(Monogram not.).*

*Original u arkivu grofova Begna u Posedarju: P. no. 8.*

## 445.

**1285, 26. maja. U Zadru.**

*Ivan sin Damjana Petrića prodaje ozidano mjesto u Zadru Filipu sinu Krševana Maura.*

In Christo nomine. Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo octoagesimo quinto, indicione tercia decima, die sexto exeunte mense madii, Jadre, temporibus equidem domini Johanis Danduli inclliti ducis Venecie, et magistri Laurencii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Johanis Contareni egregii comitis. Manifestum facio per hoc presens instrumentum ego quidem Johanes sartor filius condam Damiani de Petriço, quomodo do, dono, vendo atque transacto tibi namque Phylippo filio condam Grisogoni de Mauro Jadre totum vnum meum murale seu locum ammuratum et discopertum positum in ciuitate Jadre in confinio sancte Anastasie archiepiscopatus cum sua curia et omnibus suis pertinenciis; cui de borea est via publica, de austro firmat in locum et domum meam, uersus trauersam firmat in murale seu locum Gresani fratris condam Çurte, et uersus quirinam firmat in

domum tuam; cum plena virtute et potestate a modo in antea cum tuis heredibus et successoribus ipsum murale seu locum ammuratum intromittendi, habendi, tenendi, gaudendi, possidendi, vendendi, donandi, pro anima et corpore indicandi, omnemque aliam tuam voluntatem et vtilitatem libere faciendi ex ipso nemine tibi uel tuis heredibus aut successoribus in perpetuum contradicente uel molestante, cum omnibus suis certis terminis, pertinenciis, confinibus et habenciis ipsi loco seu murali cum sua curia tam subter terram quam supra terram in integrum pertinentibus uel que pertinere sibi possunt; precio cuius vendicionis ego prenominatus Johanes plene habui et recepi a te suprascripto Phylippo libras denariorum venetorum paruorum centum et viginti, quas mihi dedisti et integre persoluisti. Vnde cum meis heredibus et successoribus me obligo et promitto ipsum murale seu locum ammuratum cum sua curia excalumpniare et defensare tibi tuisque heredibus et successoribus in racione ab omni homine et persona super me et omnia bona mea presencia et futura. Actum est hoc et firmatum coram hiis vocatis et rogatis testibus, scilicet: Lampredio de Paulo et Micha de Scolatura Jadrensibus et aliis.

*(Drugi rukopis).*

Ego Franciscus Zadulinus examinator manum missi.

Ego Henricus imperiali auctoritate notarius et Jadrensis iuratus hiis interfui et rogatus scripsi et roboraui.

*(Signum not.)*

*Original u arkivu samostana sv. Marije u Zadru.*

## 446.

**1285. 1. juna. U Veneciji.**

*Dužd Ivan Dandalo otpušta kaptolu dubrovačkomu neke pristojbe.*

Johannes Dandulus dei gracia Venecie, Dalmacie atque Chroacie dux, dominus quarte partis et dimidie totius imperii Romani discretis et honorabilibus uiris . . . canonicis et capitulo ecclesie Ragusine dilectis sibi salutem et dilectionis affectum. Ecce iuxta requisitionem nobis factam ex parte uestra per discretum et honorabilem virum Antonium presbyterum concanonicum et nuntium uestrum gratiam quatuor yperperorum ad denarios grossos duodecim pro yperpero annuatim pro benedictione laudis cantande in natiuitate domini et in pascha resurrectionis et in festo sancti Blasii in dicta uestra ecclesia Ragusina per ipsum

uestrum nuntium nomine uestro et dicte uestre ecclesie nobis petitam, de speciali gratia, quamuis aliter non tenemur, vobis duximus concedendam, dantes per nostras litteras clausas in mandatis nobili viro Michaeli Mauroceno de nostro mandato comiti Ragusii, et per nostras litteras apertas eius successoribus comitibus uniuersis, qui predicti vobis et ecclesie vestre predicte debeant de cetero obseruare. Quas litteras apertas penes uos poteritis retinere. Data in nostro ducali palatio, die primo iunii, tertia decima indictione.

*Original u dubrovačkom arkivu. — Pečat dobro sačuvan. Zbirka Saec. XIII.*

## 447.

**1285, 2. juna. U Zadru.**

*Lovro Pereander nadbiskup zadarski opozivlje svoju priznanicu, da otoci Žirje i Srimac pripadaju Šibeniku.*

Venerabili in Christo fratri domino fratri Gregorio dei gratia episcopo Traguriensi amico in Christo dilecto Laurentius Pereander Jadrensis archiepiscopus salutem et fraternam in domino caritatem Cum pridie seu noviter, quando placuit vobis consecrationi ecclesiae nostrae personaliter interesse, presentibus venerabili patre domino fratre J[ohanne] archiepiscopo Spalatense, et vobis cum aliis suffraganeis eius atque nostris, quamdam litteram sigillo nostro signatam Petro archidiacono Sibenicensi et Sibenicensibus concessimus super duabus insulis Srimaz scilicet et Zuri dicentes in eadem, quod istae duae insulae sicut audieramus erant et pertinebant ad Sibenicenses, postea dum per antiquos homines et fidedignos audientes et intelligentes plenius veritatem, visis quibusdam etiam instrumentis et privilegiis, in quibus manifeste probatur, quod praedictae insulae pertinebant et erant de iure et proprietate civitatis Jadrensis a tempore cuius non extat memoria, predictam confessionem nostram per errorem factam, quam propter ignorantiam aut negligentiam seu occupationem nimiam occasione dictae consecrationis ecclesiae nostrae fecimus, de consilio sapientum et religiosorum auctoritate praesentium totaliter revocamus, irritamus, irritantes et cassantes eamdem, in hoc iura canonica exequentes iuxta verbum summi pontificis dicentis sententiam Romanae sedis, non negamus posse in melius commutari, cum aliquando dictum fuerit seu factum aut scriptum contrarium veritati, et ne occasione dictae testificationis nostrae, sicut

nullae et tamquam nullae processu temporis inter civitatem Jadrensem et castrum Sibenicensem(!) questio aliqua valeat suscitari, praesentem litteram revocatoriam nostri sigilli pendentis munimine ac etiam signo et nomine infrascripti notarii roboratam vobis duximus transmittendam. Datum Jadre, anno domini 1285., indictione 13., die 2 mensis iunii, presentibus venerabili patre domino fratre Augustino dei gratia episcopo civitatis Novae Novesia et religioso viro Joanne abbate sancti Grisogoni, nobilibus viris Marino Girando et Ricobono de Venetiis nunc mercatoribus Jadrensibus et aliis. Ego Laurentius dei gratia Jadrensis archiepiscopus manu propria. Ego Vincentius ecclesiae sancti Stephani presbiter et Jadrensis notarius his interfui et de mandato praedicti archiepiscopi hanc cartam scripsi, roboravi et signo consueto signavi

*Lucius Memorie di Traù 117. — Farlati Ill. sacrum V. 81. — Fejér Cod. dipl. Hung. VII. vol 4, 192—193. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. IX. 430—431. — Kukuljević Reg no. 1387.*

## 448.

**1285. 15. juna. U Zadru.**

*Nikola i sestre mu Grubača, Lipa itd. prodaju svojoj braći Ivanu i Dminci zemljište u ulici sv. Silvestra.*

In Christi nomine Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo octoagesimo quinto, indicione tercia decima, die quinto decimo intrante mense iunio, Jadre. Temporibus equidem domini Johanis Danduli incliti ducis Venecie, et magistri Laurencii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Johanis Contareni egregii comitis Manifestum facimus per hoc presens instrumentum nos quidem Nicola filius condam Dragoscii Sfylano et eius sorores Grubaça cum voluntate viri mei Jurgii, Lippa cum voluntate et assensu viri mei Petri, Ciuitha assenciente mihi viro meo Dessa et Dragna cum uoluntate et assensu viri mei Damiani, quomodo damus insimul, vendimus et donamus atque transactamus uobis namque Juano et Deminçe nostris dilectis fratribus omnes nostras quinque partes vnius loci assidibus coperti pro indiuiso uobiscum positum in contrata sancti Siluestri ad Baybas, cui de borrea est locus Petri condam Dobrani, de austro firmat in loca sancti Damiani, de trauersa in locum heredum condam Gostine, et de quirina firmat in locum dicte ecclesie sancti Siluestri, qui uero locus per longitudinem est de tribus passibus et dimidio de comuni et tribus pedibus et per latitudinem est

de duobus passibus et tribus pedibus de comuni; cum plena virtute et potestate a modo in antea cum vestris heredibus et successoribus ipsas nostras quinque partes eiusdem loci pro indiuiso intromittendi, habendi, tenendi, gaudendi, possidendi, vendendi, donandi, pro anima et corpore iudicandi omnemque aliam vestram uoluntatem et vtilitatem ex ipsis quinque partibus pro indiuiso libere faciendi nemine tibi uel tuis heredibus aut successoribus in perpetuum contradicente uel molestante, cum omnibus suis certis terminis, pertinenciis, confinibus et habenciis ipsis quinque partibus eiusdem loci pro indiuiso tam subtus terram quam supra terram in integrum pertinentibus uel que pertinere sibi possunt; precio cuius vendicionis nos prenominati Nicola, Grubaça et Dragna, Lippa et Ciuitha plene recepimus et habuimus a uobis suprascriptis fratribus nostris Juano et Deminçe libras denariorum venetorum paruorum triginta quinque, quas nobis dedistis et integre persoluistis. Vnde cum nostris heredibus et successoribus promittimus et tenemur ipsas nostras quinque partes eiusdem loci pro indiuiso excalumpniare et defensare uobis vestrisque heredibus et successoribus in racione ab omni homine et persona super nos et omnia bona nostra presencia et futura. Actum est hoc et firmatum coram hiis vocatis et rogatis testibus, scilicet. Petro Georgii, Micha de Michusso, et Gregorio de Slorado Jadrensibus et aliis.

*(Drugi rukopis).*

† Ego Lampredius Ciualellus iudex examinator manum misi.

Ego Henricus imperiali auctoritate notarius et Jadrensis iuratus hiis interfui et rogatus scripsi et roboraui.

*(Signum notarii).*

*Original u arkivu samostana sv. Marije u Zadru.*

## 449.

**128[5] (?),[1] 1. jula. U Zadru.**

*Laurencije nadbiskup i gradjani Kosa Saladin i A[ndrija] de Cotopagna izjavljuju, da su platili 1000 libara LampredIji de Nikola i Ivanu Coci-u, komisarima pok. župnika Damjana za sav njegov posjed u Blatima, ostavljen samostanu sv. Nikole.*

[In Christi nomine. Anno] incarnacionis eiusdem millesimo [ducentesimo octoagesimo] . . . . . . die primo mensis iulii, Jadre. Temporibus

[1] Glede datuma sr. protokol s listinom od 1285. 15. juna.

[equidem domini Johannis Danduli] incliti ducis Venecie, et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Johannis Cornarii egregii comitis. Nos quidem ma[gister] Laurencius Jadrensis archiepiscopus suprascriptus, Cosa Saladinus et A[ndreas d]e Cotopagna ciues Jadre, testifi[camur in sa]lute animarum nostrarum et in ea veritate, que Christus est, dicimus, [quod] post obitum Damiani olim plebani sancti Petri noui fuimus in ecclesia sancti Nicolay Jadrensis coram altari sancte Clare, ubi nomine ipsius monasterii sancti Nicolay numerauimus et numerari fecimus ac eciam dedimus et persoluimus in denariis venetis grossis Lampredio de Nicola et Johanni Cocio Jadratinis, comissariis condam ipsius plebani, mille libras denariorum venetorum paruorum pro villa et omnibus terris et possessionibus de Blata, quas idem plebanus dimisit et indicauit ipsi monasterio sancti Nicolay, sicut continetur in testamento ipsius plebani, quas uero mille libras denariorum ipsi Lampredius de Nicola et Johannes Cocius suprascripti receperunt a nobis nomine ipsius monasterii et habuerunt integre numeratas et secum inde predictam pecuniam portauerunt, et hec omnia suprascripta per uerum dicimus testimon[ium] coram hiis vocatis et rogatis testibus, scilicet: Dompnio Dessigna . . . . . . presbitero et Andrea primicerio Jadrensibus, et aliis.

*(Drugi rukopisi).*

Ego Candi de Ragno examinator manum misi.

† Ego Volcinna de Matafaro examinator manum meam misi.

Ego Henricus imperiali auctoritate notarius et Jadrensis iuratus hiis interfui et rogatus scripsi et roboraui.

*(Signum not.).*

*Original u gubernial. arkivu u Zadru, odio samostana sv. Nikole no 69. — Na naledju ima iz novijega doba notica: Anno. 1285. Primo Luglio. — Listina je na početku i na lijevom rubu oštećena. — Nadbiskup Laurencije od g. 1247.–1287. vidi Farlati Illyr. sac. V. 77—84*

## 450.

**1285, 2. jula. U Dubrovniku.**

*Knez dubrovački protestira proti osudi svećenika Barbia, a nadbiskup se zadovoljava.*

In nomine domini dei eterni. Anno eiusdem nativitatis millesimo ducentesimo octuagesimo quinto, indictione tertia decima, die lune se-

cundo iulii, presentibus dominis Pasqua de Volcasio et Junium(!) de Crosio et Vitale Binzole et Janinum(!) Deodati vicarium(!) domini comitis infra scripti et allis in sala archiepiscopatus Ragusii, coram uobis domino Bonauentura archiepiscopo Ragusino. Ego Michael Maurocenus comes Ragusii refuto custodiam presbyteri Barbii sententiatum et condepnatum(!) per uos facere vitam suam in carceribus comedendo solumodo panem et aquam. De qua refutatione dictus dominus archiepiscopus fuit contentus in presentia predictorum testium.

*(Monogram not.)*

Ego Azo quondam Jacobi de titulo imperialis aule notarius et predicti domini comitis predicta scripsi et roboraui iussu et auctoritate sua, et mihi notario dictus dominus comes comisit omnia predicta dicere ex parte sua coram dicto archiepiscopo et iussit mihi facere plubicum(!) instrumentum.

*Original u dubrovačkom arkivu. Zbirka Saec. XIII.*

## 451.

**1285, 12. augusta. U Veneciji.**

*Ivan Dandulo dužd Venecije šalje svoje poslanike u Trogir.*

Joannes Dandulo dei gratia Venetorum etc. Dominis prudentibus viris rectori et universitati Tragurii dilectis suis salutem et dilectionis affectum. Ecce viros nobiles et prudentes Marcum Trevisan et Jacobum Michael dilectis(!) fideles et ambasciatores nostros ad vos personaliter destinamus, prudentiam vestram rogantes et hortantes attente, quatenus ea quae iidem ex parte nostra dixerint indubitanter credatis et curetis effectui demandare. Datum in nostro ducali palatio, 12. augusti, 13. indictione.

*Lucius De regno Dalm. et Cr. l. IV. c. 9. 183. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. IX. 427.*

## 452.

**1285, iza 1. augusta. U Budimu.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski poklanja samostanu sv. Marije na Visokoj obali kraj Zadra posjed Starosan u Hrvatskoj.*

Ladyzlaus dei gratia Hungarie, Dalmatie, Croatie, Rame, Seruie, Gallitie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex vniuersis Christi fidelibus presentes licteras(!) inspecturis salutem in salutis largitore. Ad notitiam vniuersorum tenore presentium volumus peruenire, quod nos quandam possessionem ad nos pertinentem in Croacia Starosan vocatam, cuius termini ex parte orientis Rocsanne et villa Bristena filiorum de Cassichi, ex parte occidentis Semelnik, ex parte aquilonis Polletchis, ex parte australi Subichi et Radobucha terris continuantur et aliis vicinis terris secundum metas ab antiquo desinnatas(!), ob remedium anime nostre et nostrorum predecessorum ac ad instantiam et petitionem domine Elisabet sanctimonialis monasterii beate virginis de insula Danubii sororis nostre carissime, sororibus monasterii sancte Marie de Alta ripa iusta(!) Jadram ordinis sancti Augustini secundum instituta et sub cura ordinis fratrum Predicatorum viuentibus dedimus, donauimus, contulimus cum omnibus utilitatibus suis et pertinentiis perpetuo possidendam, quamdiu sub obedientia et cura extiterint ordinis supradicti. Volentes nichilominus, ut sorores monasterii supradicti uel officiales earundem populos possessionis prefate eam eisdem collate in libertatibus earum statutis ab antiquo debeant conseruare. Vt autem prefate sorores occaxione(!) possessionis memorate nequeant ab aliquo perturbari seu molestari, omnes licteras, instrumenta seu priuilegia a personis cuiuscumque dignitatis et quibuscumque uerbis obtenta de collatione predicte possessionis sibi facte tenore presentium reuocamus, cassamus et irritamus. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus licteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum Bude per manus domini Thome episcopi Vachiensis aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo quinto, regni autem nostri anno quinto(!)[1] decimo.

*Iz potvrde kralja Ljudevita od g. 1360. 17. novembra. Ova potvrda iz originalnog prijepisa kaptola zadarskog u samostanu sv. Marije u Zadru a. 1396.*

[1] Za cijelo pogrešno prepisano; prema godini 1285. ima biti »quarto«.

## 453.

**1285, 7. septembra. U Zagrebu.**

*Zemko i njegova svojta zalažu banu Stjepanu zemlju Večinčret za dužnih mu 10 maraka dinara zagrebačkih.*

Nos capitulum ecclesie Zagrabiensis damus pro memoria, quod Johanne comite filio Arlandi pro nobili viro Stephano bano domino suo ab una parte, et ab altera Zemk filio Bose pro se et Maren fratre suo, Wlcheta filio Stoizlai, Dobrotech filio Chernk pro se et Radei fratre suo, et Petk filio Brathesa coram nobis constitutis, qui se sic esse et vocari asserebant, idem Zemk et ceteri de parte sua prenominati confessi sunt se et memoratos fratres suos ac alios proximos suos universos de Drozgometh quandam terram suam de eodem Drozgometh, in loco videlicet Dola, Vechyncherech vocatam, a cacumine montis Hualey usque ad rivum Brochina, cum utilitatibus eiusdem terre universis prefato Stephano bano pro viginti marcis denariorum Zagrabiensium receptis ab eodem nomine mutui ut dicebant, pignori obligasse, redimendam pro eadem summa pecunie in festo beati Martini proximo veniente, hoc adiecto, quod si ipsum diem obmiserint in redimendo eandem terram suam, extunc idem Zemk et alii de parte sua predicti mediante condigna estimacione perpetuare ipsam terram suam eidem Stephano bano mediantibus stabilibus litteris tenebuntur, sicut assumpserunt, alioquin penam dupli incurrent ipso facto, nisi eisdem facultas eandem suppeteret redimendi. Datum in vigilia nativitatis beate virginis, anno domini MCC octuagesimo quinto.

*Privileg. monast. B. V. Mariae de Toplica no. LII.*
*Tkalčić Mon. episc. Zagrab. I. 216. - 217. — Kukuljević Reg. no. 1389*

## 454.

**1285, 15. septembra. U Zegnedu.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski zapovjeda stanovnicima garešničke županije, da plaćaju od svojih dohodaka onako pristojbu biskupu zagrebačkomu, kako su ju njekoč plaćali hercegu Beli.*

Ladizlaus dei gracia rex Hungarie fidelibus suis vniuersis nobilibus et aliis omnibus cuiuscumque condicionis hominibus in Gerzencha

existentibus salutem et graciam. Cum nos comitatum de Gerzencha venerabili patri Thymotheo dei gracia episcopo Zagrabiensi dilecto et fideli nostro sicut primitus sic et nunc eidem cum plenitudine nostre gracie reliquerimus, fidelitati uestre firmiter et districte precipiendo mandamus, quatenus omnia iura et prouentus ex parte uestri comiti de Guersencha(!) debitos et consuetos, officiali ipsius venerabilis patris sine diminucione et fraude dari faciatis et persolui plenarie et integre eo modo et ea plenitudine, quemadmodum tempore domini Bele ducis clare memorie fratris nostri predilecti, officialibus ipsius Bele ducis consueueratis ministrare; aliud facere nullatenus presumentes, quia si secus feceritis, indignacionem nostram grauiter sencietis incurrisse; et nichilominus eidem venerabili patri auctoritatem dedimus vos ad hec cum uestro grauamine atque dampno compellendi. Datum in Zegned, in octava natiuitatis virginis gloriose.

*Liber privileg. eppatus. zagrab. list 34.*

*Kercselich Hist. eccl. Zagrab. 90 — Katona Hist crit. VII. 893. — Farlati Illyr. sacr. V. 381 — Fejér Codex dipl. Hung. V. 3. 242. ima god. 1284. — Ibid. VII. 5. 484.—485. ima god. 1289. — Tkalčić Mon episc. Zagr. I. 217. — Kukuljević Reg. no. 1376. ima datum. 1284. 15. septembra po Farlatu i Fejéru u Zegnedu, pod br. 1390 ima po Tkalčiću g. 1285., a pod br. 1445. ima datum 1289 15. sept. u Zagrebu po Fejéru VII. 5. 484. — U prvoj ima »comitatum de Gerzencze«, a u zadnjoj po Fejéru »Berzencze«. Ovaj naslov de »Berzencze« nosili su poslije neispravno biskupi zagrebački.*

## 455.

**1285, 30. septembra. U Trogiru.**

*Biskup i općina trogirska mire se glede desetine.*

In dei nomine amen. Anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo quinto, indictione tercia decima, die dominico vltimo septembris. Temporibus domini Ladisglaui(!) dei gratia serenissimi regis Vngarie, venerabilis patris domini Gregorii miseratione diuina episcopi Traguriensis, magnifici viri domini Georgii comitis Tragurii et nobilis viri domini Palmerii domini Falci de Firmo ciuitatis Tragurii potestatis. Ad honorem et reuerentiam dei omnipotentis et beate Marie virginis nec non et beati Laurentii martiris, sancti Johannis confessoris. Predictus venerabilis pater dominus Gregorius Traguriensis episcopus vna cum domino Geruasio archidiacono, primicerio Casioto et toto capitulo suo dicte

ecclesie sancti Laurentii episcopatus Tragurii nomine et vice dicti capituli ex vna parte, et nobilis vir dominus Palmerius domini Falci de Firmo predictus ciuitatis Tragurii potestas de voluntate generalis consilii dicti comunis ex altera, vnanimiter et concorditer super decimis dandis ad talem concordiam deuenerunt, scilicet, quod quilibet Traguriensis ciuis teneatur et debeat exibere decimam hoc modo. pro quolibet boue arrante vnum modium blade, silicet(!) medium modium grani et medium modium ordei pro omnibus decimis debito exibendis, exceptis decimis agnorum. Illi vero qui terram propriis manibus collunt uel boues alienos conducunt, decimam consuetam dare teneantur, sicut hactenus persoluerunt; et si blaue deuastarentur casu fortuito temporis guerarum uel tempestatis, quod sit in voluntate laborantis de dando uel decimum de eo quod recolligeret ille qui laboraret, uel ipsum modium pro quolibet boue Quam decimam quilibet dare teneatur quolibet anno vsque ad kalendas augusti, et si quis non daret vsque ad dictum terminum, soluat comuni Tragurii pro banno decem libras venetorum paruulorum et nichilominus dictam decimam dare teneatur. Et potestas, consules et iudices comunis Tragurii qui pro tempore fuerint, teneantur predicta facere obseruari et operam eficacem dare, ut obseruentur, et si aliquis uel aliqui non dabunt ipsas decimas, ut supra dictum est, potestas, consules et iudices qui pro tempore fuerint faciant bublice(!) bandiri et inhibeant, ut nullus laboret de terris et possessionibus illius qui non daret decimam ad bannum predictum, et ipsa banna teneantur exigere pro comuni De quo concordio duo sunt facta consimilia instrumenta, videlicet vnum pro qualibet parte. Actum Tragurii in palatio prefati domini episcopi, presentibus sapientibus viris dominis Dessa de Amblaxio, Georgio de Cega, Thoma Jannich, Matheo de Pasca, Amblaxio Desse, Georgio Gualimerii et domino Dessa Duymi de Morseca examinatore testibus. Ego Dessa Duymi examinator conscius examinaui. Et ego Jacobus de Firmo comunis Tragurii et predicti domini potestatis iuratus notarius rogatus scripsi et publicaui.

*Iz originalnog not. prijepisa od g. 1283. 18. decembra. Ovaj prijepis u arkivu kaptola u Trogiru no 25.*

*Lucius Memorie di Traù. 138. pogrešno 30. decembra, a po njemu i svi drugi. Fejér Cod dipl Hung VII. 4. 193—5. — Wenzel Cod. dipl Arpad. cont. IX 131—134. — Farlati Illyr. sac. IV. 360. — Kukuljević Reg. no. 1393.*

## 456.

**1285, 2. oktobra. U Zadru.**

*Izvršitelji oporuke pokoj. Andrije de Cotopagna prodaju Andriji sinu Creste de Cotopagna dvor u Zadru za 1000 libara.*

In Christi nomine. Anno incarnacionis eius millesimo ducentesimo octuagesimo quinto, mensis octobris die secundo, indicione quarta decima, Jadre. Temporibus domini Johannis Danduli incliti ducis Venecie, et magistri Laurencii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Johannis Contareni egregii comitis. Nos Cosa Saladinus et Jacobus Çadulinus commissarii olim nobilis uiri domini Andree de Cotopagna, sicut ex ipsius testamento confesto [1] manu Viti archidiaconi et notarii Jadrensis euidenter aparet, quod sic incipit In Christi nomine. Anno incarnacionis eius millesimo ducentesimo septuagesimo nono, mense octobri, die quarto intrante, indicione octaua, Jadre, et cetera ut in eo legitur, presente publico scripto facimus manifestum, quia damus et tradimus per uirtutem et potestatem testamenti predicti presente viro egregio domino Johanne Contareno suprascripto comite Jadre, tibi Andree de Cotopagna filio quondam Andree Cresti de Cotopagna et tuis heredibus pro mille libris venetorum paruorum, quas a te confessi et manifesti sumus integre suscepisse et plenarie habuisse, totum hospitium ipsius condam domini Andree positum in ciuitate Jadre in cofinio sancte Marie de Boniqualdo a parte boree supra uiam publicam, a parte trauerse confinians cum domo condam Miche Boorç, a parte quirina cum domo Dese Naniuetri, et vero a parte austri est murus ciuitatis Jadre; cum suo orto omnibusque suis habenciis, certis terminis et pertinenciis ac omni suo iure ad habendum, [te]nendum, possidendum et in eodem personaliter habitandum ita, quod tu aut heredes tui predictum uendere, donare uel alienare aliis non possitis nisi tantum Deotaydo de Cotopagna patruo tuo, sicut eiusdem domini Andree suprascriptum continet testamentum. Actum est hoc et firmatum coram hiis uocatis et rogatis testibus, scilicet: Bogde de Lourechna, Petrogna de Papo, et Thomaseo Cucille.

*(Drugi rukopis).*

Ego Franciscus Zadulinus examinator manum misi.

Ego Vitus Jadrensis archidiaconus et notarius interfui rogatus, ut audiui hanc cartam scripsi, roboraui et signo consueto signaui.

*(Monogram not.)*

*Original u arkivu grofova Begna u Pozedarju P. no. 9.*

## 457.

**1285, 7. oktobra. U Brskovi.**

*Hinko od Bibana daruje Dominikancima jednu crkvu.*

Universis praesens scriptum inspecturis dominus Heinz de Bibanis salutem in domino sempiternam. Noverit universitas vestra, quod habito sano consilio virorum utique discretorum, capellam meam, quam in honorem virginis gloriosae iamdudum construxeram, fratribus Praedicatoribus de Ragusio obtuli, dedi, donavi iure perpetuo possidendam, sane tamen, quod dicti fratres officiare iam dictam capellam continue teneantur, salvo hoc, si aliquo legitimo negotio ad modicum tempus fuissent praepediti. Insuper dono iisdem fratribus omnes eiusdem capellae praetiosas reliquias, necnon et calicem argenteum cum aliis vestimentis sacerdotalibus et altaris non modico ornamento. In cuius donationis testimonium sigillum dictae capellae duxi praesentibus apponendum [1] Datum in Briscova, in qua sita est dicta capella, in dominica ante festum sancti Dionysii anno domini MCCLXXXV.

*Farlati Ill. sacr. VI. 117. -118. Ibidem 442—443. (krivo pod god. 1281.) — Kukuljević Reg. no. 1312. pod god 1281. i no. 1386. pod god. 1285.*

## 458.

**1285, 17. oktobra. U Kotoru.**

*Domnij biskup kotorski potvrdjuje dar Hinka gradjanina brskovskoga (kapela sv. Marije) darovani Dominikancima u Dubrovniku.*

D[omnius] divina miseracione episcopus Catharensi(!) omnibus Christi fidelibus presentem[2](!) scriptum inspecturis salutem in omnium saluatore. Quia labuntur omni tempore, que disponuntur in tempore, cum non fuerint stili memorie comendata. Igitur et[3] dictus Henricus[4] de Bibano[5] ciuis Briscoensis[6] uir utique prouidus et discretus suam capellam, quam

[1] U Farlata pogriješno: opponendum.

[2] Farlat ima »praesens.

[3] » » »cum«.

[4] » » »Heinz«.

[5] » » »Bibanis«.

[6] » » »Priscovensis«.

in honorem construxerat sancte Marie virginis gloriose fratribus Predicatoribus de communitate[7] Ragusio[8] dederit, donauerit tradideritque cum omnibus suis attinentiis iure perpetuo in posterum[9] possidendam. Hinc est ergo, quod vniuersos ad quos deuenerit presens instrumentum[10] cupimus non latere, quod ad interpellacionem dictorum fratrum, quorum precibus semper condescendere intendimus, iam nominate capelle donacionem eisdem fratribus hiis litteris confirmamus. Hoc tamen saluo ut[11] dicti fratres de nullo iure maioris ecclesie se aliquatenus intromittant. Ut autem nulli liceat hanc donationem in antea infirmare[12] placuit nobis nostro, sigilli[13] munimine roborare[14]. Datum in Cathara(!), in vigilia Luce evangeliste, anno domini M. CC. LXXXV.

*Original u arkivu samostana dominikanskoga u Dubrovniku, končane vrvce stoje, ali pečat otpao. Listina trošna i oštećena. — Radi saveza sa predjašnom listinom naznačismo očite pogreške Farlatove.*

*Farlati Ill. sacrum. VI. 443. — Kukuljević Reg. no. 1391.*

## 459.

**1285, 19. oktobra. U Dubrovniku.**

*Sukob između kneza i carinara Martola Crijevića.*

Die nonodecimo intrante mense octubri, coram nobili viro domino Michaele Mauroceno comite Ragusii, et iuratis iudicibus suis Dimitrio de Menze, Andrea de Benissa, Michaele de Cluno, Lampridio de Boysclaua, et Janino Deodato, Martolus de Zerena porrexit quandam protestationem in scriptis, cuius tenor talis est. Cum olim fuerit acceptum et firmatum per dictum comitem et paruum consilium, quod triginta nobiles de ciuitate Ragusii mutuarent mille yperperos comuni, qui debebant dari regi Stephano, quos perperos fuit ordinatum in eodem consilio per dominum comitem et consiliarios, quod doanarii ciuitatis deberent dare et soluere de duabus partibus de omnibus introitibus dicte pecunie, quorum nomina misit dominus comes in scriptis per Pascalem notarium comunis doanariis, qui debent diuidere memoratam pecuniam, ut predictum est, et tercia pars deberet remanere in camara(!) comunis. Doanerii quidem

[7] Farlat ima »conventu«.
[8] » » »Ragusino«.
[9] » nema ove dvije riječi: »iure perpetuo«.
[10] » ima »pagina«.
[11] » » »quod«.
[12] » » »confirmare«.
[13] » » »eam sigilli nostri«.
[14] » » »roborari«.

secundum illam ordinationem fecerunt semel, fecerunt et bis, cum autem fecissent secundam diuisionem, dominus comes misit pro me Martolo de Zereua doanario dicens mihi: cur tu fuisti ausus diuidere pecuniam sine meo precepto, cui ego Martolus respondi. domine, ego non diuisi pecuniam sine uestro precepto, immo si bene recolitis ex uestro precepto, diuisi, quia ita fuit ordinatum per uos et uestrum consilium, et quia eciam uos misistis doaneriis nomina mutuatorum, ut dictum est, quibus debebant doanerii distribuere et diuidere pecuniam momoratam secundum formam accepti et firmati consilii, propterea, quod uos domine comes precepistis mihi dare pignora de trecentis yperperis, que cum non haberem unde satisfacere possem, Antonius Taliapetra mutuauit mihi, et licet de hoc facto insciens et immunis sim, eadem die satisfeci dominacioni uestre ob honorem persone et comunitatis Item nu(!) placuit uobis et uestro consilio me in nuncium et ambaxatorem domino duci supplicantem uobis sepe et sepius, quod placeret expedire negocium meum per rationem, quod distulistis facere usque ad meum recessum et accepistis aptagias a dicto Antonio de pignoribus illis super me ad hoc, ut propter meam absentiam ego incidam in pena aptagiariam. Adhuc ego Martolus de Zerena fidelis illustris domini ducis Venecie supplico dominacioni uestre domine comes, quatenus placeat uobis me expedire per rationem de pignoribus suprascriptis ad hoc, ut non incidam in aptagias et dampnificer huiusmodi causa, alioquin protestor in presentia dominorum iudicum Dimitrio de Mence, Michaele de Cluno, Andrea de Benissa, Lampridio de Balislaua(!), Johanne Deodati et aliorum in his scriptis, quod super pignoribus et aptagiis datis et receptis nullum inperiudicium(!) generetur ratione predicta, et placeat uobis me fidelem domini ducis non grauare, ut de uobis coram domino duce occasionem non habeam conquerendi, et quod fuerit talis ordinacio consilii, paratus sum probare per consiliarios, qui interfuerunt consilio. De quibus omnibus requiro magistrum Thomasinum notarium suo iuramento et officio in presencia predictorum, qui mihi faciat publicum instrumentum. Lecta autem protestatione suprascripta per me G.[1] notarium infrascriptum dominus comes respondit in hunc modum dicens: Verum est, quod ordinatum fuit in consilio, quod doanerii deberent diuidere duas partes introitus doane inter illos, qui mutauerant pecuniam communi, verumtamen non fuit dictum, quod hoc fieret sine licencia comitis Ragusii, et semper fuit, quod nec camararii comunis nec aliqui officiales debent dare alicui de pecunia comunis nisi cum licencia comitis Ragusii, quia comes in Ragusio est executor omnium consiliorum et ordinationum

[1] Gl. imena notara u drugim listinama.

Ragusii. Et quod hoc sit notum tum Martole cum sociis eius, quando [motu] proprio diuisisti pecuniam doane predictis mutuatoribus tu et socii tui doanerii uenistis ad me et dixistis: nos habemus pecuniam in doana, et si placet uobis domine comes, nos uolumus cum licencia uestra diuidere dictam pecuniam; et ego tunc dedi uobis licenciam diuidendi et feci uobis dari nomina mutuatorum. Secunda autem uice tu Martole contra sacramentum tuum et contra honorem meum et comitatus Ragusii iuisti ad socios tuos et dixisti eis: diuidamus monetam; et socii tui dixerunt tibi: uolumus diuidere sine licencia domini comitis; et tu dixisti eis: sit super me de comite. Et noluisti uenire ad me ad petendum licenciam, ut debebas, et sine mea licencia, immo me de hoc nichil sciente monetam comunis Ragusii diuisisti ex auctoritate tua, propter quod uidens, quod tu contra sacramentum et contra honorem meum feceras, misi pro te et precepi tibi, quod deberes dare pignora de centum yperperis in manus camarariorum comunis Tu uero meis nolens obedere mandatis dixisti contra me cum superbia: ego non habeo pro quo dare pignus, et cum iuramento dixisti contra me, quod non des pignus. Et ego uidens superbiam tuam, quod eras inobediens, et quod iuraueras te non dare pignus, precepi tibi, quod dares pignus de ducentis yperperis in manibus camarariorum comunis, et tu iterato respondisti et dixisti cum iuramento, quod nullomodo dares dictum pignus, adhuc potius contra me loquendo . . . . . locutus fueris et tu. Ego videns duriciam et superbiam tuam contra me, precepi tibi sub pena centum yperperorum, ut illo eodem die dare deberes pignora de trecentis yperperis in manus camariorum comunis, que pignora tu dedisti. Vnde ego volo hoc malefactum et maledictum diligenter inquirere et examinare et cum deliberatione et mature perficere; et si te culpabilem inueniam, puniam et condempnabo(!) te comuni Ragusii secundum opera tua, et si [non] fueris culpabilis, te absoluam. Ueruntamen non est uerum, quod dicta pignora sint in manibus camariorum comunis ex ea causa, quia dicis, sed sunt primo pro centum yperperis ex eo, quod diuisisti pecuniam comunis contra sacramentum tuum et contra honorem meum sine mea licencia. Et postea sunt pro ducentis yperperis ex eo, quod fuisti inobediens et dixisti cum iuramento, quod non dares pignus mala et superba uerba contra me loquendo; vnde in hoc faciam cum honore meo et comitatus Ragusii, quod fuerit faciendum. De ratione autem, quam cum Antonio Paliapetra habes facere, faciam quod ratio postulabit.

*Diversa cancellariae 1275. U dubrovačkom arkivu.*

## 460.

**1285, 30. oktobra. U Kotoru.**

*Poslanici dubrovački traže od općine kotorske povratak ili otštetu za izdan joj deposit župana Deše.*

In Christi nomine. Anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo quinto, indicione tercia decima, die penultimo mensis octubris, Catari, in presencia Marchisii Rauacolli consulis Venetorum in Cataro, Vgolini de Marca, et Leonardi Bonuesini mercatorum de Venetiis testium vocatorum et rogatorum. In consilio ciuitatis Catari congregato per sonum campane, ut moris est, Sersius Clementis et Nichola de Crossio nuncii et ambassiatores domini comitis et comunis Ragusii fecerunt et porrexerunt hanc protestationem in scriptis, cuius tenor talis est: Coram vobis dominis iudicibus, consiliaris et comuni Catari nos Sersius Clementis et Nichola de Crossio nuncii et ambassiatores nobilis viri domini Michaelis Mauroceni honorabilis comitis Ragusii, iudicum et consiliariorum et tocius comunis dicte ciuitatis Ragusii ad hoc specialiter missi, dicimus et proponimus pro parte dictorum domini comitis et comunis Ragusii, quod cum iuppanus Desa filius condam domini regis Ladisclaui et domina Bellosclaua mater eiusdem Deso(!) deposuerint in Ragusa quasdam res, venerunt Ragusium Johannes de Pribi, Nicholaus Dabronis, Johannes Gymanoi, Johannes Gille, Marcus Basilii et Medossius Thome Dragonis, syndici et procuratores comunis Catari ad hoc specialiter constituti, ut constat publico instrumento manu presbiteri Triphonis tunc notarii comunis Catari confectum, et acceperunt de manibus domini comitis et comunis Ragusii dictas res de predicto deposito. Qui syndici et procuratores comunis Catari promiserunt et obligauerunt se pro se et nomine et uice comunis et hominum Catari, quod si aliqua persona aliquo tempore apparuerit ad petendum dictas res de predicto deposito, et domino comiti et comuni Ragusii uidebitur, quod illa persona habeat ius in dictis rebus, uel quod ad ipsam pertineant, comune et homines Catari dictas res restituere debeant domino comiti Ragusii infra unum mensem, postquam dicti comune et homines Catari fuerint requisiti, et si ipsi non restituerent dictas res infra terminum supradictum, dicti comune et homines Catari debeant in continenti dare et soluere domino comiti et comuni Ragusii sine aliqua questione tantum, quantum dicte res per dominum comitem et comune Ragusii fuerint extimate. Promittentes insuper dicti procuratores et syndici comunis Catari conseruare comune et homines Ragusii

indempnes ab omnibus dampnis et expensis, que possent occurrere comuni et hominibus Ragusii occasione dicti depositi; obligantes pro predictis omnibus et singulis attendendis et obseruandis omnia et singula bona comunis et hominum et omnium singularium personarum Catari mobilia et immobilia, habita et habenda, ut de predictis omnibus constat publico instrumento ibidem uiso et lecto. Cum igitur prenominata Bellosclaua mater dicti Dese nunc uenerit Ragusium cum litteris domini regis Vrossii continentibus, quod dicte res debeant dari prenominate domine Bellosclaue et petat dictas res de predicto deposito, nos prenominati Sersius et Nichola ambassiatores et nuncii pro parte ac nomine et uice dictorum domini comitis et comunis et hominum Ragusii requirimus uos dominos iudices, consiliarios et comune Catari et a uobis instanter petimus, quatenus dictas res de predicto deposito, uel tantum quantum dominus comes et comune Ragusii illas extimare voluerint, dare et assignare debeatis domino comiti et comuni Ragusii infra dictum terminum unius mensis ab hodie in antea computandum, secundum quod obligati estis. Et etiam protestamur dampna, si que comune et homines uel aliquas personas Ragusii habere contigerit, et petimus et protestamur expensas factas et faciendas per comune et homines Ragusii occasione depositi supradicti secundum obligationem per uos factam, ut patet predictis publicis instrumentis coram uestra presentia uisis et lectis. Et quia rogauimus vos, ut faceretis uenire in hoc consilium magistrum Thomam notarium comunis Catari, ut nobis de hac requisitione, petitione, protestatione, quam uobis in his scriptis facimus, publicum instrumentum faceret, quod uos facere, sicut uobis placuit, denegastis, ideo rogamus magistrum Thomasinum notarium imperialem et domini ducis Venetorum ac comunis Ragusii, ut in presencia suprascriptorum testium nobis ex hoc publicum faciat instrumentum. Signum suprascriptorum Sersii et Nichole, qui hoc rogauerunt fieri.

*(Drugi rukopisi).*

† Ego Marchese Rauacholo in Chatara(!) me subscripsi.

† Ego Leonardus de Beneviçino me subscripsi.

† Ego Vgolin de Marcha me subscripsi.

*(Signum not.)*

Ego Thomasinus de Sauere sacri palacii et ducali auctoritate notarius Venetus et comunis Ragusii scriba interfui et rogatus scripsi et roboraui.

*Original na odugoj pergameni u c. kr. držav. arkivu u Beču · Rag. 427 5. — rub. Cattaro 168/5.*

*Wenzel Cod. dipl. Arp. cont IX. 439—440. (nepotpuno). — Rački Listine u Radu I. 139—141. — Ljubić Listine I. 140—141. — Kukuljević Reg. no. 1392.*

## 461.

**1285.**

*Župan Radoslav vraća opatiji topuskoj otok Timpor, što ga je nepravedno uživao.*

Nos Radizlaus comes de Glaas, Vrbaz et Zana memorie commendantes significamus universis quibus expedit presencium per tenorem, quod cum terra, que dicitur insula Tympor sita iuxta fluvium Wen, post obitum ipsius Tympor fratri nostro Dyonisio bano bone memorie et nobis mediantibus instrumentis regalium literarum remansisset, nobisque eandem terram diu per plura tempora possidentibus pacifice et tenentibus, nemini(!) vivencium de nobilibus regni Sclauonie contradicente vel pro ipsa nobis adversante, venerabilis pater frater Jacobus dictus, abbas et conventus ecclesie Toplicensis literas privilegiales domini regis super ipsa terra confectas nobis presentarunt, quarum tenore viso et intellecto, prout vidimus in ipsis literis plenius contineri, considerantes esse illicitum et incongruum, ut terra ecclesie Toplicensis per nos aliqualiter occupetur vel impediatur, reddidimus eandem terram et restituimus ecclesie Toplicensi perpetuo rehabendam et possidendam eo modo, quod nec per nos nec nostros successores seu aliquos de nostra generacione aliqua impeticio, questio seu requisicio pro terra prefata possit fieri contra ecclesiam Toplicensem. In cuius rei testimonium presentes litteras nostras concessimus pendentis sigilli nostri munimine roboratas. Datum . . . . . anno domini MCC octuagesimo quinto.

*Privileg. monaster. B. V. Mariae de Toplica, no. XL.*
*Tkalčić Mon. episc. Zagrab. I. 218. — Kukuljević Jura regni I. 96 — Kukuljević Reg no. 1394.*

## 462.

**1286, 10. januara. U Zagrebu.**

*Pred kaptolom zagrebačkim prodaje župan Andrija svoju zemlju Črešnjevicu županu Petru i Ivanu za 40 maraka.*

Capitulum ecclesie Zagrabiensis omnibus presens scriptum inspecturis salutem in domino. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod comite Andrea iudice curie venerabiles patris domini

episcopi ab una parte, ab altera vero Petro filio Kerstphal tunc comite Zagrabiensi H. bani pro se et Juan fratre suo in nostri presencia personaliter constitutis, idem comes Andreas confessus est, quod quandam terram suam empticiam Cresnyeucha vocatam, sitam inter terras prefati comitis Petri Mo[syn]a nuncupatas, et terras generacionis Dersiuoy, a quibus se eciam ipsam terram fatebatur comparasse, vendidit, tradidit et assignauit ipsis comiti Petro et Juan et per eos ipsorum heredibus heredumque suorum successoribus iure perpetuo possidendam et h[abenda]m cum vtilitatibus et pertinenciis eiusdem terre vniuersis pro quatraginta(!) marcis denariorum Zagrabiensium, quas se dictus comes Andreas ab ipsis comite Petro et Juan dixit plenarie recepisse et habere; assumpnens et obligans se nichilominus ad expediendum eosdem comitem Petrum et Juan ab omni questione ac impeticione, si quam super ipsa terra oriri in posterum per quempiam contingeret, in propriis suis laboribus et expensis In cuius rei memoriam presentes ad instanciam parcium contulimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum quinta feria proxima ante octauas epifanie domini, anno eiusdem millesimo ducentesimo octuagesimo sexto.

*Iz izvornog prijepisa kaptola zagrebačkoga od g 1417 20. septembra. Potonji prijepis u arkivu jugoslavenske akademije u Zagrebu: Diplomata a. 1286.*

## 463.

**1286, 13. januara. U Rimu. 1. marta. U Bariu, i 9. aprila. U Dubrovniku.**

*Dubrovačka općina dokazuje papinskom delegiranom sucu, da nije kriva zatvoru svećenika Barbia.*

In nomine Jesu Christi redemptoris nostri dei eterni. Anno eiusdem natiuitatis millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, indictione quarta decima, die lune, octavo intrante aprili, coram nobili et sapienti uiro domino Michaele Mauroceno ex mandato domini ducis Venecie comiti(!) Ragusino, et iuratis iudicibus suis Andreas Benixe et Lanpridio Bayslaue, presbyter Rogerius de Lupizo presentauit litteras in hac forma: Nobilibus et prudentibus viris comiti, consilio et comuni Ragusii in Christo sibi amicis carissimis Romoaldus miseratione diuina Barinensis et Canusane sedis archiepiscopus, summi pontificis iudex delegatus salutem in domino. Noueritis, nos a sanctissimo patre et domino domino

Honorio summo pontifice recepisse litteras in hac forma: Honorius episcopus seruus seruorum dei uenerabili fratri archiepiscopo Barinensi salutem et apostolicam benedictionem. Conquestus est nobis Barbius de Ragusia presbyter, quod Michael comes, consilium et comune Ragusinum ipsum non absque . . . [manu]um in eum dei timore postposito temmere uiolenta, ausu sacrilego capi fecerunt et carcerali custodie mancipari psumque adhuc sub eadem custodia detinere . . . . . . . . . fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus, si est ita, dictos sacrilegos tam diu appellacione remota excomunicatos publice nunties et facias ab omnibus . . . . . . . euitare, donec dictum presbyterum restituerint pristine libertati. Et huiusmodi sacrilegii precipui patratores cum tuarum testimonio litterarum ad sedem uenerint apostolicam absoluendi, testes autem qui fuerint nominati, si se gratia uel odio uel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam appellatione cessante compellas ueritati testimonium prohibere. Datum Rome apud sanctam Sabinam, idus iannari, pontificatus nostri anno primo. Cum igitur ad executionem prescripti mandati, prout tenemur, etiam procedere intendamus, uolentes, in quantum possumus honori uestro de . . . . . . . . . . nobilitatem et humilitatem uestram rogamus, requirimus et monemus, nichilominus uobis commissa nobis autoritate districcius iniungentes, quatinus statim receptis presentibus ad deum et reuerentiam apostolice sedis habentes respectum, dictum presbyterum Barbium restituatis pristine libertati, eam sibi securitatis tribuendo cautelam, quod ab inimicorum suorum securus insultibus, sanus et incolumis coram uobis se ualeat presentare. Et nichilominus huiusmodi sacrilegii precipuos patratores tamdiu a comunitatis uestre consorciis segregetis, donec ecclesie Romane satisfecerint, conpescant et cum nostrarum testimonio litterarum ad sedem apostolicam processerint absoluendi. Et ecce, quod damus discreto uiro presbytero Rogerio de Lupizo per alias nostras litteras in mandatis, quod si forte premissa facere negaretis, ad hec contra uos procedat secundum commissionis nostre traditam sibi formam; determinacio tamen et sentencia, principalis causa nobis penitus reseruata, si aliquis forte uoluerit dictum presbyterum coram nobis in iudicio conuenire Datum Barri, primo martii, decime quarte inditionis.] Quibus inspectis litteris suprascriptis sequenti die, scilicet die Martis, nono mensis aprilis intrante, in ecclesia sancte Marie de Ragusio, predictus dominus Michael comes Ragusii fecit maius conscilium(!) ciuitatis predicte per sonitum campanarum more solito congregatum, inuocato etiam et presente uenerabili patre domino Bonauentura de ordine minorum dei gratia archiepiscopo Ragusino, congregatum cum eo capitulum canonicorum, presbyterorum et clericorum suorum, et presentibus fratre Lazaro subpriore, fratre Symone

lectore, fratre Alexandro Teotonico et fratre Andrea omnibus de ordine Predicatorum, et fratre Janino de Jadra, fratre Petro de Rexa, fratre Laurentio Vngaro et fratre Nicola de Ragusio omnibus de ordine minorum, et presente dicto presbytero Rogerio nominato, [predictus] comes per me notarium infrascriptum fecit predictas litteras legi et publicari, ad quas fecit talem responsionem nomine suo et uice et nomine totius comunis et uniuersitatis Ragusii, quod dictum presbyterum Barbium nominatum capi non fecit, nec eum sentenciauit, nec incarcerauit, nec tenet in carceribus custoditum, sicut est omnibus manifestum. Et quod uera sint predicta, in eadem congregatione dictus comes fecit legi et publicari quasdam sententias roboratas et per dictum archiepiscopum latas, tenor quarum et forma talis est: *(Slijedi osuda nadbiskupova od g. 1284. 2. oktobra. Iza te slijedi druga od g. 1284. od 8. decembra.)*

Ego Rogerius de Lupizzo presbyter omnibus predictis interfui, presens me subscripsi.

*(Sign. not.)*.

Ego Azo quondam Jacobi de titulo imperialis aule notarius ac nobilis uiri predicti domini Michaelis Mauroceni nunc comitis Ragusini predictis omnibus interfui et de mandato et auctoritate dicti domini comitis rogatus et specialiter conuocatus scripsi et roboraui bona fide.

*Original u dubrovačkom arkivu; iznad teksta prerezana pismena. — Zbirka saec. XIII.*

## 464.

**1286, 31. januara.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski daruje magistru Fili zemlje oko Vukovara.*

Ladizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in omnium saluatore. Ut donaciones principum perpetua firmitate solidentur, litterarum solent testimoniis communiri; inconcussum quippe permanet, quod regio fuerit patrocinio communitum. Proinde ad vniversorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod nos, cui ex officio suscepti regiminis incumbit metiri merita singulorum et dignis pro meritis respondere, commendabilem fidelitatem et meritoria obsequia magistri Phile filii comitis Thome, que idem in omnibus expedicionibus regni nostri et

specialiter in exercitu nostro generali, quem contra regem Boemie inimicum nostrum capitalem habebamus, ubi eodem rege Boemie intempto(!) diuina gracia annuente felicem sumus uictoriam consecuti, intuentibus nobis se fortune casibus pro fidelitate corone regie inpendenda fideliter exhibuit et inpendit; quasdam terras castri nostri de Wolko, Warasy et Sumug vocatas, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis suis vniuersis, secundum quod idem castrum habuit, tenuit et possedit, eidem magistro Phile et per eum suis heredibus heredumque suorum successoribus, dedimus, donauimus, contulimus atque tradidimus iure perpetuo pacifice et quiete possidendas. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti viri magistri Theodori prepositii Scibiniensis aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno domini M°CC°LXXX° sexto, regni autem nostri anno quinto decimo(!), primo die kalendarum februarii.

*Original u kr. ug. drž. arkivu u Budimpešti M. O. D. L. no. 1192. — Stara sign. N. R. A. fasc. 635. no. 14. Na listini visi jaka svilena pletena uzica crvenkaste i zelene boje, pečata nema. — Na hrptu rukom XIV. vijeka: »Super Warasy et Somogh.*

*Postoji i potvrda ove listine po kralju Andriji od g. 1292. u kr. ug. drž. arkivu u Budimpešti · M. O. D. L no. 1237 Stara sign. N. R. A. fasc. 635. no 15.*

*Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. XII. 444—445.*

## 465.

**1286, 25. februara. U Zadru.**

*Ivan, gradjanin zadarski zalaže Dragoju Ozrinji na tri godine zemlju svoju u Petrčanu.*

In Christi nomine. Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo octuagesimo quinto, indictione quarta decima, die quarto exeunte mensis februarii, Jadre. Temporibus equidem domini Johannis Danduli incliti ducis Venecie, et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Nicolay Justiniani egregii comitis. Ego Johanes filius quondam Jurgii ciuis Jadrensis per hoc presens scriptum fateor, quomodo loco et afficto tibi Dragoyo filio quondam Osrigne totum derrum meum seu terram cum vinea mea posita ad Petriçane; quibus derro seu terre et vinee de trauersa et borea possidet Marinus barberius,

et de quirina est mare; a modo in antea vsque ad tres annos proxime venturos et completos ad habendum, tenendum, laborandum et usufructuandum, ipsos(!) derrum seu terram et vineam ad omnem tuam vtilitatem, comodum et profectum cum tuis heredibus, et ad recipiendum et habendum terraticum de blado, quod ibidem est seminatum in hoc anno presenti; pro affictu autem et nomine affictus ipsorum derri seu terre et vinee cum omnibus suis pertinenciis confessus sum ego dictus Johanes recepisse et habuisse a te prenominato Dragoyo libras quatuordecim denariorum venetorum paruorum pro toto tempore seu termino supradicto. Vnde usque ad ipsum terminum teneor et promitto cum heredibus et successoribus meis dictos derrum seu terram et vineam excallumpniare et defensare tibi tuisque heredibus et successoribus ab omni homine et persona super me et omnia mea bona presencia et futura et super mea bona tam habita quam habenda. Actum est hoc et firmatum coram hiis vocatis et rogatis testibus, scilicet dompno Marco presbitero sancti Stephani, et Michaele diacono de Chripauiça Jadratinis et aliis.

*(Drugi rukopis).*

Ego Barte de Jurislauo examinator manum misi.

Ego Vincencius ecclesie sancti Stephani presbiter et Jaderensis notarius hiis interfui et rogatus ut audiui, scripsi et roboraui.

*(Signum not.)*

*Original u arkivu samostana sv. Marije u Zadru.*

## 466.

**1286, 28. februara. U Trogiru.**

*Grad Trogir ukida u prilog Spljećanima statut, po kojem ne bijaše dozvoljeno gradjanima, da mijenjaju svoje imanje sa strancima.*

In Christi nomine amen. Anno natiuitatis eiusdem millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, die Jouis, vltimo mensis februarii, quarte decime indicionis, temporibus domini L[adislai] dei gracia serenissimi regis Hungarie, venerabilis patris domini G[regorii] dei gracia Traguriensis episcopi, et magnifici viri domini Georgii Traguriensis comitis, ac nobilium virorum dominorum Desse Amblasii, Duymi Domiche et Mathei Luce Mathei Traguriensium iudicum. Cum inter cetera statuta, que in capitulari comunis ciuitatis Tragurii habentur, pateat euidenter per ipsum comune ciuitatis Tragurii statutum et ordinatum esse, quod nullus

ex ciuibus Traguriensibus auderet uel deberet ab aliquo extraneo siue forensi aliqua bona siue possessiones emere uel in cambium siue in donum uel aliquo modo suscipere aliquid de bonis et possessionibus ipsius extranei uel forensis, que essent in ciuitate Traguri uel eius districtu, quod iuri consonum non esse uidetur et sapientum(!) sit in melius reuocare conscilia(!); ideoque predicti iudices Traguri et totum conscilium(!) ciuitatis Traguri unanimiter et concorditer per se suosque successores nomine et pro parte dicti cumunis Traguri dederunt et contulerunt omnibus et singulis ciuibus ciuitatis Spaleti, qui bona aliqua siue possessiones habent in ciuitate uel in districtu ciuitatis Traguri, per hoc presens puplicum(!) instrumentum plenam immo plenissimam uirtutem et liberam potestatem ipsa bona et possessiones omnes uel singulas libere atque quiete, quod non obstante uel preiudicante capitulario siue statuto predicto, absqua aliqua comunis ciuitatis Traguri molestia, impedimento uel contradictione cuiuscumque, uel quibuscumque uoluerit, ut res et bona sua propria vendendi, donandi, pignerandi(!), obligandi, permutandi et suam ex ipsis in perpetuum omnimodam facere uoluntatem. Nec minus predicti iudices et conscilium dederunt, contulerunt et concesserunt omnibus etiam suis ciuibus Traguriensibus, quod non obstante uel preiudicante statuto predicto ciuitatis Traguri, absque aliquo impedimento, molestia uel condictione(!) sibi inde inferenda plenam uirtutem, licenciam habeant et omnimodam potestatem ab omnibus ciuibus Spalatensibus ipsorum bona et possessiones, que et quas habent in ciuitate uel in districtu ciuitatis Tragurii emendi, permutandi, in donum et pignus suscipiendi et omne genus contractus cum eis et de ipsis bonis et rebus cum dictis ciuibus Spaleti faciendi, qui(!) de utriusque parcium uoluntate placuerit faciendum. Et ut predicta omnia et singula robur optineant firmitatis, que ipsi iudices et conscilium per se suosque successores nomine dicti comunis per hoc puplicum instrumentum firma et rata habere atque tenere promiserunt, et non contrafacere uel uenire se obligarunt cum bonorum sepedicti comunis Traguri obligatione. Actum in camera comunis presentibus domino Johanicha Casocti, domino Luca Mathei et aliis, ac domino Dessa Duymi examinatore.

Ego Dessa Duymi examinator conscius examinaui.

Ego Sanctorus Traguriensis iuratus et confirmatus notarius scripsi hoc instrumentum, quia hiis omnibus rogatus interfui et meo signo signaui.

*(Signum notarii).*

*Original u arkivu kaptola u Spljetu a. 1286. (XVI. 1. 51.)*

*Lucius Mem. di Traù. 119. spominje je. — Wenzel Cod. dipl. Arp IV. 291—293. — Ljubić Mon slav. merid. I. 143 — Kukuljević Reg no. 1395.*

## 467.

**1286, 11. marta. U Rimu.**

*Honorije IV. papa ponavlja bullu Martina IV., da nadbiskup dubrovački može zgodne osobe imenovati i posvetiti za biskupe trebinjskoga i stonskoga.*

Honorius episcopus seruus seruorum dei, venerabili fratri [Bonauenture] archiepiscopo Ragusino salutem et apostolicam benedictionem. Lecta coram nobis tua petitio continebat, quod dudum ad aures felicis recordationis Martini pape IIII. predecessoris nostri pervento, quod Tribuniensis et Stagniensis ecclesie cathedrales tue provincie, metropolitico tibi iure subiecte, tanto tempore pastoribus iam vacarunt, quod earum provisio est ad sedem apostolicam secundum generalis statuta concilii legitime devoluta, predecessor ipse dispendiis, que ex diutina vacatione imposterum ecclesie predicte possent incurrere, per sue providentie studium intendens occurrere, ac gerens de circumspectione tua in domino fiduciam specialem, tibi per suas dedit litteras in mandatis, ut si tibi constaret ita esse, predictis ecclesiis, singulis videlicet singulas personas ydoneas de prudentum et religiosorum virorum consilio ea vice auctoritate sua preficeres in episcopos et pastores, eisque ascitis tibi tribus vel duobus episcopis munus consecrationis impenderes, ac faceres ipsis a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Verum quia predecessor ipse, antequam predicte eius littere tibi presentate fuissent, debitum nature persolvit, nobis humiliter supplicasti, ut, ne ex diutina vacatione prefate ecclesie dispendia patiantur, providere super hoc misericorditer curaremus. Nos itaque, quibus ex iniuncto nobis apostolatus officio sollicitudo ecclesiarum imminet, dispendiis huiusmodi occurrere cupientes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus super premissis auctoritate nostra procedas iuxta predictarum eiusdem predecessoris nostri continentiam litterarum. Datum Rome apud sanctam Sabinam, V. idus martii, anno primo.

*Iz rukopisa »Bullarium Ragusinum« 446. u kr. zem arkivu u Zagrebu. Bilješka: »Pendet bulla plumbea Honorii IV.«*

*Farlati Illyr. sac. VI. 293. — Theiner Mon. Slav. Mer. I. 103. — Potthast Reg. pontif. no. 22,392 — Kukuljević Reg. no. 1385.*

## 468.

**1286, 24. marta.**

*Bilješka.*

Comes Purchia nomine bani scribit, ne episcopus vadat Romam, et ob id mittuntur ei ambasciatores. De futuro habeatur regimen, quod sit de foris.

*Notae Joannis Lucii. Starine. XIII. 217.*

## 469.

**1286, 29. marta. U Trogiru.**

*Grgur biskup trogirski sa svojim kaptolom stvaraju odluku, da ne može biti za svećenika redjen sin nezakoniti ili od službinskih roditelja.*

Frater Gregorius miseratione diuina episcopus Traguriensis vniuersis in Iesu Christo filiis presentes licteras(!) inspecturis salutem et gloriam paradisi. Quoniam pastoralis cura regiminis hoc deposcit, ut statera veri simus libraminis et iustitie sectatores, ideo ad ipsius obseruantiam opere, nisibus et doctrina assurgimus incunctanter, ne immemores illius prophete oraculi diceremus a posteris, per quod dicitur: iustitiam tuam non abscondi in corde meo, et iurium legis veteris sanxit auctoritas. Ne ianue aule dei paterent illis, qui non gauderent thori legitimi iunctione, vt sunt spurii, manzeres et ceteri nothi, qui omnes culpa interueniente parentum prohibentur sanctione sanctorum canonum diuinis ministeriis presentari. Igitur pati subpeditari ecclesiam sanctam dei culpa est et reprehensionis immanis, cum ea, que ingenuitate vivere debeat, exponatur morsibus et tractatibus immundorum, siquidem emergunt inde despectiones rerum nobilium et sanctarum, et ad vilitatem vergunt, que pretio extiterant valde cara; hinc ergo vtriusque legis sanctio debet non immerito obseruari, obseruantia cuius pro merito gratiam hinc meretur et gloriam in patria supernorum. Die autem Veneris, tertio exeunte martio, cum de voluntate domini Geruasii archidiaconi et canonicorum omnium ibidem presentium a nobis in nostro palatio coram negotia tractarentur, nobis ab eisdem nostris canonicis petitio est porrecta, que in se fomentum iustitie continebat et obseruantiam ecclesiastice discipline,

vt scilicet illegitime natis et conditionis seruilis nunquam admitteretur in clericum et canonicum ecclesie prelibate, et quod nullus promoueretur ad sacros, quam diu est ad pedes, iura super hoc introducentes et consuetudinem nostre metropolis longis temporibus obseruatam; petitioni quorum iuribus intenti duximus adnuendum, vt dignitas ecclesie conseruetur, et ouilis dominici ager in amplam segetem pulularet; ea propter ipsorum voluntates singulorum in omnem approbamus et approbando confirmamus, ordinamus, volumus et precipiendo mandamus, vt de cetero tales non recipiantur in clericos et canonicos ecclesie cathedralis, nisi sint ingenuitate prediti et thori maritalis babeant fulcimentum et a noxa seruitutis sint penitus alieni. De illis autem, qui ad pedes sunt, per omnia obseruetur mos et consuetudo ecclesie Spalatensis; si quis autem extra hanc constitutionem, ordinationem, voluntatem communem et confirmationem nostram presumpserit attentare, indignationem dei omnipotentis, beatorum apostolorum Petri et Pauli, nec non beati Laurentii martiris et beati Joannis confessoris, quorum patrociniis communimur, et nostram se nouerit incursurum, et communione canonicorum omnium per menses quatuor fiat penitus alienus. Et vt carta presentis decreti robur obtineat firmitatis, futuris faciat plenam fidem, subscriptionibus canonicorum et omnium et sigillis nostris et eiusdem capituli duximus muniendum. Actum et celebratum est hoc in episcopali palacio, sub anno domini 1286., indictione 14., die et mense quo supra; quam ego dompnus Stephanus eiusdem ecclesie canonicus de mandato domini episcopi et voluntate canonicorum omnium scripsi, et meum solitum sigillum apposui, et placet.

† Ego Geruasius archidiaconus consentio.

Ego Kasoctus primicerius consentio.

Ego Marinus canonicus consentio.

Ego Michat presbiter.

† Ego Kalen. de . . . .

† Ego diaconus Bogdanus canonicus consentio.

Ego diaconus Michael canonicus consentio.

Ego Dragus canonicus consentio aliena manu me scripsi.

Ego Kasarezza canonicus consentio, aliena manu me scripsi.

Ego Natalis nesciens scribere canonicus consentio et de voluntate manu Stephani canonici scripsi.

*Original ove odluke prepisasmo iz kaptolskoga arkiva u Trogiru, ali se je prijepis nekud medju našim gradivom Codexa zametnuo, zato priopćujemo po Luciju Memorie di Traù 138—139 — Farlati Illyricum sacrum IV. 360—361. — Fejér Cod. dipl. Hung VII. 4, 193—19). — Kukuljević Reg. no. 1396.*

## 470.

**1286, 5. aprila. U Zagrebu.**

*Pred kaptolom zagrebačkim Babonići kupuju neke zemlje.*

Capitulum ecclesie Zagrabiensis omnibus quibus expedit presens scriptum inspecturis salutem in domino. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod magistro Petro notario Radozlai comitis filii Stephani, pro eodem domino suo a parte una, et Vechedrag filio Crisan de Radcha ab altera coram nobis personaliter constitutis, idem Vechedrag dixit et confessus est quandam particulam terre sue hereditarie ibidem in Radcha existentem cum omnibus utilitatibus et pertinentiis suis universis eidem Radozlao comiti et per eum suis heredibus heredumque suorum successoribus vendidisse et tradidisse pro triginta quinque marcis denariorum zagrabiensium, quinque pensas pro marca qualibet computando, iure perpetuo possidendam, tenendam pariterque et habendam, quas se dixit ab eodem Radozlao comite habuisse, numerasse et plenarie recepisse, assumpmens et obligans tam pro se, quam pro suis heredibus expeditum predictum comitem Radozlaum et suos successores ab omni questione, quam ratione dicte particule terre contra eosdem movere contingeret in futurum, propriis laboribus et expensis Mete autem prescripte terre sicut partes nobis retulerunt, tali ordine distinguntur, videlicet prima meta incipit a parte orientali circa rivulum Pulsinak vocatum, ubi idem rivulus cadit in fluvium Bescha, abinde transeundo infra predictum fluvium Bescha in bono spatio eundo exit de ipso fluvio ad partem dextram ad planitiem, ubi meta terrea a parte sinistra est erecta secus quandam viam, ab illuc eundo per ipsam viam venit ad semitam, que semita tendet(!) sub latere montis Videna vocati ad orientem circa antiquam viam, ubi a parte sinistra secus dictam viam existens meta est erecta, et a prefata meta transitur in antiqua via, per quam etiam viam vadit ad partem orientalem, supra eundo per bonum spatium venit ad quandam planitiem, deinde eundo per viam supra usque od monticulum, ubi est vinea Netuorsc, deinde venit inferius in vallem ad quendam rivulum et per eundem rivulum venit superius per vallem ad arborem piri, de qua per quandam antiquam viam eundo venit ad arborem tulfa vocatam, a qua per vallem in antiqua via venit inferius ad fontem Rascha vocatum, et per eundem fontem vadit superius versus partem aquilonis usque ad ecclesiam sancte crucis, deinde egreditur ad partem dextram superius ad montem et venit ad lapidem rufum, ubi meta terre Petri est et terre Thoplicensis, sed tamen semper

ad dexteram partem terra predicti comitis Radozlai usque metas terre nobilium de genere Prascheua tenditur et sic terminantur in prefatis metis Petri et Thoplicensis [terre]. Astitit etiam Netuorsa personaliter, qui huiusmodi venditioni suum prebuit consensum et assensum. In cuius memoriam et certitudinem presentes ad instantiam et petitionem partium concessimus literas sigillo nostro consignatas. Datum feria sexta proxima ante dominicam ramispalmarum, anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo sexto.

*Thallóczy és Barabás Codex com. de Blagay 51—52. no. 24.*

## 471.

**1286, 15. aprila.**

*Trogirani daju punomoć za pregovore s Venecijom.*

Banus petit, ut commune Tragurii faciat fideuissionem communi Venetiarum occasione predationis et concordie faciende inter ambassiatores a domino duce et commune Venetiarum pro summa quinque M. librarum Placuit quasi toti consilo, quod dicta fideuissio fiat.

*Notae Joannis Lucii. Starine XIII. 217.*

## 472.

**1286, 6. juna. U Dujnu.**

*Uglavljuje se ženidba izmedju hercega hrvatskoga Andrije i Klare kćeri kneza goričkoga Alberta.*

In nomine Christi amen. Anno natiuitatis[1] millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, indiccione quarta decima, in ecclesia sancti Johannis de Duyno, die sexto intrante iunio, presentibus dominis Wolrico de Riffenbergh, Andrea de Peunia, Gebardo de Eberstayn, Johanne Geno, Andrea Grusoni et Bertholameo Gritti, Petro Mangono de Forliuio, et aliis testibus conuocatis atque rogatis. Cum humane fragilitatis condicio sit mobilis ad instabilitatem, necesse est gesta hominum utilia scripture testimonio confirmari. Nouerint igitur uniuersi, quod cum inter virum illustrem dominum Albertum comitem Goricie ex una parte, et virum

[1] Riječ »eiusdem«, koja bi slijediti imala, manjka.

egregium dominum Albertinum Mauroceno de Venecia, nuncium, actorem et procuratorem pro illustri domino Andrea dei gracia duce Sclauonie, nepote olim serenissimi domini Andree regis Hungarie, sicut patet publico procuracionis instrumento, scripto manu Placiti condam Bertholamei(!) imperiali auctoritate notarii, anno domini nostri Jesu Christi a nauitate eiusdem millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, indiccione quartadécima, die ultimo mensis maii ex altera, matrimonium contrahi sit promissum, videlicet quod idem dominus comes Albertus sua spontanea uoluntate promisit fide manuali in manibus dicti domini Albertini dare filiam suam dominam Claram in vxorem prenominato illustri domino Andree dei gracia duci tocius Sclauonie, secundum quod decebit utrumque, et idem dominus Albertinus auunculus eiusdem domini ducis nomine ipsius dictam dominam Claram filiam prefati domini comitis nominato domino Andree nepoti suo acceptauit accipere in vxorem; et cum predicti domini dux et comes simul conuenerint, predictum matrimonium per corporale sacramentum tactis sacrosanctis euangeliis debent et tenentur perducere ad effectum. Ad hec quidem stabilienda et effectui demandanda de uoluntate parcium predictarum nobiles viri domini Hugo de Duyno et Jacobus de Ragonia pro parte domini comitis predicti in animam ipsius comitis, et egregii viri domin Albertinus Mauroceno supradictus et Marinus Pasqualiquo pro parte predicti domini ducis in animam ipsius domini ducis super altare predicti sancti Johannis tactis cruce et libro ad sancta dei euangelia iurauerunt, omnia que dicta sunt effectui mancipare, et eciam in animabus eorum iurauerunt dare opem et operam pro posse, quod predictum matrimonium legittime consumetur, et ad quorum euidenciam et maiorem stabilitatem predictus dominus Albertus comes et dictus dominus Albertinus Mauroceno uice, nomine et loco predicti domini ducis fecerunt presens instrumentum sigillorum suorum pendencium munimine roborari. Et huius tenoris instrumenta duo sunt, quorum parcium predictarum quelibet habet vnum, confecta per me subscriptum notarium et subscriptum per Ottolinum de Justinopoli notarium et subscriptum per me Marcum Siboto infrascriptum notarium.

*(Signum not.)*.

Ego Marcus Siboto imperiali auctoritate notarius et ducalis aule Venecie scriba predictis omnibus interfui et rogatus scripsi ac meo signo solito roboraui.

*(Signum not.)*.

Ego Otolinus Justinopolitanus imperiali auctoritate notarius hiis interfui et rogatus scribere me subscripsi.

*Original sa dva pečata u c. kr. tajnom arkivu u Beču. — Firnhaber u Arkivu bečke akademije II. p. 201. — Fejér Cod. dipl. Hung. VII 2. 111—113. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. IV. 285—286. — Kukuljević Reg. no. 1366. (1284.) i 1398. (1286.).*

## 473.

**1286, 9. juna. U Zadru.**

*Presuda u parnici zbog nekog zida i ulaza izmedju samostana sv. Nikole, Dominike udove Radovana i Bogdane udove Radina.*

In nomine domini amen. Anno incarnationis eius millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, mensis iunii, die nono intrante , indictione quartadecima, Jadre. Temporibus equidem domini Johannis Danduli incliti ducis Venecie, et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Nicolai Justiniani egregii comitis. Coram nobis Barthe Jurislaui de Steppe, Petrogna Pappi et Matheo de Nasce iudicibus examinatoribus, venerunt Bogdanus Lonuregne aduocatus monasterii sancti Nycalai de Jadra ordinis sancte Clare, pro parte, nomine ac vice eiusdem monasterii sancti Nycolai, et Damianus Barthe de Slurado, olym curie Jadrensis aduocatus, nomine ac vice Dyminche vxoris olym Radouani, matris Nycolai Buffoni, conquerentes aduersus Bogdanam vxorem olym Radini et matrem Prodde Macarune, et dicentes: Tu non bene facis, quod cum balatorio et scalis domus tue inpedis nobis curiam, anditum seu ambitum communem. Non enim debemus habere anditum per sub balatorium tuum et scalas tuas. Cui Raynerius Varicasse olym eiusdem curie aduocatus, pro parte et nomine dicte Bogdane respondit Non libeat deo hoc uerum esse quod asseritis, quod cum balatorio et scalis domus mee inpediam curiam, anditum uel ambitum communem, ymo ipsum balatorium et scale domus mee sic stare debent, quomodo per cartam emptionis m[ee] possum habere balatorium et scalas et possum incumbere seu adherere muro trauersali, qui est communis inter me et Drag[osci]um Tollisceuig. Et vos per sub balatorium meum et per porticum domus mee anditum seu ambitum habere debetis. Nos uero iudices examinatores memorati premissa omnia et plura alia audientes et intelligentes partis vtriusque rationes, allegationes, oppositiones et responsiones, et visis, lectis et intellectis instrumentis hinc inde intro-

ductis, et auditis etiam testibus partium predictarum inuenimus, quod tota illa curia cum domibus suprascripte Dyminche, Bogdane dictique monasterii ab vno eodemque patrono descenderant, et quod ipsa Bogdana per cartam sue emptionis facere poterat et de iure habere debebat balatorium cum scalis, et poterat adherere muro predicto. Et reperimus etiam dictum murum esse communem inter suprascriptum Dragoscium pro vna parte, et suprascriptam Dymincham, dictumque monasterium sancti Nycolai et prefatam Bogdanam pro parte alia. Sicque nos prefati iudices examinatores vnanimiter et concorditer [per sententi]am diffinitiuam ipsum murum inter partes predictas adiudicauimus iure perpetuo esse communem, inchoando ab vno . . . . ine ipsius muri, quod est circa duo brachia in austro a pede vnius ficus, que crescit in curia Dragoscii suprascripti et [ita] discurrendo versus boream, saluo quod si dictum monasterium uel eius sorores siue moniales adherere voluerint ipsi muro, silicet muro nouo per suprascriptam Dymincham laborato uel si voluerint super eum laborare, prius pro parte sua muri noui dicte Dyminche suisque heredibus et successoribus refundere et satisfacere teneantur, adiudicantes per eandem sententiam finitiuam, quod dictum monasterium de suprascripta cu[ria] . . . . . . . tantum capere et cohoperire valeat, quantum capit et comprehendit per latitudinem domus sua, que olym fuit quondam Bratoslaui Storarii et quondam Bogdane coniugum. Et sic discurrendo uersus trauersam ad suprascriptum murum communem non tamen dictum monasterium uel eius sorores seu moniales impedire valeant anditum, ingressum uel egressum supradicte Dyminche, sed dimittant sibi anditum per sub porticum suam seu balatorium suum amplum et spatiosum, sicut est ampla porticus Bogdane predicte. Et sic super huius nostre sentencie deffinitionem dedimus et constituimus in pristaldum Cerne Dyminci Pilosi, nunc curie Jadrensis tribunum ad omnia ac singula premissa, taliter percomplendaque nempe omnia ac singula prenotata. Ego dictus Cerne auctoritate officii mihi comissi super animam meam testificor uera esse presentibus hiis vocatis et rogatis testibus, videlicet Marino a Columpna presbitero sancte Anastasie, Beneuignuto Alexii et Dobre Pauli Drege

*(Slijede različiti rukopisi).*

Ego Barte de Jurislauo examinator manum misi.
Ego Petrogna de Papo examinator manum meam misi.
† Ego Matheus de Nassce examinator manum misi.

Ego Vicentius ecclesie sancte Marie maioris clericus et Jadrensis notarius predictis interfui rogatus, ut audiui hanc cartam scripsi, roboraui et signo solito signaui.

*(Signum notarii).*

*Original u gubern. arkivu u Zadru, odio samostana sv. Nikole no. 70. U sredini i na lijevom rubu ponešto oštećena.*

## 474.

**1286, 14. jula. U Dubrovniku.**

*Radi se o darovanju i zamjeni zemlje na Šipnju.*

Nos testes subvocati quod nostro testimonio actum est hic a nobis vere testatur. De transacto mense novembri diaconus Johanes Pasqualis filius cum matre sua Gradi voluntate sororis sue Prudove et Johanis cognati sui per notarium interrogatis, domine Miroslave abbatisse monasterii sancte Marie de Castello sic allocuti sunt dicentes: Domina abbatissa, quia multa bona de te recognoscimus, terra nostra, quam in insula Jupane habemus pro requie nostra et nostrorum defunctorum, pro elemosina et donatione hic uestro monasterio eam donamus. Etiam et terciam partem terre mei cognati, quam a Donato meo consobrino emit, ut perpetuo deo et vestra cum oratione vobis et monasterio vestro habeatur ullius sine clamatione sub districtione anathematis. Locutiones quorum domina Marislava(!) abbatissa audiens dixit ad ipsos. Bonum quod ex me vobis actum fore si uixero vobis augmentabitur pro ista donatione vobis . . . . . navem . . . . . . . . vobis in pignore habui . . . . . . ancila aureum dono vestrorum defunctorum in terra in mari . . . . . . dispono. Tamen magis ad confirmationem vobiscum cambium facio de terra posita ad montem acutum in Gravoso, do vobis soldum unum de terra et triginta duos perperos et sic vestram accipio elemosinam et donationem. De quibus solidis diaconus Johanes vivens scedecim(!) perperos manu sua recepit et medium, Johanis Dobrani decem et medium, et post mortem diaconi Johanis Gradi sue filie quinque perperos acceperunt per manum notarii, ex quibus quatuor clericis sancte Marie dati et unum patri spiritali Petro Laurentio de Roma. Sic de XXXII. perperis secundum factionem cambii de terra paccati. Quem solidum de terra domina abbatissa supra cambio dederat, quia diaconus Johanes in testamento unicum monasterio perperum pro sua parte dare dixit. Mater quoque et soror monasterio sancte Marie dederunt pro

anima eius. Hi sunt testes. Ego presbyter Sylvester interfui. Ego Yvario de Slavi in facto interfui, et ego diaconus Marinus et comunis notarius, quia in cunctis factis a principio usque in finem interfui, scriptor sum et testis.

*Mattei Memorie storiche su Ragusa. Rukopis u knjižnici Male braće dubrovačke no. 416 (stari br. 267.) Tom III. 1[illegible].*

## 475.

**1286, 17. jula. U Dubrovniku.**

*Pred kneževim sudom ustanovljuje se prodaja baštine.*

Die XVII. iulii, coram nobili viro domino Johanne Georgio comite Ragusii, et iuratis iudicibus omnibus quinque, videlicet Dimitrio de Menze, Andrea Benessa, Fusco Binzole, Michaele de Cluno et Vrsacio de Viliarico. C. Vitalis Binzole aduocatus heredum Symeonis de Cerneca comparuit dicens, quod in testamento facto per Calendam de Cernecha continetur, quod Vngara vxor eius habeat potestatem uendendi possessiones dicti Calende cui plus dare uoluerit. Et dicta Vngara sicut ei placuit et non secundum formam dicti testamenti uendidit possessiones dicti Calende nepotibus et parentibus suis priuate; et consuetudo est Ragusii, quod possessiones, que debent uendi cui plus dare uoluerit, debent publice incantari. Vnde cum dicte possessiones non fuerint uendite, ordinate neque incantate, peciit idem Vitalis pro dictis heredibus dicti Symeonis iudicari per sentenciam, quod uendiciones de dictis possessionibus facte debeant reuocari. Ad que dicta Vngara per suum aduocatum Sersium Clementis respondit dicens: quod in testamento dicti Calende non continetur, quod dicte possessiones debeant uendi ad incantum, sed quod debeant uendi cui plus dare uoluerit, et ipsa diligenter inquisiuit et inquiri fecit per homines Ragusii, qui consueuerunt emere possessiones, et non inuenit aliquem, qui tantum uellet dare, quantum illi, qui emerunt eas, quod ea libenter uendidisset eas pro maiori precio, si potuisset, et ideo petiit absolui a dicta peticione prenominati Vitalis pro dictis heredibus Symeonis supradicti. Ex altera autem parte Nichola de Crossio pro fratre suo Johanne et pro se et pro Jacobo de Crossio ibidem presentibus, qui emerunt dictas possessiones, dixit, quod ipsa Vngara uendidit dictis Johanni et Nichole et Jacobo palacium, quod fuit dicti Calende, et predicto Johanni vineam de Juppana secundum formam testamenti ipsius Calende et secundum consuetudinem Ragusii, tamen honore domini comitis et sue curie et honore dicte Vngare et suo, ut

omnis mala suspicio tollatur ex toto, si est aliqua persona, que uelit dare plus in dictis possessionibus, ueniat et dicat, quod ipsi sunt parati audire. Quapropter dominus comes et iudices sub inquisita et scita uoluntate emptorum predictorum dixerunt per sentenciam, quod dicte possessiones debeant preconizari, quod si est aliqua persona, que uelit dare plus in dictis possessionibus compareat coram domino comite et sua curia usque ad VIII dies. Et si nullus plus dare uolens comparuerit, uendiciones facte de dictis possessionibus debeant a dicto termino in antea firme esse. Et Pouerscus preco comunis de mandato prenominati domini comitis cum uoluntate iudicum predictorum publica uoce preconizauit secundum formam sentencie suprascripte, quod palacium predictum cum camara et suis pertinenciis fuit uenditum pro mille yperperis, et dicta vinea fuit uendita pro quadri[n]gentis yperperis.

*Diversa cancellariae 1275. U dubrovačkom arkivu.*

*Premda je knjiga izvorno označena sa »1275« opet unutra teku listine i iz potonje dobe. Ova primjetba vrijedi i za više prijašnjih listina.*

## 476.

**1286. Prije 1. augusta.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski potvrdjuje svoju vlastitu darovnicu (od godine 1280. 11. novembra) imanja Ibran u prilog župana Sevrida.*

Ladizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie. Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex omnibus presentem paginam inspecturis salutem in salutis largitore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod comes Seueridus filius Marcelli fidelis noster ad nostram accedens presenciam exibuit nobis patentes litteras nostras super donacione cuiusdam terre Sebastiani fili Alberti Ibran et Kusmeteluke uocatarum per nos sibi dudum traditas et collatas, petens a nobis cum instancia ut donacionem ipsam ratam habere et easdem litteras nostras sub impressione noui sigilli nostri regalis, quod de prelatorum et baronum nostrorum consilio pro melioracione et reformacione status regni nostri fecimus innouari, nostro dignaremur priuilegio de benignitate regia confirmare. Quarum quidem litterarum tenor talis est: *(Slijedi listina kralja Ladislava od g. 1280. 11. novembra.)* ¡Nos igitur in generali congregacione regni nostri in Rakus celebrata, habito prelatorum et baronum nostrorum consilio et assensu donacionem nostram de prenotata terra Ibran dicto comiti Seuerido per nos factam

iustam esse et legitimam attendentes, eandem terram iuxta formam prioris donacionis nostre eidem comiti Seuerido et per eum suis heredibus heredumque suorum successoribus de plenitudine nostre gracie reliquimus cum suis vtilitatibus et pertinenciis vniuersis perpetuo pacifice possidendam, prenotatas litteras nostras de verbo ad verbum insertas presentibus auctoritate presencium confirmando, volentes, ut presens nostra ratihabicio et confirmacio prioris donacionis nostre perpetuum sit munimen. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus litteras duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis patris Thome dei gracia episcopi Wachiensis aule nostre cancellarii dilecti et fidelis nostri, anno domini MCC⁰LXXX⁰ sexto, regni autem nostri anno quarto decimo.

*Original u arkivu grofa Draškovića u Trakošćanu. fasc. 12., no. 2. — Na listini visi svilena vrvca zelene, bijele i ljubičaste boje; pečata nema. — Postoji i prijepis ove listine po kaptolu kujskom potvrdjen po kralju Andriji III. g. 1294 3. aprila u istom arkivu fasc. 12., no. 8.*

*Fejér Cod. dipl. Hung., 3, 317. štampao po rukopisu Kaprinayevom. — Cod. dipl. patrius. VI. 318—320. no. 231.*

## 477.

**1286, 23. augusta. U Spljetu.**

*Pred sucima spljetskim dobiva parnicu samostan sv. Benedikta radi nekih zemalja.*

In nomine domini nostri Jesu Christi. Anno a nativitate eiusdem millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, indiccione quarta decima, Spaleti, die nona exeunte augusto, regnante domino nostro Ladislao serenissimo rege Hungarie. Temporibus domini Johanis venerabilis archiepiscopi Spalatensis, domini Mladeni filii quondam comitis Stepconis de Birbeno, illustris comitis domini Domaldi Zadulini de Jadria egregio Spalatensium potestate, ac dominorum Petri Leonardi, Leonis Cazotte et Thome Duscize iudicum. Coram nobis Domaldo Zadulino potestate civitatis Spaleti, Petro Leonardi, Leono Cazocte(!) et Thoma Dusize(!) iudicibus supradictis civitatis eiusdem questio exorta est et diutius uentilata inter Peruoslaum Dabralem ex una parte agentem, et dominam Stanam abbatissam monasterii sancti Benedicti pro se et ipso suo monasterio ex altera respondentem. Que quidem questio talis est. Coram uobis domino Domaldo Zadulino potestate civitatis, Petro Leonardi, Leono Cazocte et Thoma Duscize civitatis eiusdem iudicibus proponit et agit Peruoslaus

Dabrale contra dominam Stanam abbatissam monasterii sancti Benedicti et contra ipsum monasterium, qui tenent et posident duas terras positas in Gradinico, quarum una est iuxta terram eiusdem Peruoslai et iuxta terram Milcii sartoris, et alia est supra secus ripam supra terra eiusdem Milcii, quas terras dicit ipse Peruoslaus sibi de iure pertinere. Quare petit sibi dictam dominam abbatissam pro dicto monasterio sancti Benedicti et ipsum monasterium ad restitutionem et liberam relaxationem dictarum terrarum sententialiter condempnari. Que domina abbatissa pro se et suo dicto monasterio dicte petitioni respondens dicit, se uel ipsum monasterium non teneri ad predicta aliquatenus respondere secundum formam statuti ciuitatis Spaleti, quoniam alie abbatisse, que ipsam in ipso monasterio precesserant et ipsa abbatissa pro ipso monasterio et ipsum monasterium quiete tenuerant et posederant terras predictas in petitione contentas fere annis quinquaginta et etiam de ipsis terris pastinauerant, quod probatur pro ipso monasterio per eandem abbatissam et per monachas ipsius monasterii, et insuper ad ipsius monasterii iuris probationem introduxit montanum ipsius monasterii et quoddam instrumentum de testimonio presbiteri Cernotte, qualiter ipse presbiter Cernotta dederat dictas terras prefato monasterio sancti Benedicti. Contra que dictus Peruoslaus allegando dicit, dictum montanum nullius esse ualoris neque fore montanum, quoniam manu publica notarii factum non est, nec eciam secundum modum montanorum de aliis monasteriis, cumque autem super huiusmodi questione per utramque partem hinc inde plurima introducta veniunt et allegata, tandem uero dictus Peruoslaus sentenciam non expectans per nos ferendam, sua propria et spontanea uoluntate dedit se sacramentis dicte domine Stane abbatisse et monaharum eius, uidelicet. Dunnaue, Vgrazze, Dollazze et Marie, que iurarent, quod dictum monasterium sancti Benedicti tenuerant et possederant, tenebat et possidebat supradictas terras in petitione ipsius Peruoslai contentas, occasione et ui dicti montani et presbiteri Cernotte et non occasione et virtute testimonii Duymi de Cernecha, et si iurarent, exinde in perpetuum dictum monasterium haberet ipsas terras liberas et quietas, que vero abbatissa et eius monache memorate ipsum in omnibus iuramentum et sacramentum fecerunt secundum formam predictam sibi per dictum Peruoslaum datam, coram ipso Peruoslao et coram Simeone Martini Symeonis, qui per nos potestatem et iudices supradictos ad ipsa suscipienda iuramenta erat in pristaldum constitutus. Et sic ipsum monasterium sancti Benedicti obtinuit terras predictas. Actum in lozza comunis presentibus Leonardo Rizzi, Lucerano Dole et aliis Ego Symon Martini predictus pristaldus de mandato domini potestatis in eius curia hanc cartam examinavi.

*

Ego magister Fiticillus Anconitanus imperiali auctoritate notarius et nunc autem notarius civitatis Spaleti hiis interfui et a supradictis dominis potestate et iudicibus rogatus et a dicto pristaldo audiens, ipsorum potestatis ac iudicum licentia et mandato scripsi et roboraui.

*(Signum not.).*

*Original u arkivu samostana sv. Marije u Zadru.*

## 478.

**1286, 19. septembra. U Zadru.**

*Nikola Justinijan knez zadarski prodaje u ime občine vinograd u Cerodolu Dobrači udovi Simona.*

In Christi nomine. Anno incarnacionis eius millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, mense septembri die duodecimo exeunte, indicione quarta decima, Jadre. Temporibus domini Johannis Danduli incliti ducis Venecie, et magistri Laurencii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Nicolay Justini egregii comitis. Nos Nicolaus Justino comes Jadre una cum nobilibus viris Jacobo Barrocio et Andrea Mauroceno consiliariis nostris, ac iudicibus nostris Jacobo Zadulino, Blasio Miche de Soppe et Francisco Lampredii de Nicola per nos nostrosque successores nomine ac uice comunis Jadre, plenam et irreuocabilem securitatem facimus tibi Dobraçe relicte Symonis piscenarii et tuis heredibus et successoribus de sex gognais de vinea, quos cepisti et habes in Zerodol in terra comunis Jadre iuxta Bogdanum et Mariam de Vitco et uiam publicam. Nunc autem quia bene et plenarie comuni Jadre libras decem et octo, prout tecum ad concordiam tua uoluntate gratuita deuenimus, persoluisti, a nobis nostrisque successoribus et a predicto comuni cum tuis heredibus et successoribus de predictis gognays(!) libera et secura a modo in perpetuum maneas pariter et quieta, factura exinde tamquam de re propria tuam in omnibus libere uoluntatem. Quos quidem gognayos tibi et tuis heredibus et successoribus ab omni homine excalumpniare et defensare teneamur super omnibus bonis comunis Jadre. Actum est hoc et firmatum coram hiis uocatis et rogatis testibus, scilicet: Yuano de Cernugo et Michaele de Micusso.

*(Drugi rukopis).*

† Ego Maurus Grisogoni de Mauro examinator manum misi.

Ego Vitus Jadrensis archidiaconus et notarius interfui rogatus, ut audiui hanc cartam scripsi, roboraui et signo consueto signaui.

*(Monogram not.)*

*Original u gubern. arkivu u Zadru, odio samostana sv. Krševana caps. XVII. masso S. no. 27.*

## 479.

**1286, 19. septembra. U Zadru.**

*Općina zadarska prodaje Dominici udovi Martina Tarite zemlju u Ozrinju.*

In Christi nomine Anno incarnationis eius millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, mense septembris die duodecimo exeunte, indictione quartadecima, Jadre. Temporibus domini Johannis Danduli incliti ducis Venecie, et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Nicolay Justiniani egregii comitis. Nos Nicolaus Justinianus comes Jadre, una cum nobilibus uiris Jacobo Barrocio et Andrea Mauroceno consiliarius nostris, ac iudicibus nostris Jacobo Zadulino, Blasio Miche de Soppe et Francisco Lampridii de Nicola per nos nostrosque succes sores nomine ac uice communis Jadre plenam et integram securitatem facimus tibi Diminche relicte Martini Tarite et tuis heredibus et successoribus de duobus gognays inter vineam et terram, quos habes in terra communis Jadre in Osrigno prope Jacobinam et uiam publicam. Nunc autem quia bene et plenarie communi Jadre tres libras, prout tecum ad concordiam tua uoluntate gratuita deuenimus, persoluisti, a nobis nostrisque successoribus et a predicto communi cum tuis heredibus et successoribus de dictis gognays libera et secura in perpetuum a modo maneas pariter et quieta, factura exinde tamquam de re propria tuam in omnibus libere uoluntatem Quos quidem gognayos tibi et tuis heredibus et successoribus ab omni homine excalumpniare et defensare teneamur super omnibuus bonis communis Jadre. Actum est hoc et firmatum coram his uocatis et rogatis testibus: Yuano de Cernugo et Michaele de Micusso.

*(Drugi rukopis).*

† Ego Maurus Grisogoni de Mauro examinator manum misi.

Ego Vitus Jadrensis archidiaconus et notarius interfui rogatus, ut audiui hanc cartam scripsi, roboraui et signo consueto signaui.

*(Monogram not.)*

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru, odio samostana sv. Nikole no. 71.*

## 480.

**1286, 24. septembra. U Akonu u Palestini.**

*Starac David potvrdjuje na putu u Jerusolim, da mu je dubrovačka općina vratila sve novce i dragocjenosti, što ih je bio tamo povjerio u pohranu.*

In nomine dei eterni amen. Anno ab incarnatione domini nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, mensis septembris die vigesimo quarto intrante, indictione quintadecima, amen. Nouerint vniuersi presentes et futuri, quod cum nos veteranus David olim nominatus jupanus(?) Dimitrius, filius quomdam(!) preclare memorie magnifici comitis Vulchi, deposuerimus et assignauimus in comandam in camberlengaria comunis Ragusii tempore comitatus nobilis viri Johannis Georgii, sub annis domini millesimo ducentesimo octuagesimo secundo, decime indictionis, die vigesimo intrante mensis augusti, yperpyra(!) mille noningenta triginta octo minus grosis duobus, et boccalem unum argenteum deauratum, quod ponderabat libras nouem et unçias duas, et cuppam unam de argento, que constitit yperpyra triginta octo minus grosis duobus. Confitemur et in ueritate recognosimus(!) nos prenominatus veteranus David omnia predicta et singula integre et sine diminutione habuise et recepisse de camberlengaria(!) dicti comunis Ragusii secundum formam infrascriptam. Inprimis recepimus tempore comitatus domini Johannis Georgii yperpyra septuaginta. Item recepimus tempore nobilis viri Michaelis Mauroçeno yperpyra sexaginta et cuppam argenteam supradictam. Item recepimus personaliter yperpyra decem Item recepimus yperpyros viginti per quendam nuncium nostrum qui Grubsa nominatur. Residuum uero dictorum yperpyrorum et rerum recepimus et habuimus a uobis nobile viro domino Nicolao Quirino de domo maiori, comite Ragusino, et uestris consciliariis(!) pro expensis nostris faciendis secundum uite(!) quando accessimus ad partes Jerusalem ad uisitandum sepulcrum sanctissimum Jesu Christi. Quapropter uos uestrum-

que comune et successores per nos nostrosque heredes et successores securos reddimus pariter et quietos de tota acomanda predicta, quia nichil mihi remanscit(!), vnde uos aut successores uestros seu dictum comune Ragusii per ullum ingenium compellere aut requirere ualeamus. Et si quis huic nostre securitatis, quietationis et confessionis carta(!) presumpserit obuiare, omnipotentis dei iram incurrat et perpetualiter in eterno incendio crucietur. Et ad maiorem huius rei euidenciam et perpetuam firmitatem huic presenti instrumento nostrum sigillum cereum apponi iubsimus(!) et firmari. Acta sunt hec in Acon in contracta, que dicitur sanctus Stefanus, in domo, ubi dictus dominus vetranus Dimitri hospitabatur, presentibus Marco Quirino de domo maiori, Nicola Theodori, Balacio filio quondam Mathey de Balacio testibus ad hec uocatis specialiter et rogatis, anno, mense et die et indictione predictis.

Ego Marquardus notarius ut per interpretam(!) lingua(!) a dicto domino veterano Dimitrio audiui, eius precepto et uoluntate predicta omnia scripsi et in hanc formam publicam scripta compleui et roboraui.

*Straga drugom rukom bilješka kancelara dubrovačkoga:* »Q. iam[1] instrumentum securitatis depositi vetrani Dauid, in quo etiam inuoluta sunt[2] duo instrumenta principalis debiti ipsius depositi, que incisa et cançelata sunt.

*Original u dubrovačkom arkivu, pečat otpao, pergamenski odresci još vise. Zbirka Saec. XIII.*

*Jireček Spom. srp. no. 1, 21—22.*

## 481.

**1286, 31. oktobra. U Zadru.**

*Buna udova Marka Dragonje prodaje Ivanu Varikaši osminu svoje kuće za 20 libara.*

In nomine domini amen. Anno incarnacionis eius millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, mensis octubris die vltimo, indicione quinta decima, Jadere. Temporibus equidem domini Johannis Danduli incliti ducis Venecie, et magistri Laurencii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Nycolai Justini egregii comitis. Ego namque Bunna relicta quondam Marci Pelegrini Dragonge habitatoris Jadre fateor, quomodo

[1] Quoddam (?)

[2] Nijesu se sačuvala.

vendo, do, trade atque transacto tibi quidem Johanni Rayneri Varicasse filio ciui Jadrensi, tuisque heredibus et successoribus totam vnam octauam partem totius vnius domus lapidee eiusque balatorii, scalarum petrinarum et curie posite in confinio ecclesiarum sanctorum Stephani et Nicolai; cuius superfluas septem partes habet Bogdanus çupparius, cum omni longitudine et latitudine ipsius octaue partis dicte domus suique balatorii, scalarum atque curie cum omnibus suis certis terminis, habentiis et pertinentiis tam subtus terram quam supra terram, atque cum omnibus iurisdiccionibus et rationibus suis nec non et cum omni iure suo, a modo cum plana virtute, auctoritate, ratione et potestate totam ac omnimodam voluntatem tuam, ex ea pro anima et corpore faciendi, nemine tibi exinde in perpetuum contradicente. Ob quam venditionem, dationem, traditionem siue transactationem tu dictus Johanes mihi bene et plenarie pro pretio et pecunia numerata dedisti et persoluisti libras venetorum paruorum viginti, de quibus iam pacatam me teneo Vnde ego predicta Bunna cum heredibus et successoribus meis debeo et teneor tibi tuisque heredibus et successoribus prefatam octauam partem dicte domus eiusque balatorii, scalarum ac curie cum omnibus pertinentiis suis ab omni homine ipsam calumpniante defensari et excalumpniari super me et omnia bona mea habita et habenda. Actum est hoc et firmatum presentibus hiis vocatis et rogatis testibus, videlicet: Petro caligario filio naturali Vitaçe Lemesso et Martino dicto Pesta pelipario habitatoribus Jadre.

*(Drugi rukopis).*

Ego Barte de Jurislauo examinator manum misi.

Ego Vicentius ecclesie sancte Marie maioris clericus et Jadrensis notarius predictis interfui rogatus, ut audiui hanc cartam scripsi, roboraui et signo solito signaui.

*(Signum notarii).*

*Original u arkivu grofova Begna u Posedarju: P. no. 10.*

## 482.

**1286, 10. novembra. U Hvaru.**

*Vučina Katene prodaje Dujmu Kalendi neku zemlju.*

In nomine domini amen. Anno millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, indictione quarta decima, die decimo nouembris, presente Bogdano Sclauogosti presbitero, Buie canonico Fare, Tolisclauo Bellisic et alliis

testibus, in Fara. Volcinus Catene, qui . . . . exceptioni non numerate . . . . . . . . . . . . . esset, confessus fuit se nomine . . . . . . . . . . . . precii . . . . . . . . . . . habuisse duodecim libras et . . . . . . . . . . . a Duymo Kalende; pro quibus denariis et precio uendit per se suosque heredes eidem emtori et suis heredibus vnam peciam terre . . . . . . . . . . . . iusta(!) terram monasterii sancti Nicolay ab vna parte, et Drascum . . enati ab alia . . . . . . . . . ab alia; ad habendum et posidendum et quiquid eidem emptori inde placuerit faciendum sine sua et heredum [suorum] contradictione, cum omnibus accessibus et agressibus suis . . . . . . . . . . . . . . . iis cum qui habebat(!) . . . . . . . . . . . . . . . agere, petere, causare, requirere, exigere, defendere, suo nomine . . . . . . . . suo proprio nomine . . . . . . . . . . . . tamquam in suam rem propriam constituit in suum locum . . . . . . . . . Quam autem uenditionem, cessionem, tradicionem et concessionem dictus venditor stipullatione promisit se firmum et ratum habere et tenere et . . . . . . . . . ab omni inquietante persona cum racione defendere et expedire, . . . . . . . . pena dupli dicte pecunie uenditionis ueluti pro tempore . . . aurata fuerit aut magis uoluerit ad aliud et estimatione bonorum uirorum in . . . . . loco et restituere omnes expensas quas fecerit . . . . . . . faciendo ipsum et heredes eius . . . . . . . . attendere et obseruare. Et pro hiis omnibus attendendis et obseruandis omnia sua bona presencia et futura . . . . . . . . obligauit. Insuper cum datum esset ex mandato nobilis viri domini Johannis Dal . . . . ex mandato domini potestatis Fare et Brace . . . . Drascum plaçarium comunis iuxta consuetudinem ciuitatis, quod si quis haberet ius uel . . . . . . . . . . in dicta terra uendita, hinc ad octo dies coram dicto domino potestate debeat comparere ad utendum de iure suo, alioquin quod nullus audietur, et cum aliqui(!) non comparuerit ideo presens instrumentum confectum et [rob]oratum est.

*(Drugi rukopis).*

Ego Johannes de Kirino potestas Farre(!) et Braçe manu mea scripsi.

*(Signum notarii).*

Ego Smeriolus de Gato sacri palacii notarius et nonc(!) dicti domini potestatis et comunis Farre canzelarius hiis presens interfui et subscripsi.

*Original u kaptolskom arkivu biskupije u Hvaru. Listina tamnom veoma oštećena.*

## 483.

**embra. U Zadru.**

*rdana Zlagodına supruzi daruju sve svoje imanje samostanu sv. Nikole u Zadru.*

nomine. Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducen-
esimo sexto, indicione quinta decima, die duodecimo intrante
ori, Jadre. Temporibus equidem domini Johannis Dandulo
Venecie, et magistri Laurencii venerabilis Jadrensis archi-
omini Nicolai Justiniani egregii comitis. Manifestum facimus
ns instrumentum nos quidem Deminçe de Slagodina et
gdana filia condam Jurcho habitatores Jadre, quomodo pro
t beati Nicolay confessoris et pro nostris animabus ac
medio peccatorum ex nunc iure ac nomine pure et mere
abilis donacionis, que dicitur inter viuos, damus, donamus et
de nostra bona, libera ac spontanea voluntate vobis namque
Marie abbatisse monasterii sancti Nicolay Jadre de ordine
recipienti vice et nomine ipsius monasterii, omnia nostra
et immobilia, scilicet domos, loca, terras et vineas et omnes
possessiones et bona mobilia et immobilia et tam mas-
cetera alia que habemus et possidemus et nobis pertinent
in toto mundo; tali pacto et condicione, quia uolumus et
nia dicta bona et possessiones in vita nostra tenere, gau-
dere, vsufructuare et fructuare et fructus percipere et habere
ostram vtilitatem, comodum et profectum; ita tamen, quod
is bonis et possessionibus possimus vendere uel donare seu
alienare in vita nostra, et post obitum vtriusque nostrum
ta bona et possessiones deueniant uobis et vestris succeden-
licto vestro monasterio sancti Nicolay libere et precise et
animabus nostris et nostrorum remedio peccatorum sine
uctione uel questione. Saluo, quod ego prenominatus Deminçe
cum uoluntate vestra et assensu suprascripte vxoris mee
dono, indico et dimitto nepoti meo Dragoscio filio condam
ilie mee post obitum meum et dicte Bogdane vxoris mee
n meam de Monte Ferro cum tota sua ograda, terra et
terram seu possessionem fratris mei Radoscii et iuxta terram
Radoscii h, et iuxta terram Miche de Susala et Gregorii de
quatuor passus per longitudinem et duos passus per lati-

tudinem a
parte qui
tenere, ga
predicta
infrascripti
deueniat
secundum
erit, alioqu
monasteri
nibus. Qu
Bogdana
gratam et
tudinis, li
nec per u
bona et p
mea lapic
iuxta don
locum m
pertum q
in terra r
ratico; ite
iuxta vin
Riuum iu
Bogdane
et omnia
uel pertine
suprascrip
omnibus
prenomin
vestris b
promittin
tam in e
vestes et
habitacio
vestem c
reriis et
sterii pr
dabimus
subuenie
dum pos
firmatum

tudinem ad passum comunis Jadre de meo loco posito ad Baylas a parte quirinali iuxta Dragoslauum, tali pacto et condicione, quia uolo tenere, gaudere et possidere ipsam vineam et predictum locum cum predicta Bogdana in vita mea et sua ad nostram vtilitatem cum aliis infrascriptis possessionibus meis et suis, et post obitum meum et suum deueniat ipsa vinea et ograda cum sua terra et cum predicto loco secundum dictam mensuram eidem Dragoscio nepoti meo, si tunc viuus erit, alioquin si decesserit ante legiptimam etatem, deueniat suprascripto monasterio sancti Nicolay cum infrascriptis aliis nostris possessionibus. Quam nostram donacionem nos suprascripti iugales Deminçe et Bogdana promittimus habere et semper tenere firmam et ratam et gratam et nunquam eam reuocare seu renouare aliquo vicio ingratitudinis, licet donacio foret immensa uel quod non fuerit actis insinuata nec per ullam aliam racionem, ingenium seu causam. Hec autem sunt bona et possessiones mei predicti Deminçe de Slagodina· primo domus mea lapidea in qua habito posita in ciuitate Jadre cum coquina et curia iuxta domum Budislaui becarii in contrata Arsanati, item suprascriptum locum meum positum ad baylas iuxta dictum Dragoslauum tam copertum quam discopertum; item vnam vineam positam ad Cerodolum in terra monasterii sancti Grisogoni, que reddit sibi septimum pro terratico; item vineam et terram cum oliuis positam ad montem Ferreum iuxta vineam et terram heredum Georgii de Lessiça; item vineam ad Riuum iuxta vineam Bogdani Machomeya; bona autem mee suprascripte Bogdane sunt dotes mee, sicut continetur in meis publicis instrumentis, et omnia alia mea bona mobilia et immobilia que habeo et mihi pertinent uel pertinere [debent] ex quacumque causa et racione huius mundi. Et nos suprascripta Maria abbatissa eiusdem monasterii sancti Nicolay cum omnibus sororibus tocius nostri monasterii et conuentus recipimus vos prenominatos iugales Deminçe de Slagodina et Bogdanam cum dictis vestris bonis et possessionibus, modis et condicionibus suprascriptis, et promittimus vobis dare in vita vestra nostrum auxilium et consilium tam in egritudine quam in sanitate; et quando vobis placuerit assumere vestes et habitum religionis, promittimus dare tibi suprascripto Deminçe habitacionem cum nostris fratribus, qui loco nostro seruiunt et vitum(!) ac vestem cum eis simul, et quando tibi placuerit ibis super nostris laboreriis et operibus ad videndum et procurandum bona dicti nostri monasterii pro tuorum remedio peccatorum; et tibi suprascripte Bogdane dabimus vnam domum ad habitandum in contrata dicti nostri monasterii subueniendo tibi corporaliter et spiritualiter in tuis necessitatibus secundum poscibilitatem(!) nostram et monasterii nostri. Actum est hoc et firmatum coram hiis vocatis et rogatis testibus, scilicet: Symone filio

[condam C]ande de Ragno et Angelo filio condam Stephani de Formino Jadrensibus et aliis.

*Original u gubern. arkivu u Zaaru, odio familije Ponti.*

## 484.

**1286. U Budimu.**

*Pred kaptolom budimskim ustanovljuju se neke otštete u ime miraza radi posjeda u Pakracu.*

Capitulum Budensis ecclesie omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in vero salvatore. Universorum tam presencium quam futurorum noticie tenore presencium volumus fieri manifestum, quod licet nobilis vir comes Kemyn filius comitis Benedicti de Pukur, frater videlicet Petri quondam bani, iuxta continenciam seu tenorem literarum nostrarum priorum dominabus seu sororibus sancte Marie virginis de Insula occasione dotis seu rerum parafernalium nobilis domine relicte comitis Abrae, racione cuius dotis eedem sorores quandam possessionem Pukur vocatam coram domino Ladislao illustri rege Ungarie impetebant quadraginta marcas singulas cum singulis quinque pensis denariorum banalium computatas, item Paulus frater eiusdem comitis Kemyn racione destruccionis ville earumdem sororum Samud vocate duodecim boues composicionaliter in certis terminis eisdem sororibus coram nobis dare et solvere debuerint, tamen idem comes Kemyn pro se et pro Nicolao ac Laurencio filiis eiusdem Petri bani fratris sui personaliter comparendo, ipsas quadraginta marcas modo supradicto, item Paulus frater eiusdem dictos duodecim boves in terminis ad dandum et solvendum assumtis, fratri Paulo converso ordinis fratrum Predicatorum, generali procuratori ipsarum dominarum, comiti Michaeli officiali earumdem nomine et vice monasterii sancte Marie virginis de Insula ac universarum sororum de eodem comparentibus, solverunt et dederunt plenarie coram nobis, eundem comitem Kemyn, Nicolaum et Laurencium filios Petri bani ac ipsorum heredes in facto dotis dicte domine relicte comitis Abre et in solucione quadraginta marcarum predictarum pro ipsa dote debitarum, item eundem Paulum in facto duodecim boum iam dictorum, nomine predicti monasterii ac universarum sororum de eodem reddiderunt pure et simpliciter expeditos, et ipsam possessionem Pukur in parte et in toto ab omni impeticione et vexacione ipsarum sororum expeditam et pariter absolutam. Preterea idem frater

Paulus et comes Michael reddiderunt et restituerunt coram nobis eidem comiti Kemyn instrumenta et munimenta ac privilegia tam regalia quam alia super eadem possessione Pukur habita et confecta. Ceterum omnes literas super processu tocius cause predicte emanatas alterutra parcium reddidit ad cassandum ita, quod si qua ipsarum aliquas ex ipsis fraudulenter penes se reservasset, uiribus carere uoluerunt firmitatis, prout id in forma composicionis inter partes habite extiterat ordinatum. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem ad peticionem parcium presentes concessimus litteras sigilli nostri robore communitas. Datum per manus magistri Ladislai lectoris ecclesie nostre, anno domini millesimo ducentesimo octogesimo sexto. Magistro Paulo cantore, Gregorio custode, Elia quondam decano, Stephano tunc decano, Johanne et Nicolao sacerdotibus, Stephano ac Thoma magistris, ceterisque canonicis existentibus in eadem.

*Original u arkivu knezova Baćana u Körmendu A V. L. no. 1. Dobro sačuvani pečat kaptola budimskoga visi na zeleno-ljubičastoj svilenoj vrvci. Gore cirograf. (A. B. C.)*

*Cod. dipl. patrius. VIII.* 250—2. *no.* 202.

## 485.

**1286.**

*Elizabeta mati kralja Ladislava potvrdjuje darovnicu kraljevu učinjenu Templarima za posjed Breznicu u požeškoj županiji.*

Elisabeth dei gratia maior regina Hungariae universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem in omnium salvatore Ad universorum notitiam tam praesentium quam futurorum harum serie volumus pervenire, quod nobilis domina relicta comitis Laurentii ab una parte, magistro Johanne iuvene domus nostrae una cum fratribus suis, Gregorio videlicet sacerdote et comite Marcolpho ab altera coram nobis personaliter constitutis, quaesitum extitit animae gratia, utque possessionem seu villam Berzenyche vocatam in comitatu de Posaga existentem, quas(!) nos eidem nobili dominae relictae Laurentii pro notoriis servitiis suis secundum continentiam nostri privilegii contuleramus ea facultate, ut donandi, vendendi, legandi, sibique tenendi et omnem voluntatem suam de eadem faciendi liberam habeat facultatem, vendere possit vel non, et idem magister Johannes cum fratribus suis emere seu comparare perpetua stabilitate valeant. Nos pro eo maxime, quia saepe

dicti magister Johannes et Gregorius sacerdos seculo renunciantes et deo servire se voventes habitum cruciferorum et fratrum domorum militiae templi assumendo, quoniam qui parce seminat parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam aetermam, praedictam nobilem dominam relictam comitis Laurentii, sicut etiam suis universis erat vendere ipsis magistro Johanni et fratribus eiusdem, matura deliberatione et habito consilio omnium baronum nostrorum Chak videlicet magistri tavernicorum nostrorum, Demetrii magistri pincernarum nostrorum, Marci magistri dapiferorum nostrorum, et comitis Sebus iudicis curiae nostrae annuimus et permisimus pro voto. Quibus quidem postmodum coram nobis constitutis, eadem nobilis domina comitis Laurentii confessa est se praedictam possessionem Berzenyche vocatam cum omnibus utilitatibus suis et pertinenciis supradictis magistro Johanni et Gregorio sacerdoti et comiti Marcolpho et per eosdem domui militiae templi pro centum et sexaginta marcis plene receptis vendidisse perpetuo et irrevocabiliter ex nostra permissione possidendam, sub eisdem metis et terminis, quibus ipsa domina secundum continentiam privilegii nostri tenuit et possedit, dando nihilominus privilegium suum in manus eorundem Nec hoc praetermittimus, quod de praedictis CLX marcis quinquaginta marcas Gregorius sacerdos, et quinquaginta marcas comes Marcolphus de suis propriis persolverunt, magister vero Johannes possessionem suam Ponsafeldus vocatam in comitatu de Werewcze existentem pro sexaginta marcis eidem dominae statuit et dedit perpetuo possidendam. Nos vero quia saluti nostrae quam . . . . . . . gerimus invigilare oportet . . . . . et eadem libertate ipsam possessionem Berzeniche et super eadem residentes permanere concessimus, qua omnes aliae possessiones cruciferorum domus militiae templi in comitatu de Posaga perfruuntur, propterea damus, quia magister Johannes, Georgius sacerdos et comes Marcolphus quamdam eciam pecuniam suam pro eadem terra dare formidabant pro eo, quia per diversas manus ex nostra collatione per Jacobum filium Ponyth tum per alios extiterat pertractata Nos eadem ex nostra gratia speciali assecuramus, quod omni prorsus timore postposito, et cavillationibus eorumdem contradictorum minime suffragantibus emant, teneant et possideant, cassantes et irritantes et irritas pronunciantes litteras et privilegia nostra, si quae cuicunque praeter praedictam nobilem dominam relictam comitis Laurentii, et praeter ipsos magistrum Johannem, Gregorium et Marcolphum super praedictam possessionem fuerint emanata. Et specialiter cassamus et irritamus privilegia et instrumenta Jacobi filii Ponyth, qui contra nostram maiestatem talem commisit infidelitatem, quod inter dominum Ladislaum inclytum regem Hungariae

carissimum filium nostrum et nos, cum in legationibus nostris, ut de eo confidimus, discordiam seminavit et suscitavit non modicam. Et postmodum cum possessionem regiam et nostram Kalman Kiralychey vocatam, per nos sibi collatam repetivissemus ab eodem, ipse elatus in superbiam contra regiam maiestatem et nostram tavernicum nostrum Paulum nomine ad hoc ad ipsum destinatum capite detruncavit et occidit, et sic ipsam possessionem nostram Chey funditus destruxit a nobis infideliter se retrahendo. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem praesentes concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus viri discreti Vorbazy praepositi de Posaga aulae nostrae cancellarii, doctoris legum, domini papae capellani dilecti et fidelis nostri. Anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo sexto.

*Koller epp Quinq. II. 226—229. Fejér Cod. dipl. V. 3. 322. —325. — Kukuljević Reg. no. 1400.*

## 486.

**1287, 27. januara. U Zadru.**

*Deminoj, sin Saracenov, prodaje Radošu dozvolom Kreste de Fosko vinograd u Cernom.*

In Christi nomine. Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo octoagesimo sexto, indicione quinta decima, die quinto exeunte mense ianuario, Jadre Temporibus equidem domini Johanis Danduli incliti ducis Venecie, et magistri Laurencii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Nicolay Justiniani egregii comitis. Manifestum facio per hoc presens instrumentum ego quidem Deminoy filius condam Saraceni rusticus heredum Damiani de Begna, quomodo habita licencia et uerbo a Vitaça de Lemese procuratore Creste de Foscho Arbensi, do, dono, vendo tibi namque Radoscio beccario Jadre filio condam Jurgii omnes meas vites, quas habeo ad Cerno in terra dicti Creste de Foscho, que reddunt ei quartum pro terratico; quibus de borea est vinea Stephani de Blaseo, de austro est vinea tua, de trauersa est vinea auunculi tui Pribislaui in terra dicti Stephani de Blaseo, et de quirina est terra dicti Creste de Foscho, cum plena virtute et potestate a modo in antea cum tuis heredibus et successoribus ipsas vites intromittendi, habendi, tenendi, gaudendi, possidendi, vendendi, donandi, pro anima et corpore indicandi, omnemque aliam tuam uoluntatem et vtilitatem ex eis libere faciendi, nemine tibi uel tuis heredibus contradicente; cum omnibus suis certis

terminis, pertinenciis, confinibus et habenciis ipsis vitibus tam subter terram quam supra terram in integrum pertinentibus uel que pertinere sibi possunt, dando, soluendo et reddendo annuatim suprascripto Creste de Fosco uel suis heredibus aut successoribus fideliter quartam partem tocius vini et omnis alterius fructus ex ipsis vitibus et terra prouenientis; precio cuius vendicionis ego prenominatus Demynoy(!) plene habui et recepi a te suprascripto Radoscio beccario libras denariorum venetorum paruorum octo, quas mihi dedisti et integre persoluisti. Vnde cum meis heredibus et successoribus me obligo et promitto ipsas vites excalumpniare et defensare tibi tuisque heredibus et successoribus in racione ab omni homine et persona super me et omnia bona mea presencia et futura, saluo tamen semper omni iure dicti Creste de Foscho et suorum heredum. Actum est hoc et firmatum coram hiis vocatis et rogatis testibus, scilicet: Lampredio filio, Nicole de Mathafarro, et Andrea filio Soppe de Sanneç Jadrensibus et aliis.

*(Drugi rukopisi.)*

Ego Madius Galellus de Cerna examinator manum misi.

Ego Henricus imperali auctoritate notarius et Jadrensis iuratus interfui et rogatus scripsi et roboraui.

*(Signum not.)*

*Original u arkivu samostana sv. Marije u Zadru.*

## 487.

**1287, 1. februara. U Baroliu.**

*Dozvola nadbiskupu dubrovačkomu za prevoz žita.*

✝ Anno ab incarnatione domini nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo octuagesimo septimo, dominante domino nostro Carolo magnifici principis Salernitani primogenitus(!) regnorum Jerusalem et Sicilie, ducatus Apulie, principatuum Capue et Achaye, comitatuum Andegauensis, Prouincie et Forcalguensis domino, eius dominii anno tertio, mensis februari primo die eiusdem, quinte decime indictionis, apud Barolum. Nos Nicolaus Cauasaccus regalis Baroli iudex et subscripti testes litterati de eadem terra ad hoc specialiter uocati et rogati, presenti publico scripto faceremus, quod comitus (!) Matheus de Longis de Trano, nuncius reuerendi patris et domini fratris Bonauenture de ordine fratrum minorum miseratione diuina archiepiscopi Ragusini, ostendit nobis quasdam litteras procurationis factas olim ab eodem domino archiepiscopo Karstucio de clerico

ciui et mercatori Luccano super extrahenda certa quantitate frumenti de portu Baroli, subscripcione ac noto et consueto sigillo eiusdem domini archiepiscopi munitas, quas litteras idem nuncius nomine et parte eiusdem archiepiscopi petiit a nobis, nostrum officium inplorando autenticari et in publica forma redigi pro eo, quod eiusdem domini archiepiscopi interesse dicebat. Nos autem ipsius nuncii petitionibus inclinati, quia nostrum officium publicum debemus iuste petentibus inpartiri, adhibito nobis Johanne de Christiano(!) publico ipsius terre notario nostro infrascripto, predictas litteras uidimus, legimus, tenuimus, et quia inuenimus ipsas non abolitas non abrasas non cancellatas nec in aliqua sui parte corruptas, imo in prima suarum figura existente, mandauimus predicto Johanni de Crestiano publico Baroli notario, ut ipsas litteras de uerbo ad uerbum nichil in eis addito seu contrario trascriberet, autenticaret et in publicam formam redigeret. Qui mandato nostro obtemperans, predictas litteras de uerbo ad uerbum nichil in eis addito uel diminuto transcripsit, autenticauit et in presenti publica forma redegit iuxta iuris ordinem et modum exinde consuetum. Quarum litterarum tenor per omnia talis erat: Nos frater Bonauentura de ordine fratrum minorum diuina miseratione archiepiscopus Ragusinus presenti scripto notum facimus vniuersis, quod confisi de prudentia et legalitate Karsuchii (!) de clerico ciuis et mercatoris Luccani ipsum uoluntarie facimus, constituimus et ordinamus nostrum uerum et legitimum procuratorem et nuncium specialem ad comprehendendum siue exhiberi faciendum de portu Baroli frumenti salmas trecentas ad salmam generalem, ferendas per mare ad terram Ragusii pro usu nostro et familie nostre, de quibus frumenti salmis trecentis de eodem portu Baroli exhibendis ad peticionem illustris domine regine Seruie concessit licentiam excellentie principalis, sicut in sue celsitudinis litteris apertius detinentur. Et ad prestandam idoneam fideiussorum cautionem nomine et in parte nostra, quod predicta frumenti quantitas non alibi quam ad predictam terram Ragusii deferatur, et quod de ipsius exoneratione a potestate, rectore seu consulibus eiusdem terre in competenti termino sibi propterea prefigendo idoneas sub sigillo eorum deferat litteras responsales, dantes et concedentes eidem nostro procuratori plenam et liberam potestatem predicta omnia et singula faciendi et cetera alia, que ipsius negotii merita exigunt et requirunt et nos ipsi facere possemus, si presentes essemus ibidem. Promittentes sub ypotheca rerum nostrarum omnium nos ratum habituros et firmum quicquid dictus nuncius et procurator noster super premissis duxerit faciendum. In cuius rei testimonium et ipsius nostri nuncii et procuratoris ac aliorum quorumlibet cautelam presens scriptum procuracionis sibi exinde fieri fecimus nostris sigillo et subscripcione

munitum. Scriptum Baroli, nono die decembris, duodecime indictionis. Ego frater Bonauenturas archiepiscopus Ragusii. Vnde ad futuram memoriam et tam predicti nuncii peticionem, quam eiusdem domini archiepiscopi cautelatas litteras una cum predicto iudice et testibus infrascriptis indiccione legitima . . . . . . . modo et forma prescriptis signo meo solito, sigillo ,et subscriptione predicti iudicis et infrascriptorum testium subscripcione roboratum, quod scripsi ego prenominatus Johannes de Crestiano publicus Baroli notarius, qui predictis rogatus interfui et meo signo consueto signaui.

*(Signum not.)*

*(Potpisi razne ruke.)*

† Nicolaus iudex subscripsi.

† Vitus de Dubblettis testatur et subscripsit.

† Lucas de Castelano testis subscripsit.

† Petrus testatur presens, quod pagina fatur . . . . .

*Original u dubrovačkom arkivu. Zbirka saec. XIII. Osim ovjerovljenja notara i potpisa svjedoka imade kraj imena svjedoka i napola sačuvan pečat grada Barolia.*

*Kukuljević Reg. no. 1401.*

## 488.

**1287, 5. februara. U Zagrebu.**

*Domaldo sin Tomin zalaže za 20 maraka svoje zemljište u Žepnici županu Martinu kastelanu blaguškomu.*

Nos capitulum Zagrabiensis ecclesie damus pro memoria, quod constitutis coram nobis Domaldo filio Thome consanguineo Laztech et Stak ab una parte, ab altera uero Brache pro domino suo, comite videlicet Martino castellano de Blagusa, idem Domaldus confessus est se recepisse et habuisse a prefato comite Martino viginti marcas, pro quibus obligauit eidem porcionem suam ipsum, scilicet Domaldum in terris de Scepniche sicut dicebat contingentem cum utilitatibus et pertinenciis eiusdem, saluo tamen preiudicio iuris alieni, pro eadem summa pecunie quandocumque se facultas eidem optulerit redimendam. Astiterunt eciam coram nobis personaliter Petrus filius Laufrach, Odola filius Draguzlaw, Wolkuzlau, Ocrocha et Karachynus filius Radilov, iobagiones castri Zagrabiensis, qui se sic esse et uocari asserebant, cognati videlicet et commetanei prefati Domaldi, qui huiusmodi obligacioni

suum consensum prebuerunt. Datum in festo beate Agathe virginis, anno domini MCCLXXX septimo.

*Liber privileg. eppatus Zagrab. list 41.*
*Tkalčić Monum. episc. Zagr. I. 218. — Kukuljević Reg. no. 1402.*

## 489.

**1287, 5. februara. U Spljetu.**

*Pogodba radi obradjivanja zemlje.*

In nomine domini nostri Jesu Christi. Anno eiusdem millesimo ducentesimo octuagesimo septimo, indictione quinta decima, Spaleti, die lune, quinta intrante februario, regnante domino nostro Ladislao serenissimo rege Hungarie. Temporibus domini Johannis archiepiscopi Spalatensis, domini Mladeni filii quondam comitis Stepconis de [Bri]berio illustris comitis, domini Domaldi Zadulini de Jadr[ia] egregie Spalatensium potestatis, ac dominorum Duymi Michaci, Camurci Petri et Francisci Sceppi iudicum. Coram [no]bis Georgio Mathei Georgii socio et uicario nobilis uiri domini Domaldi Zadulini potestatis ciuitatis Spaleti, Duymo Michaci, Camurcio Petri et Francisco Sceppi supradictis iudicibus ciuitatis eiusdem questio exorta est et aliquod diu uentilata inter dominam Stanam abbatissam monasterii sancti Benedicti de Spaleto ex una parte agentem, et uillicos eius consistentes et . . . . . ratos . . . . . . . . . . . uilla de Cosiza ex altera respondentes, in eo, quod dicta domina abbatissa dare et assingnare ipsis suis uillicis dicte uille pro se et suo nomine unum quem uolebat zuppanum, dicendo se et alias abbatissas ipsius monasterii suas predecessitrices ac inde adsuetas fuisse ac esse, quod ipsa facere uolebat. Uillici autem ipsi ipsarum zupanum et quemquam alterum per manus uel nomine ipsius abbatisse uel ipsius monasterii nolebant suscipere et consulere penitus contempnebant, dicentes se nunquam adsuetos fuisse talibus, sed potius adsuetos fuisse . . . . . . sibi quemcumque uoluerant et uolebant ut iuppanum eligere et tenere, quem abbatissa ipsius monasterii confirmare consueuerat et debebat. Unde uero ipsi uillici nunc facere uolebant, cumque autem super hoc et huiusmodi per utramque partem plurima allegata fuissent, tandem utreque partes coram nobis unanimi et concordi uoluntate ad hoc concordium deuenerunt, uidelicet, quod dicti uillici sua uoluntate propria obligaverunt se dicte abbatisse dictam uillam Cosize monasterio et eidem abbatisse liberam relaxare ex nunc, et postquam laceraciones frugum proxime futurorum complete fuerint et

suscepte, de . . . . . . uenturis ipsi uillici integre dicte abbatisse dare promiserunt et assingnauerunt sicut consueuerant et debebant . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . terras cultas et laborando . . . . . . . . . . . . . . . . . . dicuntur et dici solent atque uineas placatas, donec uites fuerint laborande et dare eidem abbatisse ex ipsis omnibus et singulis agraticum, sicut consueuerant. De aliis uero terris ipsius unde existentibus dare et que inculte et uero laborate sunt nec etiam sunt pastinate nullam ipsarum terrarum ex nunc ipsi uillici arare . . . . . m . . . uel sa . . . . . . . . . . . fuit pastinare promiserunt. De quibus si aliquid ararent, colerent, seminarent uel pastinarent, totum [s]uum laborem arature, colture, seminature et pastinature perderent et in dictam abbatissam eiusque monasterii remanent, saluo id(!), quod ex ipsis terris aliquis dictorum uillicorum suscepisset, petisset ad laborandum uel pastinandum dictum monasterium. Actum in lozza comunis, presentibus Nicolao Johanis Cindre, Marino Rocce Gregorii testibus et aliis.

Ego Lucanus Dese examinaui.

Ego magister Franciscus Anconitanus imperiali auctoritate notarius ciuitatis Spalati his interfui et a supra dictis domino Georgio et iudicibus rogatus ipsorum mandato et uoluntate scripsi et roboraui.

*(Signum not.)*

*Original u arkivu samostana svete Marije u Zadru. Listina trošna i oštećena.*

## 490.

**1287, 20. marta. U Trogiru.**

*Ivan nadbiskup spljetski posvjedočuje, da je Šibenik od uviek pripadao trogirskoj biskupiji.*

Nos Johannes divina favente gratia archiepiscopus Spalatensis universis et singulis fidem Christi sectantibus et has patentes litteras intuentibus salutem, quam Christus docuit et teneri voluit in humanis. Quia veritatem diligit dominus, gratiam et gloriam donat deus, ideo que veritatis sunt, in his nostris patentibus volumus stilo veridico declarare; nempe veritatis est verbum organo prophetice vocis emissum, quod qui loquitur veritatem et operatur iustitiam, incola erit in tabernaculo Jesu Christi, et requiescet in multitudine pacis et in culmine ubertatis. Nam et alibi meminimus fore cautum, quod qui mandata fecerit et docuerit,

in regno celorum maximus reputatur. Igitur cum in provintia Dalmatia per sanctam Romanam ecclesiam archipresulatus nostri primatum teneamus in nostra metropoli Spalatensi, et in nos tanquam in eiusdem provintie ordinarium oculi perspiciant cunctorum de inferius annotandis, ut simus incola Jesu Christi, velut pugil fortis edocere volumus veritatem et tam presentibus quam futuris facere plenam fidem. Et ideo cum a temporibus, quorum nulla extat memoria, in civitate Traguriensi sedes viguerit cathedralis, quam beati Laurentii fovent merita et patrocinia martyris Jesu Christi, cui ab eisdem temporibus diocesana lege et ordinaria subdita extitit et subiecta ecclesia et clerus castri et oppidi Sibenici, ut patet summorum pontificum evidentissimis documentis et totius vicinie acclamationibus nominate. In quam et quos pro eo, quod pasti lacte materno et refocillati spiritualibus per eandem respuebant nutricis et matris honorificentiam salutarem, venerabilis frater noster Columbanus Traguriensis episcopus, qui pro tempore eiusdem ecclesie gubernacula possidebat, monitos et peremptorie citatos et eiusdem diocesani minime parentes mandatis in scriptis contra ipsos excommunicationis sententiam fulminavit credens, ut quos ad iuris decora domestice laudis exempla non revocant, correctionis saltem compelleret medicina et temporalis pena ab incepta proteruia revocaret. Qui timore dei postposito et eiusdem vindici gladio sic despecto, non verentes malis peiora et peiora peioribus aggregare in suarum periculum animarum et mandati sancte ecclesie detrimentum, presumpserunt et pressumunt divina officia celebrare, imo verius prophanare; quibus ad nostram presentiam advocatis, ut iuri parerent et impetitioni dicti fratris nostri in iudicio responderent, se nostro conspectui presentarunt et a nostro iudicio prouocantes sedem apostolicam appellarunt, quam appellationem a duodecim annis et ultra sunt minime prosecuti; cuius pretextu nolunt in episcopalibus iuribus, sed denegant diocesano proprio respondere; nec hoc nostro iudicio pretereundum duximus, quod huius discriminis tempore, favore et auxilio dominorum temporalium obtento, nec non circumadiacentium regionum clerus castri prefati in unum se colligens ausus est quendam Ungarum Paulum nomine sibi preficere in pastorem, cui nunquam prelatus aliquis prefuit, nisi Traguriensis episcopus verus et merus pastor. Quem nobis cum dominorum potentia non cum iurium munimentis nec electum canonice, cum episcopalem electionem et sedem nunquam habuerunt, potentissime presentarunt, ut sibi manus imponeremus et munus consecrationis demum donaremus, quod prorsus per dominum abiurantes publice diximus solius summi pontificis esse et curie Romane novum episcopum et episcopatum formare, facere et creare. Tandem ipsorum insultus ferre non valentes, et periculum non rerum tantummodo,

sed quod gravius erat persone nostre veraciter formidantes, eosdem sumus taliter allocuti: nihil valet, quod facimus et propter hoc Romane curie nec volumus nec possumus derogare; et super hoc publicum instrumentum nobis fieri precepimus et habemus. Sed valeat quantum valere potest Quod negotium taliter celebratum domini Philippi Firmani episcopi in partibus Ungarie tunc temporis apostolice sedis legati aures et auditum aurium taliter propulsavit, quod in nostri presentia et duorum episcoporum suffraganeorum nostrorum, dominorum Tiniensis scilicet et Nonensis, id quod per nos tali compulsione factum fuerat, cassum totaliter et irritum iudicavit et tamquam indebite actum decrevit carere iuribus et robore firmitatis, eidem Paulo sub pena excommunicationis, precipiens atque mandans, ut ultra non electus sed Paulus suo puro nomine vocaretur. Et super his omnibus et singulis omnium testimonium perhibemus, tamquam omnium conscius atque gnarus et veritati verax testimonium perhibentes dicimus, confitemur et asserendo veritatis oraculo confirmamus, quod ecclesia et clerus castri et oppidi Sibenici semper fuit subdita et subiecta ecclesie et episcopo Traguriensi et de ipsa prout debuit episcopalia iura percepit, quam ecclesiam et quem clerum nostris temporibus invenimus, scimus, audiuimus et vidimus subiectos esse et debere esse episcopo, qui preest pro tempore ecclesie Tragurii, et de ipsa ecclesia atque clero iura episcopalia debere percipere et habere et sibi in omnibus spiritualibus ut ipsorum diocesano devote obedire et humiliter respondere. In cuius rei testimonium atque robur, et ut presentibus et futuris super his et de his plenior fiat fides, presens scriptum manu domini Stephani canonici Traguriensis confectum pendente nostro sigillo duximus roborandum. Actum Tragurii in episcopali palatio, in presentia dominorum Luce Matthei, Desse Amblasii, Valentino Kasariç et aliorum. Anno domini MCCLXXXVII., indictione XV., die iovis XX. mensis martii.

*Original u arkivu kaptola u Trogiru no. 26. Na listini visi o končanoj uzici malen okrugli pečat.*

*Lucius Mem. de Traù 120—121. — Farlati Illyr. sac. III. 291.—2. — Katona Hist. crit. VII. 945. — Fejér Cod. dipl. V. 3 366—370. — Fejér VII. Cod dipl 4. 203.—6. — Kukuljević Reg. no. 1403.*

## 491.

**1287, 25. marta. U Trogiru.**

*Zaključak velikoga vijeća trogirskoga o poslanstvu na bana.*

1287. die 25. martii, generali et maiori consilio ciuitatis Traguriensis mandato predicti domini capitanei in palatio dicti communis sono campane et voce preconis more solito congregato, predictus dominus capitaneus proposuit et consilium sibi dare petiit, quod cum deliberatum fuerit, quod electio noui regiminis faceretur, qualiter et quomodo sit dicta electio facienda consilium petit exhiberi. In reformatione cuius consilii placuit toti consilio facto partito per predictum dominum capitaneum de leuando ad redendum placuit, quod fiat electio de hominibus de Firmo vsque ad quinque eundo de primo ad secundum usque ad ultimum, et si omnes electi recusauerint, ille, qui iturus est pro dicta ambaxiata, faciat nouam electionem cum consilio domini Palmerii de Falco cum salario 600 librarum cum vno sotio, vno notario et cum illa familia ad voluntatem ipsius potestatis, et quod suum tempus incipiat ea die, qua de suo offitio prestiterit sacramentum. Item placuit, quod impetretur securitas pro potestate et familia sua a domino comite de Dalmissanis . . . . . electus nuntius Siluester Mingatii. Electi sunt per consilium de Firmo: dominus Joannes de Cauedenis, dominus Raynaldus Georgei, dominus Raynaldus Paradelsi, dominus Petrus Jacobi Marci, dominus Franciscus Suppi. Item partito facto super ambaxiata retracta in presenti consilio per Joardum ex parte domini comitis, qui retraxit et dixit; quod quia dominus episcopus dicitur velle ire ad curiam Romanam contra Sibenicenses, ipse dominus comes remisit pacem et comitatum seu offitium comitis, quod deinde non habeant in eum spem, immo custodiant se. Placuit toti consilio, quod ambaxiatores, qui sunt ituri ad dominum banum pro dicta occasione vadant ad ipsum dominum comitem, et illam excusationem, quem facturi sunt coram domino bano faciant coram eo. Item facto partito per predictum dominum capitaneum, si ob hoc facienda est aliqua custodia de hominibus vel animalibus, placuit toti consilio, quod illi, qui custodiunt portas non permittant exire bonas dominas extra terram seu extra ianuam.

*Lucius Memorie di Traù 121—122. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. IX. 461.*

## 492.

**1287, 25. marta. U Trogiru.**

*Trogirani odlučuju poslati svoga biskupa u Rim, da posreduje proti zahtjeva Šibeničana za otcjepljenje od biskupije trogirske.*

(Tragurienses, ut conatus Sibenicensium eluderent, Gregorium episcopum Romam mittere decreverunt, qui apud sedem apostolicam ecclesiae suae causam ageret eique de publico sumptus necessarios suppeditari iusserunt. Decreta profectio episcopi displicuit comitibus Breberiensibus, qui Sibenicensium causae favebant; et propterea Georgius, qui tum erat Sibenici idem et Tragurii comes sive praetor, internuncium suum misit, qui suo nomine comitatum sive praeturam Traguriensem dimitteret, moneretque Tragurienses, ne quid auxilii ab Georgio contra Sibenicenses expectarent, suis ipsi rebus consulerent ac providerent; id quod notatum invenio in tabulis Traguriensium anno 1287, VIII. kalendas aprilis confectis). Item partito facto super ambaxiata retracta in praesenti consilio per Joardum ex parte domini comitis, qui retraxit et dixit, quod quia dominus episcopus dicit se velle ire ad curiam Romanam contra Sibenicenses, ipse dominus comes remisit pacem et comitatum seu offitium comitis, et quod deinde non habeant in eum spem, imo custodiant se.

*Farlati Ill. sacr. IV. 361.*

## 493.

**1287, 27. marta. U Zadru.**

*Ivan Varikaša obvezuje se platiti Jakovu Skolaturi 100 libara za kupljeno ulje.*

In Christi nomine. Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo octuagesimo septimo, indicione quinta decima, die quinto exeunte mense marcii, Jadere. Temporibus equidem domini Johannis Danduli incliti ducis Venecie, et magistri Laurencii venerabilis Jadrensis archiepiscopi ac domini Nicolay Justiniani egregii comitis. Manifestum facio per hoc presens instrumentum ego quidem Johannes filius Raynerii de Varicassa ciuis Jadre, quomodo emi, habui et recepi a te namque Jacobo de Scolatura ciue Jadre quadringentos stareos olei finito precio

mercati centum librarum denariorum venetorum paruorum. Quas centum libras denariorum cum meis heredibus et successoribus me obligo et promitto plene hic in Jadra soluere atque dare tibi prenominato Jacobo de Scolatura uel tuis heredibus saluas in terra absque omni periculo, a modo in antea usque ad proximum festum sancte Marie de medio augusti sub pena dupli et omnium expensarum, quas in curia uel extra feceris hac de causa super me et omnia bona mea presencia et futura, omnibus capitulis, excepcione et occasione remotis. Actum est hoc et firmatum coram hiis vocatis et rogatis testibus, scilicet: Leonardo condam Michaelis et Slouigna filio Juanegisu Jadrensibus et aliis.

*(Drugi rukopis).*

† Ego Madius Galellus de Cerna examinator manu misi.

Ego Henricus imperiali auctoritate notarius et Jadrensis iuratus hiis interfui et rogatus scripsi et roboraui.

*(Signum not.)*

*Original u arkivu grofova Begna u Posedarju P. no. 11.*

## 494.

**1287, 21. aprila. U Spljetu.**

*Samostan sv. Benedikta daje Radoslavu Hončiću zemlju u Bonvićima, da nasadi vinograd.*

In nomine domini nostri Jesu Christi amen Anno a natiuitate eius dem millesimo ducentesimo octuagesimo septimo, indictione quinta decima, Spaleti, die martis, decima exeunte aprili, regnante domino nostro Ladizlao serenissimo rege Hungarie. Temporibus domini Johannis venerabilis archiepiscopi Spalatensis, domini Mladeni filii quondam comitis Stepconis de Birberio illustris comitis, domini Domaldi Çaduleni de Jadra egregie Spalatensium potestatis, ac dominorum Iosephy Petri, Peruoslai Dabralis et Miche Petri Madii iudicum. Cum Radoslaus Rostentii Honcich pastinasset unam terram monasterii sancti Benedicti positam ad Bonuiçe iuxta alias terras multas ipsius monasteri dicens ipse Radoslaus eam terram quam pastinauit esse suam, et sic inter ipsum Radoslaum de dicta terra quoddam uideretur candalum (!) exoriri, tandem uero ante litis ingressum dictus Radoslaus deum habens pre oculis nec suam uolens animam grauare peccatis plane . . . . . . . sua bona et propria uoluntate confessus est, quod terra predicta, quam ipse pastinauerat et alie terre omnes que ibidem erant iuxta eam et prope, erant

dicti monasterii sancti Benedicti. Ipse Radoslaus promisit et obligauit se terram ipsam quam pastinauerat liberam et expeditam post suum obitum dicto monasterio restituere ac relaxare, dum tamen licitum sibi sit vites predictas quas pastinauerat eas in uita sua in eadem terra quiete habere, tenere, fructare atque gaudere et ipsas uites cuicumque uoluerit uendere, donare uel obligare, non tamen terram ipsam alicui uendere uel donare siue obligare, set eam post suum obitum dimittere et laxare dicto monasterio liberam et expeditam. Quod uero supradicte domine Stane abbatisse conplacuit et per se et ipsum suum monasterium de gracia concessit dicto Radoslao vites predictas in dicta terra monasterii quiete dum uiueret habere, tenere, gaudere atque fructare et eas cuicumque uoluerit uendere uel donare et omnem suam de ipsis facere uoluntatem, non tamen terram ipsam, in qua site sunt alicui uendendo uel donando in modo aliquo obligando, set eam post suum obitum dicto monasterio liberam dimittendo et relaxando. Insuper ipsa abbatissa concessit de gracia eidem Radoslao pastinare pro se de alia terra eidem (!) monasterii posita ibidem iuxta ipsam pastinatam prout potuerit eadem condiccione predicta, uidelicet ipsam terram quam pastinauerit, alicui non uendendo uel donando neque modo aliquo obligando, set post suum obitum restatuere (!) et relaxare dicto monasterio liberam et expeditam; uites uero quas pastinabit, possit in uita sua gaudere atque fructare uel donare et omnem suam de ipsis facere uoluntatem. Actum in dicto monasterio, presentibus Petro Leonardi iuppano ipsius monasterii, Cibriano Gradino, Cheruatino Mlatislai caligario testibus et aliis.

*(Drugi rukopis).*

Ego Symon Martini examinaui.

Ego magister Franciscus Anconitanus imperiali auctoritate notarius, et nunc autem notarius ciuitatis Spaleti hiis omnibus interfui et a sepedicta domina abbatissa et domino Radoslao rogatus eorum uoluntatem scripsi et roboraui.

*(Monogram not.)*

*Original u arkivu samostana sv. Marije u Zadru.*

# 495.

**1287, 25. aprila. U Zadru.**

*Povjerenici za izvršenje oporuke Dominike de Rudi Peçça prodaju Grubeši sinu Radinu i ženi mu Miri vinograd na otoku Išu.*

In Christi nomine. Anno incarnacionis eius millesimo ducentesimo octuagesimo septimo, mense aprilis die sexto exeunte, indictione quintadecima, Jadre. Temporibus equidem domini Johannis Danduli incliti ducis Venecie, et magistri Laurencii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Nicolay Justiniani egregii comitis. Manifestum facimus nos namque presbiter Nicolaus sancte Marie maioris et Vitaça de Lemesso, ciues Jadre et comissarii Dminche de Rudi Peçça per publicum testamentum factum manu Vicentii clerici ecclesie supradicte et Jadrensis notarii, quod sic cernitur inchoare: In nomine dei amen. Anno incarnationis eius millesimo ducentesimo octuagesimo quarto, mense augusti die secundo intrante, indictione duodecima et cetera, prout in heo (!) plenius legitur et continetur, quomodo per virtutem, roborem et vigorem ipsius testamenti vendimus, damus, donamus atque transactamus vobis Grubse filio condam Rady et Mire iugalibus Jadratinis, vnam vineam, que olim fuit dicte Dminche, positam in insula Heçi, cui de borea est vinea Nicolay, de austro iuxta vineam vestram, possidet autem de trauersa Cusma, et de quirina est mons, cum plena virtute et potestate ipsam vineam cum heredibus et successoribus uestris a modo in antea intromitendi, habendi, tenendi, gaudendi, possidendi, dandi, donandi, vendendi[1], pro anima et corpore indicandi, omnemque aliam vestram voluntatem et utilitatem exinde libere faciendi, cum omnibus suis certis terminis, pertinentiis, confinibus et habenciis tam suptus terram quam supra terram, nemine vobis vestrisque heredibus et successoribus in perpetuum contradicente. Precio cuius vendicionis nos suprascripti Nicolaus presbiter et Vitaça comissarii, plene a uobis predictis Grubse et Mire iugalibus habuimus et recepimus libras triginta denariorum venetorum paruorum. Vnde promittimus nos predicti comissarii ratum et firmum habere et tenere cum nostris successoribus in perpetuum et non contrauenire super nos et omnia nostra bona presentia et futura. Actum est hoc et firmaium coram hiis uocatis et rogatts testibus, silicet(!): Egidio filio condam Martini Ragusei, et Damiano Volamilcho Jadratinis et aliis.

[1] Drugom rukom ispravljeno.

*(Drugi rukopisi).*

Ego Petrogna de Papo examinator mauum meam misi.

Ego Marinus clericus subdiaconus sancti Petri noui et Jadrensis notarius his interfui et rogatus ut audiui scripsi et roboraui.

*(Monogram not.)*

*Original u gubern. arkivu u Zadru, odio samostana sv. Nikole no. 72.*

## 496.

**1287, 8. maja. U Zemljeniku.**

*Prijezda ban bosanski daruje Babonićima župu Zemljenik.*

In nomine sancte trinitatis et individue unitatis. Priyezda domino concedente banus Boznensis universis Christi fidelibus salutem in omnium salvatore. Cum ea, que geruntur aut conferunter per principes, ingenti robore debeantur perenniter observari per fideles, ad universorum notitiam harum serie presentium et futurorum volumus pervenire, quod nos de promta intentione et desiderio cordis nostri, ut decet patri filio amabili, et de benivolentia filiorum nostrorum Stephani, Priyezda et Vlch ac etiam ex c[ons]ensu baronum et nobilium regni nostri quandam terram nostram, videlicet totam supam Zemlenyk vocatam cum omnibus utilitatibus et pertinentiis suis, prediis, villis et universis populis scilicet in eadem existentibus et congregandis karissimo genero nostro et filio in deo, primogenito nobilis viri et honesti Stephani bani et karissime corporalis filie nostre coniugi eiusdem ac per eosdem suis heredibus heredumque successoribus dedimus, donavimus et contulimus libere, secure et absolute habendam, tenendam et iure perpetuo irrevocabiliter possidendam pacifice et quiete sub iisdem metis, terminis et limitationibus, quibus predecessores nostri et nos possedimus [h]ucusque. Cuius quidem terre mete tali ordine distinguntur, videlicet prima meta incipit in Bulchazka in terminis Glas et ascendit ad Scotesnicha, deinde vadit ascendendo in Cola, deinde superius in Ruysche, hinc vadit in Sepyna, hinc transit fluvium Vrbaz et vadit superius in Cerminam, abinde vadit in Podolucham, hinc in Goricham et de Goricha vadit in Banua semper ascendendo, hinc revertitur ad occidentem et transito fluvio antedicto pervenit ad Lizkouch, deinde in eodem girat et vadit ad Podscuycha, inde vadit ad Sutyzkam, hinc vadit in Clukam et de Chuka(!) transit in Ponikuam, deinde vadit in Ereheuam, hinc vadit in Strazicham, deinde in Mochilcham, hin[c] vadit in Corbauzkam, abhinc in

Wlchiam, inde vadit in Lupchinam, deinde vadit in Hemelninam, abhinc in Biztricham, deinde vadit in Grabroam et sic girando determinatur et iungitur mete priori. Ut autem huius rei donatio et confirmatio salva semper et inconcussa sine omni contradictione perpetua perseveret, presentem paginam supranominato in deo filio nostro ac filie nostre corporali ac heredum eorundem successoribus contulimus munimine authentici pendentis sigilli nostri roboratam. Datum in Zemlenik, octavo die mensis maii, anno ab incarnatione domini millesimo ducentesimo octuagesimo VII.

*Thallóczy és Barabás Cod. dipl. com. de Blag. 53—54. no. 25.*

## 497.

**1287, 27. maja.**

*Biskup rapski Grgur daje Franjevcima rapskima prava i posjede.*

In Christi nomine amen. Anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo septimo, indictione quintadecima, die quinta exeunte mense maii. Cum nos Gregorius dei gratia episcopus Arbensis . . . . . . . . . . . .

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

monasterium sic vacans de iure conferimus, donamus et concedimus, cum toto ambitu suo fratri Jacobo de Padua guardiano fratrum minorum de Arbo, iure omnium fratrum minorum prouinciae Sclavoniae, et pro eisdem fratribus ipsum guardianum, ac ipsos fratres minores in veram, pacificam, corporalem et perpetuam possessionem ponentes, pannum altaris ecclesiae sancti Joannis, et annulum nostrum in manibus ipsius dantes coram nobili et egregio viro domino Marco Michaeli comite eiusdem civitatis, et domino Domnino Guidone vicecomite et domino Matthaeo iudice et Clemente de Ginano et Jacobo notario et multis aliis viris eiusdem civitatis. In cuius rei testimonium et perpetuam firmitatem praesentes litteras fecimus nostri sigilli pendentis munimine roborari.

*Farlati Illyr. sacr. V. 243. — Kukuljević Reg. no. 1404.*

## 498.

**1287, 8. juna. U Tekunu.**

*Gregorij stolnik hercega hrvatskoga potvrdjuje dar brata svoga meštru Durislavu.*

Nos Gregorius magister dapiferorum domini ducis totius Sclauonie damus pro memoria, quod quandam villam Assun vocatam in comitatu Castri ferrei castrensium constitutam, quam dominus Nicolaus banus frater noster reverendus ex collatione domini regis habuit et magistro Duruzlao dilecto et fideli suo militi pro meritoriis serviciis suis fideliter inpensis ex voluntate Joannis palatini comitis Suppruniensis patris nostri charissimi dedit et contulit in perpetuum possidere, nos enim[1] ipsi[2] collacioni et donacioni assensum prebemus et consensum et volumus, ut per ipsum et suos heredes heredumque successores ipsa possessio possideatur irrevocabiliter in perpetuum. Presentes autem[3] propter absentiam sigilli nostri cum sigillo patris nostri impressi fecimus et muniri. Datum in Tecun, in quindena pentesosten, anno domini MCCLXXX° septimo.

*Original u arkivu narodnog muzeja u Budimpešti Na listini vidi se trag, da je bila pečatom zatvorena. Na hrptu suvremena opaska »Littera magistri Gregorii super possessione terre Assun pro magistro Duruslao«. Kopija nalazi se u zbirci Kolerovoj. Cornides Mss. V, po ovoj Fejér Cod. dipl. Hung. V. 3. 387.*

## 499.

**1287, 15. juna. U Zadru.**

*Krševan de Mengaça i žena mu Buna zamjenjuju tri komada svoje zemlje na Velikom otoku s jednom zemljom samostana sv. Nikole u Rači.*

In Christi nomine. Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo octoagesimo septimo, indictione quintadecima, die quintodecimo intrante mense iunii, Jadre. Temporibus domini Johannis Danduli incliti

[1] Umetnuto izpod linije.
[2] Pisano najprije: ipsam pak ispravljeno.
[3] Pisano 2 puta.

ducis Venecie, et magistri Laurencii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Nicolai Justiniani egregii comitis. Manifestum facimus per hoc presens instrumentum nos quidem Grisogonus filius condam Petri de Mengaça Jadrensis, et eius vxor Bunna filia condam Petri de Strençi [Ja]drensis, cum uoluntate ipsius Grisogoni viri mei, quomodo damus insimul donamus, cambimus et [tran]sactamus vobis namque religiose mulieri domine Marie abbatisse monasterii sancti Nico[lai] Jadrensis de ordine sancte Clare, et vestris sororibus ac succedentibus vestris pro dicto monasterio [sancti] Nicolai tres nostras pecias terre, que fuerunt olim predicti Grisogoni de Strençi(!) [nostri] soceri et patris, positas in insula magna Jadre, cum omnibus suis pascuis et pert[inen]ciis. Vna quarum est in loco vocato Stridnopole, secunda est in Leseta, et ter[cia est] in Glauoçopole, cum plena virtute et potestate a modo in antea cum vestris so[rori]bus et succedentibus ipsas tres pecias terre cum suis pascuis et pertinenciis . . . . . ipsius monasterii sancti Nicolai intromittendi, habendi, tenendi, gaudendi, possidendi, vendendi, donandi, pro anima et corpore indicandi, omnemque aliam vestram voluntatem et vtilitatem ex eis libere faciendi, nemine vobis uel vestris succedentibus in perpetuum contradicente uel molestante, cum omnibus suis pascuis, certis terminis, pertinenciis, confinibus et habenciis ipsis tribus peciis terre tam subter terram quam supra terram in integrum pertinentibus uel que pertinere sibi possunt In cuius cambii concambium nos prenominati iugalles Grisogonus et Bunna recepimus et habuimus a uobis suprascripta domina Maria abbatissa et vestris sororibus vnam vestram peciam terre eiusdem vestri monasterii positam ad Racham, sicut legitur et plenius continetur in quodam nostro publico instrumento ipsius cambii, facto manu infrascripti notarii. Vnde cum nostris heredibus et successoribus promittimus et obligamus nos in solidum, scilicet in totum et in partem ipsas tres pecias terre excalumpniare et defensare uobis et vestris succedentibus pro [dicto] monasterio sancti Nicolai in racione ab omni homine et persona super nos et omnia bona nostra presencia et futura, ad quem nostrum uolueritis vos tenere. Actum est hoc et firmatum co[ram] hiis vocatis et rogatis testibus, scilicet: Marino Gyrardo et Stephano de Nosdrogna Jadrensibus et aliis.

*(Drugi rukopisi).*

Ego Franciscus Zadulinus examinator manum misi.

Ego Henricus imperiali auctoritate notarius et Jadrensis iuratus hiis interfui et rogatus scripsi et roboraui.

*(Signum not.)*

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru, odio samostana sv. Nikole no. 73. — Lijevi rub oštećen.*

## 500.

**1287, 19. juna. U Zadru.**

*Andrija de Ragno prodaje svomu ocu kuću na Pagu.*

In Christi nomine amen. Anno incarnationis eiusdem millesimo ducentesimo octuagesimo septimo, mense iunii die duodecimo exeunte, indictione quintadecima, Jadere. Temporibus equidem domini Johannis Dandulo incliti ducis Venecie, et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Nicolay Justiniani egregii comitis. Fateor ego namque Andreas filius Candi de Ragno ciuis Jadere, quomodo vendo, do, d[ono atque tran]sacto tibi quidem Cande de Ragno patri meo ciue(!) Jadere, totam vnam mea[m] domum co[opertam de tabulis, positam in Pago in platea cum loco sibi pertinente . . . . . . . . . domum condam Desislaui Tupsa, et similiter apud domum heredum . . . . . . quas domos et domum istam sunt due andronelle comunes . . . . et de quirina confiniat apud vias puplicas(!) cum introitu et . . . . . certis terminis, habentiis et pertinentiis tam subtus terra quam supra terram . . . . . . . . . . . . . . . plena virtute et potestate intromittendi, habendi, tenendi, possidendi, gaudendi, vendendi, donandi, alienandi et pro corpore et anima indicandi et quicquid inde tibi et tuis heredibus libere et perpetuo placuerit faciendi nullo contradicente. Pro pretio cuius vendicionis recepi a te integraliter libras centum denariorum venetorum paruulorum, quas mihi dedisti et integre persoluisti. Vnde ego dictus Andreas cum meis heredibus et successoribus tibi dicto Cande patri meo, et tuis heredibus et successoribus promitto ipsam domum excalumpniare in ratione ab omni homine et persona super me et omnia bo[na mea habita] et habenda. Actum est hoc et firmatum presentibus hiis vocatis [et rogatis testibus], uidelicet: Guilielmo Tabernario et Nascunbene(!) Spatario . . . . . . . . . . .

*(Drugi rukopisi.)*

Ego Franciscus Zadulinus examinator manum misi.

Ego Cresce de Tarallo Jadrensis notarius hiis interfui rogatus ut audiui scripsi, conpleui et roboraui.

*(Monogram not.)*

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru, odio samostana sv. Nikole no. 74. — Blizu desnog ruba dvije rupe.*

## 501.

**1287, 29. juna. U Zadru.**

*Jakob Zadulin prodaje jednu svoju zemlju Zadraninu Manfredu i Rogeru Mostaču.*

In Christi nomine. Anno incarnacionis eius millesimo ducentesimo octuagesimo septimo, mense iunio die penultima, indictione quintadecima, Jadre. Temporibus domini Johannis Danduli incliti ducis Venecie, et magistri Laurentii venerabilis Jadrensis archiepiscopi, ac domini Nicolay Justiniani egregii comitis. Ego Jacobus Çadulinus ciuis Jadrensis cum meis heredibus et successoribus per hoc presens scriptum fatio manifestum, quod do, trado et uendo uobis Manfredo et Rogerio Mostacio fratribus habitatoribus Jadre, uestrisque heredibus et successoribus pro ducentis libris uenetorum paruorum, quas a uobis confessus sum integre suscepisse et plenarie habuisse, quandam meam terram positam in monte supra macerias, que fuit quondam Miche olim Mathei de Dusiça, ex parte boree confiniantem cum terris Bunne matris Marci de Cantono, ex parte trauersa cum terris heredum quondam Cosme de Pandemeglo, ex parte quirine cum terris Bartholomei Saladini, ex parte uero australi cum terris Marie de Strençi, que quidem terra est plantata vineis ad terraticum, et reddit sextum modium; tam subtus terram quam supra terram cum omnibus suis habenciis, terminis et pertinenciis ac omni suo iure a modo cum plena uirtute et potestate intromittendi, habendi, tenendi, possidendi, vendendi, dandi, donandi, alienandi et quicquid uobis placuerit exinde libere faciendi, nemine uobis in perpetuum contradicente. Quam quidem terram ego dictus Jacobus Çadulinus cum meis heredibus et successoribus uobis dictis Manfredo et Rogerio Mostacia fratribus uestrisque heredibus et successoribus ab omni homine excolumpniare et defensare promitto super me et omnia mea bona presentia et futura. Actum est hoc et firmatum coram hiis uocatis et rogatis testibus, scilicet: Yuane de Nosdrogna, Jacobo de Velyaça et aliis.

*(Drugi rukopisi.)*

Ego Franciscus Zadulinus examinator manum misi.

Ego Vitus Jadrensis archidiaconus et notarius interfui rogatus, ut audiui hanc cartam scripsi, roboraui et signo consueto signaui.

*(Signum not.)*

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru, odio samostana sv. Krševana, cap. II. no. 14.*

## 502.

**1287, 3. augusta. U Senju.**

*Izmirenje medju Rabljanima i Senjanima.*

Instrumentum, per quod comes et communitas Arbe remittunt Segniensibus bilanciam unam cere, quam debebant dare comiti Arbe pro qualibet barca veniente pro accipiendis seu vendendis mercimoniis et petias duas sede quas tenebantur dare pro qualibet barca seu zoppo conducente sedam — et Segnienses versa vice Arbensibus remittunt IV parvunculos[1], quos debebant habere ab Arbensibus sibi vendentibus vinum in taberna Segne de qualibet .... quam sui iustitiarii darent seu numerarent, quem dacium Arbenses concedunt comiti et successoribus.

*Bullettino VI. 8.*

## 503.

**1287, 1. septembra. U Zagrebu.**

*Pred zagrebačkim kaptolom prodaju plemići iz Bročine svoje posjede u Graduši i Germaniću Stjepanu banu za 120 maraka.*

Capitulum Zagrabiensis ecclesie omnibus presens scriptum inspecturis salutem in domino sempiternam. Ad uniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod constitutis in nostri presencia ab una parte comite Elya et magistro Petro seruientibus nobilis uiri Stephani bani filii comitis Stephani vice et nomine eiusdem domini sui, ab altera uero Draguan filio Herne, Herenk filio Obrad et Wolk filio Jako de Graduch, item Bratk filio Petk, Gordona filio Wydozlov et Wolkoy filio Guduzlov de Germanichi nobiles de Brochina; predictus Draguan et ceteri de parte sua prenominati terram suam hereditariam Graduch nuncupatum metis distinctam infrascriptis, item Bratk et alii similiter de parte sua prenominati terram suam hereditariam Germanigy(!) nuncupatam eciam metis infrascriptis distinctam, confessi sunt se uendidisse et tradidisse prefato Stephano bano et per eum suis heredibus heredumque successoribus iure perpetuo possidendas et habendas pro sexaginta

[1] i. e. denarios 4. de parvulis.

marcis, Draguan scilicet cum proximis suis prenotatis pro triginta marcis, Bratk uero cum proximis suis similiter pro triginta marcis denariorum Zagrabiensium receptis ab antedicto Stephano bano plenarie, sicut dixerunt, obligantes se iidem uenditores ad expediendum ipsum Stephanum banum ab omni, si quam racionem ipsarum terrarum contra eundem oriri per quempiam contingeret inposterum, questione, cum suis propriis laboribus et expensis, saluis et integris hiisdem uenditis terris apud dictum Stephanum banum cum utilitatibus et pertinenciis earundem vniuersis remanentibus. Prima meta terre Graduch, sicut homo noster et partes una cum eodem retulerunt, incipit in valle Cobyldol uocata iuxta fluuium Brachyna(!), inde uersus septemtrionem per paruam viam eundo peruenit ad montem Wyherdobrotyn dictum, inde tendit ad fluuium Golobynnyk et per eundem fluuium descendendo per magnum spacium peruenit ad arborem quercus., inde adhuc ex parte septemtrionalis(!) eundo uenit ad duas arbores quercus, inde in fluuium Behov ibique est meta terrea, inde per eundem fluuium superius usque ad caput fluuii, inde ad montem iuxta quandam vineam Martini, inde per eundem montem ad duas arbores quercus, inde tendit inferius uersus orientem iuxta vineam cuiusdam nomine Toleen, inde cadit in fluuium Brochyna ubi est arbor eguerfa et per ipsum fluuium asscendendo peruenit ad priorem metam ubi distingitur medietas terre Gradruch (!), alterius uero medietatis eiusdem terre Graduch prima meta incipit iuxta duas arbores quercus sitas super vineam Toleen, tendit per montem uersus septemtrionem, uenit ad arbores quercus, inde super aliam vineam cuiusdam Draguani nomine ubi sunt due mete terree, inde uersus orientem descendit in fluuium Brochyna ubi est arbor pro meta fyzfa, inde aquam transeundo ad quendam monticulum ubi sunt due mete terre, inde per planiciem tendit ad fontem Woloych nuncupatum, inde ad quandam vineam desolatam Malsee uenit in fluuium Bruznik, transeundoque eundem uenit per vallem ad arborem berekene, inde uadit ad fluuium Zuynchy uocatum, inde in vallem Cobyldol, inde in fluuium Brochyna, inde descendendo per ipsum fluuium in magno spacio uersus occidentem uenit ad duas arbores quercus, scilicet primas metas. Prima autem meta predicte terre Germanigy nuncupate, sicut similiter homo noster una cum partibus nobis retulerunt, incipit iuxta siluam Toloztovchelov uocatam de fluuio Bruznyk uocatum(!) tendens uersus occidentem et transiens eundem fluuium uenit ad prefatam vineam Malsa, inde ad pontem Wolaych, inde in fluuium Brochyna ubi est arbor salicis, inde ad montem iuxta vineam Dragani predicti ubi est meta terrea, inde per eundem montem uersus septemtrionem in paruo spacio uenit ad duas metas terreas, inde ad alium maiorem montem asscendens, descendensque uersus

*

occidentem circuit quandam vallem et flectitur iterum uersus septemtrionem per viam ducentem supra fontem Petyn, inde ad vineam pertinentem ad grangyam abbatis de Brochina ubi est meta terrea, inde per viam Klanch uocatam ubi uertitur ad orientem et cadit in riuum Petyn ubi est arbor nucis, inde ad montem Goriche uocatum, inde ad quandam paludem, inde ad vineam ecclesie sancti Martini de Brochina, inde in fluuium Brochina ubi riuus Torbochyn cadit in eundem fluuium Brochyna, et per eundem riuum Torbochyn asscendens venit ad viam quandam per quam procedens venit ad fluuium Blagusugy, inde asscendens per viam super locum Lokowischa peruenit ad duas arbores quercus ubi sunt due mete terree, inde reuertitur ad priorem metam. In cuius rey memoriam presentes ad instanciam parcium concessimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum in festo beati Egidii confessoris, anno domini M⁰CC⁰ octuagesimo septimo.

*Original u kr. ugar. drž. arkivu u Budimpešti M. O. D. L. 33.732 Stara signatura · N. R. A. fasc. 1533 no. 15. — Pečat zajedno s vrvcom otpao.*

*Wenzel Cod. dipl. Arp. cont XII. 462—4. po istom izvorniku. — Fejér Cod dipl Hung. V. vol. 3. 390. imade kratki regest po Ann. dipl. Fejervario-Jankovich. III. no. 155. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. IX. 457. donosi regest iz budim. komor. arkiva. — Kukuljević Reg. no. 1405.*

## 504.

**1287, 17. septembra. U Rači.**

*Priznaje se Mirku Vitomerovu u Virovitici, da je kraljevskom darovnicom oslobodjen od javnih daća.*

Magister Herricus dilectis sibi universis comitibus, officialibus et collectoribus de Wereuce pro tempore constitutis salutem et graciam. Cum possessionem et iura comitis Emrici filii Wythomerii in Wereuce existencia, eidem reliquerimus pleno iure, eundem ab omni exaccione collecte et debito exhimentes (!), prout tempore domine regine ipsam possessionem tenuit et possedit, universitati vestre precipiendo mandamus, quatenus dictum comitem Emricum et populos suos nullus vester contra hanc graciam et dileccionem nostram sibi factam presummat in aliquo molestare, quia ipsam(!) in libertate per eandem dominam sibi concessam

volumus conservare. Datum in Racha, quarto die exaltacionis sancte crucis, anno domini M⁰CC⁰ octuagesimo septimo.

*Original u arkivu knezova Esterhazya. Na ledjima ostanci pečata. Cod. dipl. patrius VIII. 253. no. 204.*

## 505.

**1287, 6. oktobra. U Zagrebu.**

*Antun biskup zagrebački vraća kaptolu zagrebačkomu pravo imenovanja prebenda kod stolne crkve, kojim se njegov pretšastnik Timotej nepravedno služio.*

Anthonius diuina miseracione episcopus Zagrabiensis omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad uniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod cum in ecclesia nostra Zagrabiensi, more aliarum ecclesiarum, mansionariorum seu prebendariorum sacerdotum esset raritas seu defectus, tempore sancte ac pie memorie domini Thymothei predecessoris nostri nonnulli ex fratribus nostris canonicis dum uiuerent, aliqui eciam in sua ultima voluntate volentes et prospicientes pie huiusmodi defectui prouidere, affectantes cultum diuini numinis salubriter augmentari, de bonis a deo sibi collatis prebendarios seu mansionarios sacerdotes ad continuum officium cori et misse beate virginis disposuerunt et ordinauerunt ac [eisdem] in possessionibus et vineis, curiis ac aliis bonis ad sustentacionem predictorum sacerdotum, prebende nomine ordinantes et huiusmodi prebendariis seu mansionariis . . . . . . . decedentibus ipsas prebendas vacantes fratres nostri de capitulo ab inicio contulerunt ex debito sibi iure conpetenti, et interdum venerabilis pater dominus Tymotheus episcopus predecessor Zagrabiensis [in collacione] predictarum prebendarum decedencium sacerdotum usus fuerit aliquo tempore, ex qua eciam collacione dicti fratres nostri turbabantur et interdum . . . . . . . . . . . per sacerdotes . . . . . . . . . . . quorum aliqui pro eo, quod fratres nostri in collacione prefatarum prebendarum nichil iuris habere dicebantur, prout iidem sacerdotes propter eorum elocacionem fratribus nostris insultantes [frequenter allegabant] ipsos in eos iuris nil habere, propter quod eciam ipsi sacerdotes fratribus nostris eciam in ipsis diuinis exequendis obtemperare interdum contumaciter denegabant, prout ex ipsorum fratrum nostrorum ueridica relacione didicimus et querela. Nos itaque ex officio cure pastoralis nobis diuinitus commisso, prefatorum

fratrum nostrorum karissimorum, ut tenemur, remediis inuigilare cupientes uolentesque ipsorum scandala remouere, nam dum eorum honera excutimus, dum scandala remouemus, nos in eorum quiete quiescimus et fouemur in pace. Ad iustam peticionem [fratrum] nostrorum et quia fuit equitati proximum et conssonum (!) racioni, uoluimus et decreuimus in pleno capitulo unacum ipsis fratribus nostris, ut deinceps sicut prius usi fuerunt in collacione . . . . . . . . . prebendarum perpetuo et libere utantur pleno iure, maxime cum huiusmodi redditus prebendaliales, prout est pretactum, de bonis fratrum nostrorum canonicorum processisse [et provenisse omnino] dinoscantur, et quod huiusmodi prebende non nisi personis constitutis in sacerdocio, non tamen canonicis et in ecclesia continue residere uolentibus per capitulum et [per nullum alium] conferantur; quorum eciam prebendariorum seu mansionariorum sacerdotum sicut institucio, ut prediximus, sic et destitucio ad capitulum plene pertineat, si forte in sacrificiis adeo existerent negligentes, uel alias ipsorum excessus, quod non optamus, ipsorum proteruitas mereretur. Et ut hec nostra ordinacio seu decretum inconcussa stabilitate seu perpetua firmitate in posterum inuiolabilis perseueret, presentes nostras litteras exinde concessimus sigilli nostri autentici munimine roboratas. Datum Zagrabie, in octauis sancti Mychaelis archangeli, anno domini millesimo CC. octoagesimo septimo.

*Original, na kojem je svilena ružičasta vrvca bez pečata u arkivu kaptola zagrebačkog fasc. 92. br. 47.*

*Farlati Ill. sacr. V. 383. –4. s istim lakunama. — Kerchelich Hist. eccl. Zagrab. 93. – Katona Hist. crit. VII. 942. — Kukuljević Reg. no. 1407. — Tkalčić Monum. episc. Zagrab. I. 219.—220. i Monum. civit. Zagr. I. 57.—58.*

## 506.

**1287, 13. oktobra. U Zagrebu.**

*Ivan sin Arlandov poklanja cistercitskomu samostanu sv. Jakoba svoje zemljište kod Save Podgradje zvano, zatim mjesto gdje je obitavao nekoč sv. Martin (Podsusjed) s kapelom bl. d. Marije.*

Capitulum ecclesie Zagrabiensis universis quibus expedit in fide ac reverencia dei constitutis salutem in eo, qui vere penitentibus veniam largitur peccatorum. Interest salvandorum divini cultus invigilare sagaciter incrementis, et ad ea, per que memoria dei nominis augeatur in tempo-

ralibus aspirare. Igitur ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod nobilis vir comes Johannes filius Arlandi de genere Agha, anime sue salubriter cupiens providere operibusque pietatis diem extreme prevenire messionis, ad nostram personaliter accedens presenciam confessus est oraculo vive vocis se quandam particulam terre sue sub Podgradia hereditarie, contiguam aque Zawa, metis distinctam infrascriptis, cum loco quem olim beatus Martinus vitam colens heremiticam inhabitasse refertur, et cum capella sub honore gloriose virginis ibidem constructa, circa quam eciam in concavitate cuiusdam ardui montis constructum est altare sub titulo prefati sancti dei, nec non cum montibus, campis, aquis, nemoribus aliisque utilitatibus ad predictam terre particulam pertinentibus contulisse, tradidisse et assignasse religiosis viris, fratribus videlicet seu monachis ordinis chisterchiensis universis, investiens quamprimum virum deo amabilem fratrem Johannem tunc abbatem de insula sancti Jacobi, plena, libera et perpetua ac irrefragabili possessione loci et terre utilitatuumque suarum predictarum vice et nomine universitatis fratrum presencium futurorumque ordinis prenotati, ob reverenciam beate virginis ac predicti santi dei volens predictum locum divino officio per fratres memorati ordinis decorari, conferrens prenominato abbati et fratribus suis nunc presentibus et futuris claustrum et grangiam secundum morem professionis ipsorum facultatem libere et pacifice ibidem construendi Addidit eciam eisdem fratribus locum pro hedificando molendino in rivulo per vallem Podgradya decurrente. Ut autem fratres dicti ordinis ipsam terram pacifice possederant et quiete, sepefatus comes Johannes assumpsit eosdem fratres et populos ipsorum in eadem terra pro tempore existenti a descensu banali ac collectis ponderum et marturinarum, recipiens eosdem in terciam partem marturinarum sibi de more regni approbato cedentem expedire. Astiterunt eciam nobiles viri Nicolaus et Achk, fratres scilicet dicti comitis Johannis carnales, qui huiusmodi collacionem per fratrem ipsorum ex pia devocione et salubri proposito factam consensu suo ratificantes et approbantes pari admiserunt voluntate. Prima autem meta predicte terre collate, sicut nobis per hominem nostrum fidelem quem ad circuendam ipsam terram metasque eiusdem inspiciendas ad parcium instanciam miseramus et per easdem partes nobis constitit, incipit in valle prenominata a quadam petra iuxta vineolam quandam supradicte capelle a plaga orientali adiacente, inde ascendit montem versus occidentem et procedens per eundem venit ad quandam collem petrosam ubi sunt arbores kerchi novelle, inde vadit versus eandem partem et pervenit ad arborem tilie sub qua est meta terrea, inde procedens ad eandem partem occidentis pervenit ad arbores nyr ubi est meta terrea, inde adhuc versus occidentem per verticem montis

procedens venit ad foveam quandam, inde directe descendit ad locum ubi aqua Crapina cadit in Zawam, inde descendens per Zawam versus meridiem in magno spacio venit ad insulas quasdam sitas in medio Zawa, et in fine extreme insule exit de Zawa in nemus et venit transiendo idem ad viam ducentem ultra Zawam, per quam viam procedens versus septemtrionem venit ad frucectum arborum alni prope viam, inde iuxta paludem quandam procedens per campum venit ad locum Prauischa vocatum situm circa viam magnam, per quam procedens versus occidentem, remanente terra collata fratribus memoratis a sinistris, venit ad locum ubi rivulus prenotatus cadit in Zawam, per quem rivulum ascendens per vallem versus septemtrionem, supradictis capella, loco et terragio collatis fratribus sepefatis a sinistris, venit ad priorem metam. In cuius rei memoriam, certitudinem et stabilitatem perpetuam presentes ad instanciam parcium contulimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum in quindenis beati Mychaelis archangeli, anno domini MCC octuagesimo septimo.

*Iz prepisa kaptola zagrebačkog od g. 1321. -1557. u arkivu kaptola zagrebačkog.*

*Tkalčić Mon. episc Zagr. I. 220.—221. i Mon. civit. Zagr. I. 59.—60. — Kukuljević Reg. no. 1408.*

## 507.

**1287, 25. oktobra. U Rimu.**

*Kardinal Komes prepisuje bulu pape Klementa IV. (od god. 1268. 5. juna.)*

Uniuersis presentes litteras inspecturis Comes miseracione diuina tituli sanctissimi Marcellini et Petri presbiter cardinalis salutem in domino. Noueritis nos uidisse, legisse et diligenter inspexisse litteras felicis recordacionis domini Clementis pape IIII-ti non abolitas non cancellatas non uiciatas nec in aliqua parte corruptas, imo verra(!) bulla cum filo serico pendenti bullatas. Quarum tenor talis est: *(Slijedi bula pape Klementa IV. od god. 1268. 5. juna.)* In cuius rei testimonium presentes litteras fecimus sigilli nostri munimine roborari. Datum Rome apud sanctam Sabinam, VIII. kalendas nouembris, anno domini MCC° octogesimo septimo.

*(Drugi rukopis.)*

Et nos Michael dei gracia archiepiscopus Antibarensis protestamur cum domino Comite cardinali eadem vidisse et diligenter inspexisse, per quod sigillum nostrum pro fideli testimonio duximus apponendum.

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru, odio samostana sv. Dominika no. 2160 — Na listini visi o končanoj vrvci ovalni pečat utisnut u crvenom vosku (kardinalov); nadbiskupov pečat je otpao.*

## 508.

**1287, 3. novembra.**

*Braća Matija, Kalenda itd. daruju Drašku i Stjepanu neku zemlju.*

In nomine Christi. Anno nativitatis eiusdem millesimo, ducentesimo octuagesimo septimo, indictione quinta decima, die tertio . . . . . . mensis novembris, presente Mixa olim Petri [Parosic] calafato et aliis Farensibus, tempore illustris domini Johannis Dandulo ducis Veneciarum, et venerabilis patris domini Duymi dei gratia Farensis episcopi, ac nobilis viri domini Roberti Quirini potestatis Fare et Brace, et eius iudicum Marini Luce et Desisclauo et Vidosio Volcedrugi Ibique Matheus et Calenda et Scloba et Andreta fratres et Scimosa soror eorum filii quondam Andree ex certa sciencia et animo deliberato . . . . . . . . . . . . dixerant se obligatos [sine causa set] occassione seruiciorum, quod receperunt a Drasco et Stepano [filio] . . . . . ideoque volentes prouidere ad remuneracionem per se suosque heredes causam [eam] tradiderunt in convivos], hoc est, quod amplius reuocare non possit, eisdem Drasco et Stepano et pro eorum heredibus, vnius pecie terre aratiue in insula . . . . . . . . in loco sec[o] iuxta vineam specialem[1] sancti Andree de Pelago ab vno latere, et V[ice spurianus] ab alio et viam comunis a tercio, ad habendum, tenendum et posidendum et quicquid eisdem Drasco et Stepano et eius heredibus placuerit faciendum sine eorum et . . . . . . . . . . . . . . . nec alterius partis condicione; cum omnibus accessibus et recessibus et iuribus cum quibus ipsi habebat(!), ita vt deinde ipsi posint agere, petere, [cavare] . . . . . . . omnia alia et singula facere, que ipsi donatores facere [poterant et s[ingulis] eis verbum in tenutam intrandi acceperunt et concesserunt ac tradi(derunt)] omnia eorum iura et acciones reales et personales, que habebant in ipsa [(terra) tradita et eos procuratores tamquam in suam rem constituerunt, q . . . locum suum posuerunt]. Quam autem donacionem traditam, con-

[1] Vučetićev prijepis: episcopalem.

cessam et datam et omnia alia et singula supradicta dicti domini donatores [per stipulationem] per se eorumque heredes predictis Drasco et Stepano et eorum heredibus firma et rata habere et tenere et non contrauenire, [sed] ab omni ingerenti et contradicenti persona cum racione defendere et expedire sub pena dupli dicte terre[2] vendite siue tradite et donate veluti pro [ullo] . . . meliorata fuerit aut magis valuerit in laudem bonorum virorum et restituere eis expensas, quas fecerint in defendendo dictam rem et [in faciendo ipsos donatores et eorum heredes sic observatos] et pro hiis atendendis omnia eorum bona obligauerunt [donec hec omnia sic fuerint observata].

*(Drugi rukopis.)*

Ego Robertus Quirini potestas Fare et Brace subscripsi.

*(Signum not.)*

Ego Smeriolus de Gato[3] sacri palacii notarius et nonc(!) dicti comunis Fare .canzellarius hiis presens interfui et subscripsi.

*Original u kaptolskom arkivu biskupije u Hvaru. Listina je taninom oštećena. Lakune označene [ ] popunjene su po prijepisu prebendara Vučetića, koji je ovu listinu prije porabe tanina prepisao.*

## 509.

**1287, 12. novembra.(?)**

*Ban potvrdjuje Marku sinu župana Povše povlastice, da potpadaju samo banovu sudu.*

. . . . . . . . . . [banus tocius] Sclauonie memorie commendantes significamus] vniuersis quibus [expedit per presentes, quod] Mark filius comitis Pousa tam pro se quam pro fratre suo carnali [accedens ad nostram] presenciam exhibuit nobis litteras patentes capituli Chasmensis continentes . . . . . . . . . ., quod in priuilegio incliti regis Ladislai et patentibus litteris eiusdem et in priuilegio Nicolai bani filii Stephani et patentibus litteris Petri bani per magistrum Gueche fratrem comitis Pousa prefati patris Mark memorati exhibitis uidissent plenius contineri, quod idem dominus rex Ladislaus ipsum magistrum Gueche et comitem Pousa fratrem suum nec non vniuersos populos eorum in Crisiensi et Symigiensi comitatibus ex ista parte Draue, videlicet in

[2] Vučetićev prijepis: rei
[3] » » Contaro.

Wrbona et Charaburda et Rascina existentes, pro gratuitis et meritoriis seruiciis eorundem a iudicio et iurisdiccione comitis Crisiensis pro tempore constituti et de collecta septem denariorum, que racione lucri camere annuatim dari consueuit, perpetuo duxerit exhimendos de gracia speciali, reseruans seu relinquens eosdem comitem Pousam et magistrum Gueche ac populos dumtaxat iudicio bani tocius Sclauonie qui fuerit pro tempore constitutus, ut in nullo articulo comes Crisiensis ipsos uel populos ipsorum prefatos presumpmat uel audeat iudicare; continebatur eciam in litteris capituli antedicti ipsum capitulum recepisse litteras Junk comitis Crisiensis habentes in se tenorem priuilegii regis Bele felicis recordacionis super aurea bulla super relaxacione collecte septem denariorum prefate. Vnde cum propter auctoritatem prefatorum priuilegiorum regalium et banalium, patenciumque litterarum ipsorum, cum eciam quia prefatus Mark filius comitis Pousa prenominati cum dicto Johanne fratre suo, sicut per dominum episcopum Zagrabiensem nobis constitit, corone regie et regno tempore necessitatis inmensa fidelitatis seruicia inpendissent, seriem prefatarum litterarum capituli memorati ratam et firmam habentes, dignum duximus ipsam roborandam ita pariter et . . . . dam, quod iidem magister Mark et frater suus Johannes ac omnes populi eorundem in supradictis possessionibus existentes . . . . . . t in aliquo articulo in presenciam comitis Crisiensis . . . . . per quempiam con . . . . . . . . . ; preterea a prefata [collecta septem] denariorum perpetuo sint exempti. Datum feria quarta proxima post festum beati [Martini] (?) confessoris, anno domini M° CC° [oc]togesimo septimo.

*Original vlagom na mnogo mjesta učinjen nečitljivim u kr. ug. drž. arkivu u Budimpešti: M. O. D. L. br. 35.842., bivša zbirka Kukuljevićeva, pod g. 1297. Na hrptu vidi se trag pritisnuta okrugla pečata.*
*Kukuljević Reg. no. 1409.*

## 510.

**1287, 21. novembra. U Rimu.**

*Nadbiskup dubrovački uzimlje zajam u ime svoje i nadbiskupije od rimskih trgovaca.*

In dei nomine amen. Anno a natiuitate Christi millesimo ducentesimo octuagesimo septimo, indictione prima, XI. kalendas decembris, apostolica sede vacante, in presencia mei Bartholomei notarii et testium

subscriptorum. Venerabilis frater Bonauentura diuina miseracione archiepiscopus Ragusinus in Romana curia constitutus, confessus est et recognouit suo nomine et nomine ecclesie Ragusine, pro suis necessariis et pro negociis et utilitatibus dicte ecclesie in Romana curia faciendis, se in ueritate et non spe future munerationis mutuo recepisse et habuisse et sibi traditos et solutos esse a Jacobo de Tone et Francisco et Leonardo filiis ipsius Jacobi, ciuibus et mercatoribus Romanis, et a quolibet eorum in solidum quingentos quinquaginta bonos florenos de auro et pura sorte sine fraude et fictione aliqua usurarum, de quibus se bene solutum, quitum et contentum uocauit, exceptioni non tradite, non numerate et non solute pecunie . . . . . commutando. Quos siquidem quingentos et quinquaginta bonos florenos de auro dictus archiepiscopus et eius precibus et mandato dominus Leonardus Faletro plebanus plebis sancti Juliani de Veneciis Castalene diocesis, magister Juuenalis canonicus Narniensis capellanus venerabilis patris fratris Latini episcopi Ostiensis, et dominus Moresente plebanus Clugie minoris Cluginensis diocesis, constituentes se quilibet eorum in solidum principales debitores et pagatores, per legitimam stipulationem promiserunt quilibet eorum principaliter et in solidum reddere et soluere dictis mercatoribus uel alicui eorum in solidum aut ipsorum uel alicui eorum procuratori in curia Romana usque ad kalendas iunii proxime uenturas. Quidem si dicta florenorum auri summa dictis loco et tempore mercatoribus, ut dictum est, integre soluta non fuerit, promiserunt debitores prefati quilibet eorum principaliter et in solidum stipulatione predicta omnia dampna, constamenta, interesse et expensas, qui et quas dicti mercatores occasione predicta uel pro ipsa pecunia recuperanda incurrerent et sustineret in iudicio et extra eas, ut dictum est, simul cum dicta sorte integre reddere et plenarie resarcire, de quibus promiserunt credere et stare simplici uerbo alicuius dictorum mercatorum siue procuratoris ipsorum uel alicuius eorum sine iuramento uel alia probacione et iudicis taxacione. Volentes et concedentes, quod a dicto termino in antea, si pecunia ipsa soluta non fuerit, possint super predictis quilibet in solidum in omni terra et foro coram quocunque iudice, quem dicti mercatores eligerent libere conueniri et ad solucionem faciendam compelli, et quod quilibet dictorum mercatorum sine aliorum procuracione possit a quolibet ipsorum debitorum in solidum pecuniam ipsam cum dampnis, constamentis, interesse et expensis petere et exigere et recipere cum effectu, et finem et quietacionem inde facere, ita quod solucione uni eorum facta dicti debitores sint ab omnibus absoluti, et uno ipsorum debitorum soluente, alii sint penitus absoluti. Pro quibus omnibus et singulis, ut dictum est, firmiter obseruandis et adimplendis dictus archiepiscopus se ipsum et

successores suos et dictam ecclesiam Ragusinam et omnia sua et dicte ecclesie bona, et alii debitores prefati quilibet in solidum se ipsos et heredes suos et omnia bona sua mobilia et immobilia, ecclesiastica et mundana, presentia et futura dictis mercatoribus cuilibet eorum in solidum nomine et iure pignoris et ypotheca specialiter obligarunt; que bona constituerunt se dicti debitores etc. etc. Insuper dictus archiepiscopus ad sancta dei evangelia iurauit predictam pecuniam reddere etc. Actum Rome in hospicio, ubi archiepiscopus morabatur etc.

*(Signum notarii.)*

Ego Bartholomeus de Corsine Florentine diocesis auctoritate apostolica notarius predictis interfui et ea rogatus scripsi et publicaui.

*Original u dubrovačkom arkivu. Zbirka saec. XIII. — Pečat otpao samo ostaju pergamenske vezice.*

## 511.

**1287, 5. decembra. U Spljetu.**

*Suci spljetske kurije uvode samostan sv. Benedikta u posjed vinograda Mihajla Leonarda.*

In nomine dei eterni amen. Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo octogesimo septimo, indicione quinta decima, die quinto intrante decembri, regnante domino nostro Ladislao serenissimo rege Vngarie. Temporibus domini Johanis venerabilis Spalatensis archiepiscopi, domini Mladeni Stepconis de Briberio incliti comitis, Petri Leonardi, Thomassi Duscicçe, Theodosii Alberti iudicum. Judices supradicti intromisserunt dominam Stannam abbatissam monasterii sancti Benedicti et eius conuentum in vineam, que fuit Michaelis Leonardi, que est apud ecclesiam sancte trinitatis, quam pastinauit filius Persone pro duodecim libris denariorum paruorum, quas libras dictum monasterium habere debebat pro testamento Leonardi filii ipsius Michaelis et pro testamento Stane ipsius Michaelis filie ad pacandum se dicta domina abbatissa cum suo conuentu de musto et de fructu ipsius vinee computando, secundum quod mustum ibidem in locis propinquioribus uendetur, et quod dictam vineam dimittere non debeant, quousque de predictis plene non fuerint paccate libris. Actum est hoc in platea presentibus Leonardo Riççii, Georgio Slouinne et pluribus aliis.

*(Drugi rukopis.)*

Ego Lucanus Dese examinaui.

Ego uero domnus Lucas canonicus et iuratus notarius Spalatensis hiis interfui et de mandato predicte curie scripsi et roboraui

*(Signum not.)*

*Original u arkivu samostana sv. Marije u Zadru.*

## 512.

**1287, 10. decembra. U Spljetu.**

*Stjepan Damasci mijenja sa sakristanom stolne crkve i župnikom sv. Ivana svoju zemlju u Špinuncu za zemlju u Poljudu.*

In nomine dei eterni amen Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo octogesimo septimo, indicione quinta decima, die decimo intrante decembri, regnante domino nostro Ladislao serenissimo rege Vngarie. Temporibus domini Johannis venerabilis Spalatensis archiepiscopi, domini Mladenni Stepconis de Briberio incliti comitis, Petri Leonardi, Thomassi Dusciççe, Theodosii Alberti iudicum. Stephanus Damasci de consensu Jacobi archidiaconi et tocius capituli ecclesie Spalatensis gambium (!) fecit cum Dominico sacrista sancti Domnii et plebano ecclesie sancti Johannis de Basicilicis . . . bona et utriusque partis uoluntate, dedit siquidem dictus Stephanus eidem sacriste et plebano predicte ecclesie sancti Johannis nomine ipsius ecclesie terram suam, que est in Spinu[n]ço prope terram predicti capituli et iuxta terram que fuit Sikççe Kaçette, et accepit ab ipso sacrista et plebano ipsius ecclesie pro ipsa sua terra aliam terram ipsius ecclesie sancti Johannis, que est in Paludo prope terram ipsius Stephani et iuxta terram heredum Johannis Cindri. Vocans se quelibet parcium bene contentam et plene paccatam; dans quelibet parcium parti alteri plenam potestatem tam dictus Stephanus sacriste [et] predicto plebano, quam ipse sacrista et plebanus terram receptam et in se habitam perpetuis temporibus habendi, posedendi, uendendi, donandi et quicquid sibi placuerit faciendi. Promittens dictus Stephanus dictam suam terram eidem ecclesie ab omni persona defendere et excallumpniare cum bonorum suorum obligacione, et dictus sacrista similiter ipsam terram ipsius ecclesie predicte eidem Stephano cum bonorum ipsius sue ecclesie obligacione. Actum in ecclesia sancti Domnii, presentibus donno Radosio primicerio, Micha diacono, Madio Duimi et aliis

Ego Jançius Doymi filus (!) examinaui conscius.

Ego uero donnus Lucas canonicus et iuratus notarius Spalatensis hiis interfui et vtriusque partis uoluntate rogatus de consensu domini archidiaconi scripsi et roboraui.

*(Signum not.)*

*Original u arkivu kaptola u Spljetu a. 1287. (XVI. 1,257).*

## 513.

**1287.**

*Pred kaptolom zagrebačkim ustanovljuje se prodaja zemlje u okružju Gore.*

Capituli Zagrabiensis litera privilegialis in anno domini millesimo CC° octuagesimo septimo confecta declarabat, quod nobili viro magistro Ratolto filio Lorandi bani bone memorie, tam pro se quam eciam pro nobili viro magistro Matya fratre suo uterino, ab altera vero parte magistro Petro serviente nobilis viri Stephani bani filii comitis Stephani bani vice et nomine eiusdem domini sui personaliter coram ipso capitulo Zagrabiensi constitutis, idem magister Ratulch(!) confessus fuisset se et prenominatum fratrem suum terras eorum Peed et Stupnicha vocatas in districtu de Gora existentes, ad se invicem conterminatas, quas una meta sicut dixisset ambiret et ocluderet, vendidisse propria et spontanea voluntate eidem Stephano bano et per eum suis heredibus ac heredum successoribus cum pertinenciis et utilitatibus earumdem universis proprie et irrevocabiliter possidendas, pro quadringentis marcis plene sicut dixisset receptis assumssisset et obligasset se idem magister Ratold et fratrem suum memoratum ad expediendum ipsum Stephanum banum et heredes ipsius propriis laboribus et expensis ab omni questione racione dictarum terrarum processu temporum per quempiam movenda. Quarum quidem terrarum mete, sicut fidelis homo dicti capituli Zagrabiensis per ipsum capitulum ad inspiciendum et distinguendum easdem per certas metas destinatus, rediens demum eidem capitulo indicasset et in scriptis presentasset presentibus commetaneis annotate(!), modo et ordine in eisdem literis dec[larato sicut in ei]sdem itteris dicti capituli continetur.

*Spomen u originalnoj presudi zem. suca Nikole Seča od god. 1383. 7. novembra u kr. ugar. državnom arkivu u Budimpešti. M. O. D. L. no. 33.734. Stara sign. N. R. A. fasc. 953. no. 9.*

*Cod. dipl. patrius. VIII. 255—256. no. 206 — Kukuljević Reg. no. 1411.*

## 514.

**1287.**

*Pred kaptolom kujskim (Kevense) oprašta se miraz.*

Universis Christi fidelibus praesens scriptum inspecturis capitulum ecclesiae . . de Kv, salutem in vero salvatore Ad universorum notitiam praesentium volumus pervenire, quod Jacobus filius P . . . . . coram uno fratre nostro, quem ad hoc pro testimonio miseramus, professus est viva voce dotem matris suae, quae Herrico comiti nupserat, ipsi Herrico comiti ex suo beneplacito relaxasse propter honorem et opera bona ex parte Herrici comitis eidem exhibita. Ut igitur huius facti memoria robur obtineat perpetuae firmitatis, praesentes concessimus sigillo nostro roboratas et alphabeto intercisas. Datum anno domini MCCLXXX septimo. Luca praeposito, Symone lectore, Jacobo cantore, Gabriele custode, ceterisque fratribus in ecclesia dei ministrantibus.

*Fejér Cod. dipl. Hung. V. 383.—384.*

## 515.

**1288, 7. marta. U Dubici.**

*Radislav ban vraća topuskomu samostanu otok Timpor na Uni, koji je nepravedno uživao njegov brat Dionisije ban, a i on sam.*

Nos Radizlaus banus tocius Sclauonie significamus tenore presencium quibus expedit universis, quod cum terram, que dicitur insula Tympor sita iuxta fluvium Wn, post obitum ipsius Tympor fratri nostro Dyonisio bano bone memorie et nobis postmodum mediantibus instrumentis regalium litterarum remansisset, nobisque eandem diu per plura tempora, quorum memoria non exstat, pacifice possidebamus(!) et tenentibus nemini (!) vivencium de nobilibus regni Sclauonie contradicente vel pro ipsa nobis adversante, venerabilis pater frater Jacobus dictus abbas et conventus ecclesie Toplicensis literas privilegiales domini regis super ipsa terra confectas nobis presentarunt, quarum tenore viso et intellecto, prout vidimus in ipsis literis plenius contineri, considerantes esse illicitum et incongruum, ut terra ecclesie Toplicensis per nos aliqualiter occupetur vel inpediatur, reddidimus eandem terram et restituimus ecclesie Toplicensi perpetuo rehabendam et possidendam eo modo, quod

nec per nos nec per nostros successores seu aliquos de nostra generacione aliqua impeticio, questio seu requisicio pro terra prefata possit fieri contra ecclesiam Toplicensem. In cuius rei testimonium presentes literas nostras concessimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum in Dobicha, in dominica letare, anno domini MCCLXXX octavo.

*Privileg. monaster B V. Mariae de Toplica, no. XXXIV.*
*Tkalčić Monum. episcop. Zagr. I. 221.—222.*

## 516.

**1288, 27. marta. U Budimu.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski nalaže općini grada Zagreba, da kuću što darova Stjepan ban izruči sugradjaninu Gilionu.*

Ladizlaus dei gracia rex Hungarie fidelibus suis iudici, iuratis et uniuersitati civium de Monte Grecensi salutem et graciam. Noveritis, quod Stephanus banus tocius Sclauonie dilectus et fidelis noster, coram nobis constitutus, palacium suum quod habet in castro Grecensi dedit, contulit Gilioni comiti concivi vestro pro fidelitatibus et serviciis sibi inpensis. Quare fidelitati vestre precipiendo mandamus, quatenus ipsum palacium Stephani bani sicut idem sic et vos eidem Gilioni statuere et assignare debeatis, aliud non facturi pro nostra gracia et favore. Datum Bude, in sacro sabbato.

*Tkalčić Monum. civit. Zagr. I. 60.—61. — Kukuljević Reg. no. 1414.*

## 517.

**1288, 8. aprila. U Braču.**

*Sud bračkі dosudjuje zemlju Dobro Žirje Mikši Petraniću.*

In nomine Christi amen. Anno natiuitatis eiusdem 1288., indiccione prima, die 3. mensis aprilis. Temporibus illustris et egregii domini Johannis Danduli dei gracia ducis Venetiarum, ac nobilis ac potentis viri domini Ruberti Quirino potestatis insularum Phare et Bracie. Intorta questione inter Clementem Grubisse et Mixam Petranich de insula Bracie super quandam terram vocatam Dobro Zirje, nobilis vir Franciscus Polani miles et vicarius in Bracia domini potestatis Ruberti, existens super loco

differencie una cum suis iudicibus de Bracia, nobilibus Cherusio Obelgano, Debrezza et Ciprigna Prodani, adiudicavit et sententiavit cum eis post audicionem testium et lecturam scripturarum dictam terram de Dobro Zirje et pertinere Mixe Petranich in presencia Mathei Jurjevich, Climpse Dobranich nobilium de Bracia et Pauli Osoris nobilis et habitatoris de Phara.

Et ego Crasorus filius Petri de Spalato iuratus scriba communis Bracie scripsi et manu mea roboravi.

*Ciccarelli Osservazzioni sulla isola della Brazza. 112.*
*Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont. IV. 335. — Kukuljević Reg. no. 1415.*

## 518.

**1288, 8. jula. U Budimu.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski pristaje uza sinove Stjepana bana, koji priznavaju dar svoga brata palače u Zagrebu.*

Nos Ladizlaus dei gracia rex Hungarie memorie commendamus significantes universis, quod Nicolaus banus filius Stephani bani, pro se et pro magistro Paulo fratre suo coram nobis personaliter constitutus, palacium eorum desolatum, quod habent in castro novi montis Greech, quod quidem palacium Stephanus banus frater ipsorum comiti Gilioni pro fidelibus serviciis suis contulerat, eidem reliquerunt perpetuo et pacifice possidendum, ymo et ipsi contulerunt, sicut Stephanus banus frater eorum dinoscitur contulisse, quorum nos collacioni annuimus et consensum adhibuimus regio cum favore. Datum Bude, in quindenis sancti Johannis baptiste, anno domini MCC octuagesimo octavo.

*Original u arkivu jugoslavenske akademije u Zagrebu.*
*Tkalčić Monum. civ. Zagr. I. 61. no. 70. — Kukuljević Reg. no. 1417.*

## 519.

**1288, 9. augusta.**

*Pred vašvarskim kaptolom zamjenjuje ban Nikola svoje imanje Egerwar za Položnicu imanje palatina Ivana.*

Nos capitulum ecclesie beati Mychaelis archangeli de Ferreo castro significamus vniuersis quibus expedit presencium per tenorem, quod

Nicolaus banus filius Stephani bani ab una parte, Johannes palatinus ex altera coram nobis personaliter constituti, in possessionibus suis inferius exprimendis tale concambium duxerunt faciendum, quod idem Nicolaus banus filius Stephani bani castrum suum Egarwar uocatum cum possessionibus ad idem spectantibus et pertinenciis vniuersis earundem possessionum dedit et reliquit Johanni palatino perpetuo possidendum eo modo et iure, sicut per eundem fuerat detentum et possessum. E conuerso autem dominus Johannes palatinus in concambium ipsius castri et possessionum predictarum castrum suum Polosnicha uocatum et omnes possessiones suas empticias in comitatu Garygh existentes cum omnibus utilitatibus suis et pertinenciis uniuersis assignauit, dedit et locauit predicto Nicolao bano similiter perpetuo iure irreuocabiliter possidendas. Obligantes se, ut si a quaque racione predicti castri et possessionum predictarum partes inquietate seu molestate fuerint, tenentur se uicissim expedire in alterutrum propiis laboribus, sumptibus et expensis; assumpmentes eciam possessiones in alterutrum mutuatas indempniter medio tempore conseruare, donec predictus Nicolaus banus filius Stephani bani duos nobiles unum vltradrawanum et alium ab ista parte Drawe et testimonium Chazmensis ecclesie, Johannes vero palatinus similiter duos nobiles unum ultradrawanum et alium ab ista parte aque Drawe ac hominem capituli Castri Ferrei super prefatas possessiones mutuatas adduxerint, qui uiri prenominati et testimonia capitulorum concambium possessionum partis minoris ualoris existens cum parte maioris ualoris concambium habente coequabunt. Datum in vigilia beati Laurencii martiris, anno domini MCC° octuagesimo octauo.

*Original u arkivu grofova Festetića u Keszthely-u: »Castri Ferrei« no. 2. — Na hrptu starim pismom: »concambium super Egurwar et Polosnycza«.*

*Cod. patrius V. 70—1. VI. 334—335.*

## 520.

**1288, 18. augusta. U Reati.**

*Nikola IV. papa zapovijeda Bonaventuri nadbiskupu dubrovačkomu, da dužda mletačkoga sklone makar izopćenjem, da ne otimlje crkvama u Istri njihova dobra.*

Nicolaus episcopus seruus seruorum dei venerabili fratri archiepiscopo Ragusino salutem et apostolicam benediccionem. Habet nostris auribus

inculcata relacio, quod dilecti filii nobilis vir dux . . . et commune Venetorum ad occupacionem bonorum et iurium Aquilegensis ecclesie manus auidas extendentes, Parentinam, Emonensem et Justinopolitanam ciuitates ac sancti Laurencii Montone et Gresignane, Pirani, insule Mugle aliaque nonulla castra, terras, villas et loca in Istrie partibus constituta, que ad eandem ecclesiam pertinere dicuntur, et in quibus venerabilis frater noster . . . patriarcha Aquilegensis iurisdiccionem omnimodum optinere proponitur temporalem, per violenciam occuparunt eaque detinent, taliter occupata nonnulla castrorum et villarum ipsorum illicitis ausibus data licencia nequiter destruentes, alias patriarche ecclesieque predictis ac venerabili fratri nostro . . . episcopo et ciuibus Tergestinis ac aliis suis adherentibus coadiutoribus in hac parte per incendia et rapinas dampna maxima et graues iniurias inferendo, in eorundem patriarche et ecclesie ac aliorum predictorum non modicum preiudicium et grauamen. Quam ob rem instigante humani generis inimico inter patriarcham et quamplures illarum parcium nobiles ac alios ecclesie predicte vassalos et adherentes eisdem ex parte vna, et ducem ac commune predictos ex altera grauium discordiarum et guerrarum discrimina sunt ut asseritur suscitata, quorum occasione grandia personarum et animarum pericula, multimoda dampna rerum retroactis contingere temporibus, et ne grauiora contingant ulterius, verisimiliter formidatur. Unde nos ex debito pastoralis officii volentes huiusmodi obviare periculis et animarum profectibus prouidere, cupientes eciam, ut ciuitas Veneciarum, que tanquam filia benediccionis et gracie sincere deuocionis affectum ac solide fidei puritatem erga Romanam ecclesiam anteactis noscitur habuisse temporibus in pacis pulchritudine sedeat et in requie opulenta quiescat, prefatos ducem et commune per alias nostras sub certa forma litteras rogamus, monemus et hortamur attente, ut ipsi tanquam viri pacifici mentes suas et animos habilitantes ad pacem, ipsosque apostolice sedis beneplacitis coaptantes, attendentes eciam quam dispendiosum animabus et saluti contrarium fore conspicitur aliena contra iusticiam detineri quodque locum sibi non vendicat peccati remissio, ubi ablati restitucio non precessit, ea, que in hac parte patriarche, ecclesie, episcopo, ciuibus et aliis adherentibus fautoribus et sequacibus memoratis per eosdem ducem et commune, uel per alium aut alios sunt ablata, eis sublato difficultatis obstaculo restituere non postponant, a quibusuis nouitatibus, inuasionibus et insultibus per eos vel per ipsorum eciam stipendiarios et adherentes in hac parte eis ac fautores, coadiutores et sequaces ipsorum contra illos aut aliquos vel aliquem eorundem et terras ipsorum penitus abstinendo ac reuocando, nichilominus alios eorum stipendiarios vel armatos, qui prouinciam Istrie in dampnum patriarche, episcopi et

ciuium ac aliorum predictorum ad statum ipsius prouincie perturbandum, sicut asseritur, sunt ingressi, sic idem dux et commune in premissis omnibus laudabiliter et efficaciter processuri, ut zelatores pacis et amatores concordie per effectum operis se demonstrent, nosque deuocionem et obedienciam suam, quam in hoc promptam cupimus inuenire, dignis exinde in domino laudibus attolamus. Si vero in ciuitatibus, castris, villis, terris et locis eisdem credunt se aliquod ius habere, coram nobis infra terminum in predictis litteris comprehensum per syndicum seu procuratorem ydoneum ad hoc ab eisdem duce et commune specialiter constitutum comparere procurent. Nos enim qui sumus omnibus in iusticia debitores, parati sumus facere ipsis super hys exhiberi iusticie complementum. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus pro nostra et apostolice sedis reuerencia huiusmodi negocium prompto assummens animo et personaliter te Venecias conferens, ducem et commune prefatos ad huiusmodi restitucionem et reuocacionem stipendiariorum seu armatorum predictorum faciendam, quodque ipsi per se ac eciam per eosdem stipendiarios, adherentes, fautores, coadiutores et sequaces eorum a quibusuis nouitatibus, inuasionibus et insultibus prorsus abstinere procurent, ex parte nostra iuxta datam tibi a domino graciam moneas et inducas, eos, si opus fuerit, ad restitucionem et reuocacionem eosdem per censuram ecclesiasticam appellacione remota compellendo, nichilominus, quod per se ac eciam stipendiarios et alios supradictos a nouitatibus, inuasionibus et insultibus quibuscunque omnino abstineant, et ut ipsi stipendiarii seu armati de prouincia ipsa se absentent, censura simili compescendo, predictis duci et communi apercius expressurus, quod si forte in ciuitatibus, castris, villis, terris et locis prefatis ius aliquod, sicut predicitur se habere contendunt, compareant per syndicum vel procuratorem idoneum infra predictum terminum coram nobis paratis facere ipsis complementum iusticie exhiberi. Quod autem fieri contigerit in hac parte, nobis per tuas litteras harum seriem continentes studeas plenius explicare. Datum Reate, XV. kalendas septembris, pontificatus nostri anno primo.

*Original u dubrovačkom arkivu; pečat dobro sačuvan. — Rukopis u zem. arkivu u Zagrebu: Bullarium Ragusinum 247.—250. Opaska: »Pendet bulla plumbea, Nicolai 4.«*

*Raynaldi Ann. ad a. 1288. §. 19. — Kandler Cod. dipl. Istrie ad a. 1288. — Theiner Mon. Slav. Mer. I. no. 139. 104—105. — Potthast Reg. pont. no. 22.779. — Kukuljević Reg. no. 1421.*

## 521.

**1288, 5. septembra. U Reati.**

*Nikola IV. papa opatu Mihajlu, neka biskupa kotorskoga radi nepravda učinjenih Dominikancima šalje na sud u Rim.*

Nicolaus episcopus servus servorum dei dilecto filio . . . abbati monasterii sancti Michaelis de Peclina Ragusine diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Petitio dilectorum filiorum . . . prioris et fratrum ordinis Predicatorum Catharensium nobis exhibita continebat, quod cum ipsi ac quondam Urbanus tunc eorum prior, dudum in ecclesia sancti Bartholomei Catharensis, eis a venerabili fratre nostro Dompnio episcopo Catharensi de voluntate ac assensu eiusdem ecclesie patronorum pro loco ipsorum, qui alias in civitate Catharensi artissimum locum habebant, liberaliter de novo concessa divina officia celebrarent, et per quendam eorum fratrem presbiterum missarum sollempnia in honore dei et beati Dominici confessoris facerent celebrari, predictus episcopus conversus in arcum perversum contra factum proprium veniendo, associatis sibi quibusdam presbiteris, ad ecclesiam ipsam et usque ad eius altare, non absque multorum astantium, qui illic convenerant ad sollempnia huiusmodi audienda, scandalo, rabie hostili et ira concitatus accessit, et retrahens manu propria ipsum presbiterum celebrantem, cum iam in huiusmodi sollempniis incepisset dicere Sursum corda, illum sanguine cruentando, ac postmodum dictum Urbanum priorem per caputium suum capiens adeo ipsum constrinxit fortiter percutiendo, eum iam per ipsum episcopum prostratum ad terram usque ad effusionem sanguinis ictibus pugno pluries, quod dictus Urbanus occasione huiusmodi percussionum ei a prefato episcopo illatarum infirmitatem maximam, et deinde continue egrotando mortem noscitur incurrisse, reliquos fratres afficiendo verberibus et contumeliosis verbis. Nec hiis contentus idem episcopus mala malis accumulans emissis in altum vocibus dicere cepit: Venite post me omnes et eiciamus fratres extra terram et eorum locum penitus deleamus; sicque cum predictus episcopus ad hostia ecclesie sancti Pauli Catharensis, ubi dictorum fratrum prior locus habetur, cum presbiteris aliquibus pervenisset, a se modestia episcopali penitus relegata, hostia ipsa violenter aperuit, ac postea hostio cuiusdam domus ipsius loci extra cardinem, fracto repagulo, temere iam deiecto, fratrem Savinum conversum dicti ordinis, dei timore postposito et amore, atrociter verberavit, alias predictis fratribus dampna et iniurias

non modica inferendo, contra eos factis diversis processibus, et contra tenorem privilegiorum suorum apostolicorum diversis excommunicationum sententiis contra iustitiam fulminatis in anime sue periculum et dictorum prioris et fratrum non modicam iniuriam, preiudicium et gravamen. Nos igitur huiusmodi gravamina predictorum fratrum et iniurias, si veritate nitantur, quantumcumque foret ipsi episcopo deferendum, nolentes sub equanimitate transire, ne forte transiret aliis in exemplum, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si tibi per famam vel indaginem constiterit de premissis, eundem episcopum ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra quatuor menses post citationem tuam personaliter compareat coram nobis, facturus et recepturus super hoc quod iustitia suadebit. Diem vero citationis et formam et quicquid super hoc duxeris faciendum, nobis per tuas litteras harum seriem continentes studeas fideliter intimare. Datum Reate, nonis septembris, pontificatus nostri anno primo.

*Theiner Monum. Slav. Mer. I. 105. no. 140. Iz reg. orig. Ang. I. ep. 125. fol. 30. — Potthast Reg. pontif. II. no. 22.794.*

## 522.

**1288, 20. septembra. U Dubrovniku.**

*Papinski legat Nikola potvrdjuje dominikancima dubrovačkim darovnice crkve svete Marije u Brskovu.*

Vniuersis presentes litteras inspecturis frater Nicolaus permissione diuina sacrosancte Jerusolimitane ecclesie patriarcha, ecclesie Anconitane minister humilis ac apostolice sedis legatus salutem in domino. Notum facimus, quod nos litteras venerabilis patris in Christo domini D[omnii] dei gracia episcopi Chatharensis ipsius sigillo pendenti munitas, prout prima facie aparebat, vidimus in hec verba: *(Slijedi listina od g. 1285. 7. oktobra[1]).* Item alias vidimus litteras, quarum tenor de verbo ad verbum talis erat: *(Slijedi listina od god. 1285. 17. oktobra[2]).* In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum Ragusii, in vigilia beati Mathei apostoli et euangeliste, anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo octauo.

*Original u arkivu dominikanskog samostana u Dubrovniku. Končanc vrvce ostale ali pečat otpao.*

[1] U ovom prijepisu pisano je ime darovatelja: »Heinç de Biberanis«.

[2] U ovom prijepisu opet: »Heiç de Piberanis«.

## 523.

**1288, 26. septembra. U Reati.**

*Nikola IV. papa biskupu ninskomu, neka pošalje u Rim nesuglasne izbornike biskupa makarskoga.*

Nicolaus episcopus servus servorum dei venerabili fratri . . . episcopo Nonensi, et dilectis filiis . . . abbati monasterii sancti Grisogoni Iadrensis et . . . archidiacono Spalatensi, salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii capitulum ecclesie Morinensis in Dalmatia, qui apud ecclesiam castri Sibenici Morinensis diocesis residere dicuntur, petitione monuerunt, quod olim civitate Morinensi a scismaticis Grecis destructa, bone memorie Morinensis episcopus, qui tunc erat, dictique capitulum et clerus eiusdem civitatis se ad predictum castrum Sibenici, quod propinquum dicte civitati fuisse dinoscitur, transtulerunt, ubi dictum capitulum fuerunt per longa temporum spatia commorati, et adhuc permanere noscuntur, dictusque episcopus ad quoddam monasterium positum in villa, que Tragurium nuncupatur, accessit, ac in eadem villa diem clausit extremum; sed cum dicta ecclesia Morinensis post prefati episcopi obitum pastore multo tempore vacuisset, prefatis capitulo ipsi ecclesie providere non curantibus de prelato, clerici prefate ville Traguriensis pretendentes ius ad se eligendi successorem dicti episcopi pertinere, ac si Traguriensis ecclesia existeret cathedralis, quendam in Traguriensem, ut dicebant, episcopum elegerunt. Demum autem diversis temporibus successive diversi a memoratis Morinensi capitulo electi fuerunt, et super confirmationibus electionum huiusmodi varie a sede apostolica littere impetrate, in quibus ipsi se capitulum prefate Sibinicensis ecclesie nominabant, dicentes, quod in eadem Sibinicensi ecclesia, pastore vacante, dicte electiones ab eis fuerant celebrate, licet nulla electionum ipsarum, variis intervenientibus casibus, extiterit confirmata. Ille quidem, qui penultimo fuit a capitulo predictis electus, electionem suam per metropolitanum loci confirmari, et per aliquod temporis spatium pacifice administrationem Morinensis episcopatus gessit. Prefatis clericis dicte ville Traguriensis per prescripta tempora quosdam alios eligere presumentibus, qui ab eis vocabantur Tragurienses electi, quorum electiones dictus metropolitanus de facto dicitur confirmasse et consecrationis munus eorum aliquibus impendisse. Demum autem dicti capitulum Morinense se memorate Sibinicensis ecclesie nominantes, dilectum filium Leonardum Faletro plebanum ecclesie sancti

Angeli de Venetiis, virum providum et honestum ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, in Sibinicensem episcopum concorditer elegerunt, sed Gregorius, qui ultimo fuit a clericis memoratis electus et per prefatum metropolitanum confirmatus et consecratus, administrationi dicti episcopatus temere se ingessit et ingerere non veretur. Occasione vero contentionis, que super huiusmodi iure eligendi episcopum inter prefatos capitulum et clericos est taliter habita, inter habitatores dictorum locorum Sibenicensis et Traguriensis adeo gravis discordia est exorta, quod ex ea strages hominum et alia multa pericula provenisse dicuntur. Quare memorati capitulum nobis humiliter supplicarunt, ut finem huiusmodi questionibus imponentes, predictum ius eligendi Moriensem(!) episcopum declarari ad ipsos capitulum pertinere, dictisque clericis imponi perpetuum silentium super illo, et alias in huiusmodi procedi negotio, prout ius exigit, faceremus. Nos itaque attendentes, quod causa huiusmodi de maioribus causis existit, quarum examinatio et decisio ad Romanum pontificem noscitur specialiter pertinere, ac per hoc volentes causam ipsam tractari apud sedem apostolicam et fine canonico terminari, discretioni vestre per apostolica scripta monemus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel per alium seu alios tam eosdem Gregorium et Leonardum, quam clericos prefate ville Traguriensis predictos, et quoslibet alios, qui sua crediderint interesse, ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra sex mensium spatium post citationem huiusmodi per se, vel per procuratores ydoneos cum omnibus actis, iuribus et munimentis suis dictam causam contingentibus apostolice se conspectui representent, facturi et recepturi super premissis quod ordo dictaverit rationis. Diem vero citationis et formam et quicquid inde feceritis, nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimetis. Datum Reate, VI., kal. octobris, pontificatus nostri anno primo.

*Lucius Memorie di Traù 134.—135. — Theiner Mon. Slav. I. no. 141. str. 105. Iz reg. An. I. ep. 218. fol. 52. — Farlati Illyr. Sacr. IV. 456. — Fejér Codex dipl. Hung. VII. 4, 209. — Potthast Reg. pont. II. no. 22.818. — Kukuljević Reg. no. 1473.*

## 524.

**1288, 30. septembra.**

*Miroslav Herkuk ostavlja samostanu remetskomu kod Zagreba u ime zadužbine posjed Kratki dol kod potoka Blizne.*

Capitulum Zagrabiensis ecclesie universis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in domino sempiternam. Ad universorum noticiam volumus pervenire, quod cum duos fratres nostros viros fidedignos ad instanciam Myrozlay filii Herchuk, tunc quadam corporis infirmitate prepediti, sani tamen mente, nec non fratrum Firmyni prioris et Petri procuratoris heremitarum domus beate virginis prope Zagrabiam misissemus ad eundem, idem Mirozlaus coram dictis fratribus nostris presentibus, volentibus et consencientibus Micula filio suo ac Jelen filio Wros tunc maiori ville Grechensi(!), pro domina consorte sua Margaretha nomine, nepte videlicet dicti Mirozlay, quandam particulam terre sue hereditarie de Blizna arabilem Crathky dol vocatam et aliam particulam desuper a meridie eidem adiacentem continentem arbores castanearum metis inquam particulas subscriptis inclusas donavit, contulit et assignavit propter reverenciam beate virginis animeque sue ob remedium et salutem domui et conventui predictorum heremitarum iure perpetuo inrevocabiliter possidendas et habendas. Quarum particularum prima meta sicut dicti fratres nostri inspexerint et nobis retulerint incipit ab ortu solis a quadam arbore nucis iuxta viam magnam, inde procedens versus occidentem per eandem viam magnam venit ad aliam arborem nucis, a qua inter ipsas terras donaticas et terras castrenses Rados scilicet filii Gerdeskh et Gerdyzlai filii Gerdozlaii venit ad arbores nucis novellas, inde versus meridiem per fossatum antiquum ascendens venit ad vineam Gan latini et pervenit ad viam veterem ad lapidem album, circa quem sunt tres arbores castanee, inde per eandem viam in latere montis versus orientem procedens venit ad arborem piri sitam a dextris iuxta ipsam viam, inde descendens versus septemtrionem venit ad arborem castanee, a qua similiter descendendo ad fossatum et ad terram arabilem pervenit ad priorem metam. Astiterunt eciam dictis fratribus nostris supradicti Rados et Gerdyzlaus commetanei dicte terre, qui predictas metas rectas et iustas habentes suum consensum collacioni huiusmodi sine contradiccione prebuerunt. In cuius rei memoriam et certitudinem presentibus ad instanciam parcium sigillum nostrum duximus apponendum.

Datum quinta feria proxima post festum beati Michaelis archangeli, anno domini MCC octuagesimo octavo.

*Original, na kojem modra svilena vrvca visi bez pečata, jest u kr. zem. arkivu u Zagrebu. Nekoč · Acta monasterii Remetensis fasc. 1. br. 1.*

*Tkalčić Monumenta episc. Zagr. I. 222.—223. i Monum. civit. Zagr. I. 61—62. — Kukuljević Reg. no. 1424.*

## 525.

**1288, 18. oktobra. U Trogiru.**

*Grad Trogir ugovara s banom Pavlom i njegovom braćom.*

In nomine omnipotentis dei amen. Anno eius nativitatis 1288., indictione I., pontificatus domini Nicolai papae 4. anno primo, die 18. mensis octobris. Nobilis miles dominus Rainaldus Georgei de ciuitate Firmana potestas ciuitatis Traguriensis de licentia, consensu et voluntate generalis consilii hominum de consilio dicte ciuitatis Traguriensis in palatio ciuitatis predicte de mandato dicti potestatis voce preconio et sono campane congregatorum, vt moris est, et ipsum consilium totum communiter et concorditer eorum nemine discrepante fecerunt, constituerunt, ordinauerunt dominum Dessam Amblasii presentem eorum et dicti communis sindicum ad fideiussionem et obligationem statuendam, eorum et dicti communis nomine et singularum personarum dicte ciuitatis de quinque millibus librarum denariorum venetorum paruulorum tantum, e[t] pro parte dicto communi contingenti de sexcentis librarum venetorum paruulorum illius anni, quo continget Almissium exire sub dominio et de dominio ac potestate dominorum Pauli bani, comitum Georgei et Mladeni et heredum eorum, pro magnificis viris dominis Paulo, comitibus Georgeo et Mladeno predictis Giliolo de Sannino notario, sindico et procuratore domini ducis et communis Venetorum stipulanti et recipienti pro dicto communi Venetorum, quod predicti tituli domini Paulus banus, comes Georgeus et comes Mladenus attendent et obseruabunt pacem, pacta et promissiones facta seu factas et facienda vel faciendas per eosdem dominos cum dicto sindico domini ducis, vt de ipsis pactis et promissionibus patet publico instrumento scripto manu Francisci de Turdaina notarii, vel aliis faciendis per predictos dominos fratres predictos que apparebunt scripta manu cuiuscumque notarii, et ad obligandum se nomine dicti communis et singularum personarum predicto sindico domini ducis et communis Venetorum fideiussorio nomine predictorum dominorum fratrum, quod predicti fratres attendent et obseruabunt et attendi facient pacta et

promissiones predicta vel predictas seu faciendas, vt scriptum apparet manu dicti notarii vel apparebit manu cuiuscumque notarii sub pena quinque millibus librarum venetorum paruulorum tantum, et in dicta quantitate obligando dictum commune et singulares personas dicte ciuitatis non vltra, vt supradictum est, et ad obligationem faciendam pro predictis, et obligandi bona communis et singularum personarum Tragurii vsque in predictam quantitatem tantum. Ac etiam ad stipulandum et recipiendum nomine communis et singularium personarum dicte ciuitatis et pro ipsis communi et singularibus personis stipulationes, promissiones et obligationes a predictis dominis Paulo bano, comitibus Georgeo et Mladeno ac etiam ab hominibus et communi de Almissio, et quod ipsi et quilibet eorum et dictum commune in solidum omni tempore conservabunt dictum commune et singulares personas dicte ciuitatis indemnes a domino duce et communi Venetorum de dictis obligationibus et quibuscumque aliis factis et faciendis pro parte dicti communis et singulis factis et faciendis per ipsos dominos communi Venetorum et per ipsum sindicum pro dictis dominis Paulo, Georgeo et Mladino fratribus et eorum heredibus cum promissionibus et obligationibus bonorum et penarum prout ei domino sindico placuerit et videbitur expedire, et specialiter ad omnia et singula promittendum, stipulandum et recipiendum a predictis fratribus, scilicet Paulo bano, Georgeo et Mladino fratribus et communi Almissi et cum dicto sindico Venetorum, que eidem sindico videbitur expedire in predicta, circa predicta et predictorum occasione, promittentes ratum et firmum habere quicquid per dictum sindicum promissum, stipulatum et receptum atque gestum fuerit sub obligatione dicti communis.

*Lucius Memorie di Traù 123–124. — Fejér Cod. dipl. Hung. VII. 4, 206—208. — Kukuljević Reg. no. 1426.*

## 526.

**1288*, 20. oktobra.**

*Ugovor izmedju Jakina i Zadra.*

In dei nomine amen. Anno domini 1288.[1], indictione prima, tempore domini Nicolai[2] papae quarti, die 20, mensis octobris. Cum hoc

* U kopiji je datum ispisan millesimo trecentesimo octuagesimo octavo, no ta godina ne može biti, jer papa Nikola IV. živio u 13. vijeku i bio papa od god. 1288.—1292 Makušev p. 5. Indikcija I. odgovara takodjer god. 1288.

[1] millesimo trecentesimo octuagesimo octavo.

[2] Nicolay.

esset, quod inter comune[3] et homines de Ancona suosque districtuales ex parte una, et comune ac homines Jadrae[4] suosque districtuales ex parte altera discordia et contentio esset seu esse posset occasione consuetudinum, imunitatum[5] et libertatum, quibus homines ipsorum locorum in altero tractabantur vel tractari consueverant. Nobilis et discretus vir dominus Michael Michusii civis Jadrae sindicus dicti comunis nomine et vice ipsius comunis, ut patet ipsius sindicatus scriptus per Vincentium ecclesiae sanctae Mariae maioris clericum et Jadrae notarium ex parte una, et dominus Bonagiunta[6] Vitalis camerarius et civis de Ancona sindicus dicti comunis nomine et vice ipsius comunis ex parte altera, volentes et intendentes ipsa comunia et singulares ipsorum cives ad pacem veram, concordiam et unitatem reducere et[7] reformare, et ne imposterum[8] aliqua discordia vel ginzania[9] oriatur, ad infrascripta pacta et concordiam devenerunt sindici supradicti nomine quo supra, videlicet: In primis[10], quod omnes Anconitani tractabuntur per comune et homines Jadrae in hac forma, videlicet, quod omnes et singuli Anconitani sani et naufragi[11] possint et valeant instare seu morari ac redire in quemlibet et de quolibet portu Jadrae libere et absolute cum omnibus suis mercimoniis et rebus et emere et vendere sine prestatione alicuius datii, salvo tamen, quod in portu civitatis Jadrae specialiter solvant alboraticum, secundum quod solvent Jadrini in portu Anconae alboraticum eo modo et forma, prout homines de Jadra solvunt vel solvent alboraticum in Ancona; salvo tamen,[12] quod de rebus et[13] mercimoniis, que per homines de Ancona Levantis et totius Romaniae vel de aliis partibus extra gulphum portarentur et discarcharentur[14] in Jadra per homines de Ancona, quod solvant Anconitani secundum quod solvunt Jadrini portantes res et mercimonia de dictis locis et[15] discarchantes in Ancona. Item quod homines Jadrae solvere debeant alboraticum in portu Anconae, secundum quod consuetum est, semel tantum pro uno viagio, etiam si pluries oporteret eos redire in portum Anconae. Item quod si homines Jadrae venirent cum eorum sale vel empto de eorum denariis Anconam aut in Senaitas per fortunam mali temporis, possint libere et secure portare quo voluerint sine aliquo datio, dum tamen portent dictum salem in Racaneto vel a Racaneto inferius versus

[3] commune.
[4] Jadrie.
[5] inmunitatum.
[6] Bonaçunta.
[7] ac.
[8] inposterum.
[9] çiçania.
[10] imprimis.
[11] naufraghi.
[12] etiam.
[13] ac.
[14] discarcarentur.
[15] ac.

Trontum et in Senegalliam et a Senegallia superius versus Ariminum Et hoc intelligatur a finito tempore venditionis salis, qui finis est octavo die exeunte . . . . . . . . . . . proxime preteriti ad tres annos proxime venturos. Similiter Anconitani de eorum sale tractentur in portu civitatis Jadrae, quod ipsum salem possint libere detrahere de portu Jadrae ubilibet deferendum. Item quod Jadrini possint extrahere de Ancona butticellas[16] ad eorum voluntatem sine aliquo datio libere a kalendis augusti usque ad calendas[17] ianuarii. Item quod si Jadriani venerint per fortunam cum vino suo vel empto de eorum denariis in portum Anconae vel Anconitani in portum Jadrae, quod unus custos ponatur expensis dicti vini ad hoc, quod discarchari non possit. Qui custos habeat duos soldos Anconae pro die et[18] nocte et non plus, et[19] cum dicto vino possint ire quocunque voluerint libere, dum tamen dictum vinum portent extra Anconam et eius districtum et versa vice Anconitani extra Jadram et[20] eius districtum. Item quod si Jadrini per fortunam venerint in portum Anconae cum eorum frumento vel empto de eorum denariis et frumentum valeret in Ancona viginti octo soldos superius salma de Ancona, remaneat in providentia consilii de Ancona de discargando(!) vel non. Et si minus dicta quantitas valeret, possint dictum frumentum libere extrahere de Ancona, dum tamen dictum frumentum non emant nec carchent in Ancona et[21] eius districtu, et versa vice Anconitani tractentur in portu Jadrae. Item quod si Jadrini carcharent res seu mercationes infra gulfum usque Venetias, quae res seu merchationes essent hominum Jadrae sive empte de eorum denariis et venerint in Anconam cum dictis rebus et[22] mercimoniis, ipsas res et mercimonia possint libere discarcare et vendere in Ancona sine aliquo datio, quod non tollatur ab eis, neque ab his, qui emerent ab ipsis de Jadra. Et quod ipsi Jadrini res ipsas vendere teneantur hominibus de Ancona tantum, et versa vice Anconitani tractentur in civitate Jadrae, exceptis rebus [et] mercimoniis Levantis et totius Romaniae vel de aliis partibus extra gulphum undecunque dcffererentur[23] et discargarentur(!) in Ancona, solvat pro quolibet centenario quadraginta soldos Anconae, excepto lignamine undecunque venerint. Et si aliqua navis Jadrae seu aliqui Jadrini venerint cum praedictis mercibus in portum Anconae et non venderent vel non discarcarent, possint libere redire, ac etiam si navis Jadrae onerata[24] de mercibus Levantis et[25] Romaniae vel de aliis par-

[16] buctıcellas.
[17] kalendas.
[18] ac.
[19] ac.
[20] ac.
[21] ac.
[22] ac.
[23] differentur.
[24] honerata.
[25] ac.

tibus extra gulfum venerit in portum Anconae, et oporteret eos discarcare ob evidentem necessitatem, quod licitum sit ei vel eis discarcare et carcare sine datio, dummodo dicta navis vel naves vadant et[26] revertantur Jadrae tantum, et e converso Anconitani et naves Anconitanorum tractentur Jadrae. Et si Anconitani aliquo tempore prohiberent seu ordinamenta facerent, quod nullus forensis deferret aliquos merces seu res Levantis vel totius Romaniae vel de aliis partibus extra gulphum in Anconam ad certam poenam seu cum certo datio, quod Jadrenses tunc tractentur[27] in Ancona, sicut illi forenses, qui meliori conditione tractabuntur. Quae omnia et singula suprascripta promiserunt praedicti sindici nomine et vice ipsorum et[28] singularium personarum ipsorum ad invicem stipulantes ac etiam corporaliter iuraverunt ad sancta dei evangelia, attendere et[29] observare et in nullo contrafacere vel venire ratione aliqua vel occasione de iure vel de facto modo aliquo vel ingenio sub poena vel[30] in poena quingentarum marcarum argenti sollemni[31] stipulatione premissa commitenda[32] vel solvenda a parte non observante parti observanti, et[33] damnum[34] et expensas reficere sub obligatione etc. — Jacobus de Bonipedonibus Zianus, doctor cancellarius.[35]

*Varianti iz druge kopije: Statuta duanae 1345. ff. 11—12. Archivio communale u Jakinu.*

*Makušev Monum. hist. Slav. merid. I. 1., 98—102., a na str. 39—40 prijevod. — Makušev Zapiski XIX. 2. prilož. 4. p. 17.—18. — U kratko: Rački Rad XVIII. 232.—233*

## 527.

**1288, 28. oktobra. U Draču.**

*Ivan Mlečanin daje punomoć svomu prokuratoru, da mu utjera dug kod općine dubrovačke.*

✝ Anno dominice incarnacionis millesimo ducentesimo octagesimo(!) octavo, mense octubris, die vicesimo octauo, prime indictionis, apud Dyrachium. Ego Johannes doctus(!) Venetus coram Nicolao de Brund[usio] puplico(!) Dyrachii notario, tanquam in meum notarium ex certa sciencia

[26] ac,
[27] tractabuntur.
[28] ipsorum omnium (communium?) ac.
[29] ac.
[30] ac.
[31] sollempni.
[32] conmictenda.
[33] ac.
[34] dapnum.
[35] U drugoj copiji nema potpisa kancelarova. Makušev.

et expresse consensi cum scirrem(!) eum non esse meum notarium nec me esse iurisdiccionis sue et coram aliis probis viris testibus suscriptis, ad hoc specialiter conuocatis atque rogatis, constituo, facio et ordino meum procuratorem legitimum dominum Petrum Minium Venetum absentem tanquam presentem, ad petendum et recipiendum nomine et pro parte mea a comune Ragusii libras denariorum crossorum(!) venetorum duodecim, quam pecuniam predictum comune mihi dare et soluere tenetur pro quadam quantitate salis, quod eidem comuni vendidi et tradidi, dans eidem procuratori meo plenariam et liberam potestatem petendi et recipiendi nomine et pro parte mea a prefato comune predictas libras duodecim et ipsas mittendo per fidum nuncium aput(!) Venecias ad dominum Matheum Blancum aurificem, et omnia alia et singula prouide faciendi, que uerus et legitimus procurator facere potest et debet et ego ipse facerem, si illic personaliter interessem, promittens sollempni stipulacione adhibita, sub ypotheca omnium bonorum meorum, me ratum firmumque habiturum quicquid predictus procurator meus de premissis et in premissis duxerit faciendum. Ut uero presentis procuracionis scripto plena fides ualeat adhiberi, ipsum scribere rogaui prefatum Nicolaum de Brund[usio] puplicum Dyrachii notarium, signo suo solito, mera et subscriptorum testium subscripcionibus roboratum. Quod ego prefatus Nicolaus de Brund[usio] puplicus Dyrachii notarius scripsi, atque predictis interfui et meo signo signaui.

*(Signum notarii).*

*(Slijede potpisi trojice svjedoka.)*

*Original u dubrovačkom arkivu. Zbirka Saec. XIII.*

## 528.

**1288, 8. novembra.**

*Friderik knez krčki dosudjuje Rabljanima Novalju, Kissu i Loni.*

Sententia domini Federici comitis Veglie, Vinodol et Modrusse in quintum iudicem electi, inter Jadrenses et Arbenses, cum pro his essent iudices arbitri Stephanus de Galzigna et Philippus de Ginnapo, Arbenses iudices, electi a Marco Michael comite Arbe, iudicibus, consilio et comuni eiusdem civitatis — et pro Jadrensibus, Rainerio de Varicassis et Laurentio de Civalellis, electi per dominum Jacobum Theupolo, domini Laurentii Theupolo ducis filium comitem Jadre, cum iudicibus,

consilio et comuni eiusdem civitatis — per quam idem comes Federicus cum arbitris ex parte Arbensium, discrepantibus Jadrensibus, adiudicat Arbensibus, Novaliae, Kissae et Loni possessiones.

*Bullettino. VI. 8—9. - Vidi listinu br. 538 od 13. februara 1289., koja je istoga sadržaja. Po tom bi ovaj regest bio krivo datiran.*

## 529.

**1288. U Ivaniću.**

*Ivan I. biskup zagrebački potvrdjuje ivaničkim koludricama darovnicu svoga pretšastnika Stjepana II.*

Nos Johannes miseracione diuina episcopus Zagrabiensis memorie commendantes significamus vniuersis quibus expedit presencium per tenorem, quod domina abbatissa et moniales de Iwanch ad nostram accedentes presenciam nobis humiliter supplicarunt, quod nos priuilegium domini Stephani quondam episcopi Zagrabiensis predecessoris nostri renouare et ordinaciones per ipsum factas confirmare dignaremur. Cuius quidem priuilegii tenor talis est: *(Slijedi listina Stjepana biskupa zagrebačkog od god. 1246.)* Nos igitur dictarum sanctimonialium iustis peticionibus inclinati, inuenientes et attendentes ipsum priuilegium non cancellatum, non abrasum, nec in aliqua sui parte uiciatum, presentibus de uerbo ad uerbum inscribi et inseri fecimus, confirmantes ipsum priuilegium, in huius rei testimonium et perpetuam firmitatem nuncque fecimus sigilli munimine roborari. Volumus eciam et concedimus, ut nullam collectam nobis uel successoribus nostris populi monialium prefatarum soluere, nulliusque iudicio nostrorum officialium nisi nostro et domine abbatisse iudicio astare teneantur. Preterquam in causa furti, sanguinis et incendii, in quibus uolumus eosdem populos ipsarum monialium officialium nostrorum, qui pro tempore fuerint, examini subiacere, prout in supradicto priuilegio plenius est expressum. Ad hec iniungimus et precipimus vniuersis predialibus nostris et castrensibus in comitatu nostro de Iwanch constitutis, quatenus tributum fori libere uille nostre de Iwanch predictis abbatisse et sororibus suis debitum, prout temporibus predecessorum nostrorum eisdem dederunt et eciam persoluerunt, ita et nunc et in futurum plene et ex integro persoluant, ut tenentur. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes con-

cessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum in Iwanch, anno domini MCCLXXX octavo

*Original u arkivu nadb. zagr. Fundacion. Sa crveno zelene vrvce pečat otpao. — Originalna potvrda biskupa Ladislava od g 1327.*
*Tkalčić Mon. episc. Zagrab. I. 223. — Kukuljević Reg no. 1429.*

## 530.

**1288. U Požegi.**

*Pred kaptolom požeškim biva prodaja zemlje.*

Capitulum ecclesie beati Petri de Posaga omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris salutem in domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod Gregorio comite filio Zoyda ab vna parte, Zayda(!) filio comitis Mathie ab altera coram nobis personaliter constitutis; idem eomes G[regorius] confessus est uiua voce, quod quandam particulam terre sue Yelseuch vocatam, iuxta terram comitis Nicolai ab oriente adiacentem, pro debito octo marcarum, quibus supradicto Zoyde tenebatur, eidem Zoyde vendidisset perpetuo possidendam, assumpmendo eundem tenere in ipsa terra ta[m] a se, quam a filiis suis, ita quod quicunque eundem Zoydam racione ipsius terre impetere voluerit, ydem G[regorius] cum filiis suis tenebitur expedire propriis laboribus et expensis; si uero expedire non posset, de terra sua hereditaria, in alio loco vbi Zoyda voluerit terram tanti valoris et tante vtilitatis statuere debebit pro eadem. Cuius terre, sicut idem comes Gregorius dixit, prima meta incipit super Oryauicha potoka in arbore albi salicis transiens versus orientem, et transita quadam via ascendit ad Crysna glava, inde descendit ad metas et terminos terre Hursouch, et ibi per quoddam mege in latere byrch tendit versus meridiem ad arborem piri, inde peruenit ad metam t[erream], inde flectitur uersus occidentem et per vallem, que diuidit a Nicolao filio Hrank, eundo cadit in Oryauicha, et per ipsum Oryauicha tendendo superius uersus aquilonem peruenit ad quoddam molendinum, et per Oryauicha potaka(!), que in fossato eiusdem molendini currit, tendit superius et cadit iterum in magnam Oryawycha, et per ipsum magnum(!) Oryauicha peruenit ad metam antedictam, ibique terminatur. In cuius rei memoriam

firmitatemque perpetuam presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roborando. Datum anno domini M⁰CC⁰LXXX⁰ octauo.

*Original u kralj. ugar. drž. arkivu u Budimpešti: M. O. D. L. no. 1237. Stara sign. N. R. A. fasc. 555. no. 32. — Na listini nalazi se svilena uzica žute, crvene i ljubičaste boje, pečata nema.*

*Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. IX. 489—490. — Kukuljević Reg. no. 1430.*

## 531.

**1288.**

*Elizabeta kraljica ugarska i hrvatska starija vraća Jakobu sinu Ponića neka sela u županiji požeškoj.*

[E]lysabeth dei gracia maior regina Hungarie omnibus Christi fidelibus presentem paginam intuentibus salutem in salutis largitore. Ad universorum tam presencium quam posterorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod cum magistrum Jacobum filium Ponyth de genere Buzad quidam de nostris baronibus capitales inimicy(!) eiusdem nobis frequenter et asidue acusassent, non debita fidelitate nobis et filio nostro domino regi in legacionibus nostris quando ad partes meridionales(!) duxeramus transmittendum seruiuisse, nos predictorum barronum(!) nostrorum consiliis et verbis frivolis aquiescentes totam collacionem nostram, videlicet villam Chehy, tres villas Dobza in comitatu de Segusd, duas villas Orioche et Berezenyche uocatas in comitatu de Posega exhistentes(!) ab eodem revocaueramus et receperamus, et quia eciam quendam tavarnicum nostrum Paulum nomine fecerat interimi. Vnde nos super premissis omnibus certo certius sumus experti, ut hec omnia ex odii fomite contra eundem fuerant exorte(!), ut eundem a nostro servicio sub malo zelo possint separare, scientes eundem esse immunem in hoc facto et innocuum, et licet idem Paulus predictus merito fuerit interfectus, uxori et agnatis eiusdem Pauli interfecti secundum sententiam barronum nostrorum satisfecit, attendentes totam ipsius fidelitatem et servicia, que nobis a longo tempore impenderat, predictam villam Chehy, tres villas Dobza et villas Berzenyche et Oriocha nominatas reddimus et restituimus eidem ex voluntate filii nostri karissimi pleno iure perpetuo in filios filiorum possidendam(!) irreuocabiliter, sicut contuleramus ab antiquo cum omnibus utilitatibus et pertinenciis universis. Vt presens donacio robur optineat perpetue firmitatis presentes

concessimus litteras dupplicis sigilli munimine roboratas. Datum per manus magistri Laurencii prepositi de Posaga aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno gracie $M^{0}CC^{0}$ octuagesimo octavo.

*Original u arkivu narodnoga muzeja u Budimpešti. — Na listini vise o svilenoj vrvci ljubičaste boje odlomci pečata.*

*Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. IV. 312. — Kukuljević Reg. no. 1428.*

## 532.

**1288.—1289.**

*Papinski legati obavješćuju Trogirane i Šibeničane o svojem legatstvu.*

Venerabili in Christo patri domino fratri Gregorio episcopo Traguriensi, ac reuerendo viro domino Leonardo Faletro plebano sancti Angeli de Venetiis Morinensis et Sibenicensis electo, ac clericis Traguriensibus, Marcellus dei gratia episcopus Nonensis, Joannes abbas monasterii sancti Crisogoni, et Jacobus archidiaconus Spalatensis domini pape delegati seu executores ad infrascripta salutem in domino Jesu Christo. Noueritis nos a sanctissimo patre domino Nicolao papa quarto recepisse litteras formam huiusmodi continentes: *(Slijedi listina pape Nikole od 26. septembra 1288.)* Cum itaque mandatum tanti patris preterire nullatenus debeamus, sed velimus et intendimus ipsum mandatum, vt tenemur, cum effectu exequi reuerenter, auctoritate qua fungimur ex parte sanctissimi patris et domini Nicolai summi pontificis prelibati peremptorie vos citamus comuniter et diuisim vos et quoslibet alios, qui sua crediderit interesse, vt infra sex mensium spacium post citationem huiusmodi peremptorie per vos vel per procuratores idoneos cum omnibus actis, iuribus et munimentis vestris dictam causam contingentibus apostolico vos conspectui presentetis, facturi et recepturi super premissis, quod ordo dictauerit rationis. In cuius rei testimonium presentibus nostra facimus appendi sigilla.

*Ova se listina nalazi u listini od 1289. 7. aprila.*

*Lucius Memorie di Traù 121. — Farlati Ill. sacr. IV. 219. (fragment) Ibidem IV. 458. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. IX. 510—511. — Kukuljević Reg. no. 1435.*

## 533.

**1289, 1. januara. U Zadru.**

*Bratonja Sovinić obvezuje se platiti otkup svoje rodjakinje Jagode.*

In Christi nomine Amen. Anno incarnationis eiusdem M CC. LXXXVIII., indictione tertia, mense ianuario die primo, Jadere. Temporibus equidem domini Petri Gradonico incliti ducis Venetiarum, et domini Andree Galsonis venerabilis Jadrensis electi, ac domini Marini Superançi egregii comitis, presentibus Micha de Guide et Marco filio condam Petriçi Jadrensibus et aliis. Fateor ego namque Bratonia spatarius filius condam Sovinig habitator Jadere, quatenus pro redemptione Jagodde ancille domini Andree de Soppe propinque mee, promitto et obligo me cum meis heredibus et successoribus dare et solvere tibi dicto Andree et tuis heredibus et successoribus pro predicta Jagoda libras XIII denariorum venetorum paruorum hinc ad festum sancti Michaelis mensis septembris nuper venturi sub pena dupli et omnium expensarum, quas in curia uel extra feceris hac de causa, super me et omnia bona mea presentia et futura, omnibus capitulis et exceptionibus remotis; quas vero predictas libras XIII predicta Jagoda tibi non persoluit et ad persolvendum remansit de libris XXV., quomodo continetur in instrumento sue redemptionis facto per manum infrascripti notarii; licet quod dedit tibi et matri tue libras XXV, hec clausula tibi non noceat ad petendum super me libras XIII suprascriptas.

*Registar Kreste de Tarallo 1289.—1290. u arkivu pokrajin. sudišta u Zadru. — Vjesnik zem. ark. I, 166.—167. — Po indikciji imala bi ova i slijedeća listina pripasti g. 1290., ali u originalu registra dolazi pod g. 1289.*

## 534.

**1289, 6. januara. U Zadru.**

*Ivan prior sv. Mihovila na otoku Ugljanu daje na obradbu zemlje samostanske na istom otoku.*

In Christi nomine Amen. Anno incarnationis eiusdem millesimo ducentesimo LXXXVIII, indictione tertia, mense ianuario die sexto intrante, Jadere. Temporibus equidem domini Petri Gradenico incliti ducis Venetiarum, et domini Andree Galsonis venerabilis Jadrensis electi, ac domini Marini Superançii egregii comitis, presentibus Grubessa filio

condam Biçale et Ivanno vocato Açolino filio condam Druscine Jaderensibus et aliis. Fatemur nos frater Johannos prior sancti Mich[aelis] de Scopulo vna cum fratribus nostris Andrea et Radoscio et Michaele, quatenus ad pastinandum damus et concedimus vobis quidem Radoscio fabri filio condam Slauco et Pribe uxori tue habitatoribus Jadere, gonayos octo comunis de terra nostri monasterii munda et immunda posita in insula sancti Michaelis de Monte in monte Braçolli, de borea apud presaliam Pribco et de quirina iuxta presaliam Dabrogne; secundum quod presaliam fecistis, tali pacto et conditione, quod cum nostris heredibus et successoribus dictam terram pastinare et informare, colere et totam laborare teneamini, hinc ad annos decem completos sub pena librarum XX denariorum venetorum parvorum, et de omni fructu inde habito teneamini nobis et nostris successoribus annuatim dare et reddere fideliter septimum in vinea pro terratico, et partem nostram conducere nostris expensis ad ripam maris, ubi fuerit barca nostra; nec audendo sine nostra conscientia vendemiare; et si de fructibus recentibus eius vendi volueritis, septimum denarium nobis dabitis; et si ficus recentes causa comedendi domum portaueritis, de illis non teneamini; et si ius nostrum fradaveritis(!), nobis sex iperperos pacabitis nomine pene; et si ius vestrum vendere volueritis, nobis denuntiare et dare teneamini pro eo pretio, quod ab altero habere poteritis; quod si emere noluerimus, liceat postea vobis vendere et dare et pro anima indicare sicut melius potueritis saluo iure nostro. Quos octo gonaios terre predicte cum nostris successoribus vobis et vestris heredibus et successoribus excalopniare(!) in ratione promittimus ab omni persona, super nos et omnia bona predicti nostri monasterii. Que omnia suprascripta nos predictus Radoscius faber et Priba coniuges cum nostris heredibus et successoribus laudamus, approbamus ac tenere et observare promittimus.

*Registar Kreste de Tarallo 1289—1290. u arkivu pokrajin. sudišta u Zadru. — Vjesnik zem. ark. I. 170.—171.*

## 535.

**1289, 7. januara. U Zadru.**

*Hranko Savin iz Vrane daje Grizogonu krznaru svoga sina Radina u nauk.*

Die VII. intrante ianuarii, presente Gregorio de Carlaco et Grisouanne pelipario et aliis. Fateor ego namque Chrance filius condam

Sauue de Laurana, quatenus affirmo tibi magistro Grisogono pelipario filio condam Petriçoli filium meum Radinem ibidem presentem, ad standum tecum et artem tuam adiscendum et tibi fideliter seruiendum ad omnia tua seruitia et mandata circa artem tuam, hinc ad octo annos completos nuper venturos, et si furtum tibi fecerit manifestum, ego tibi tenear emendare, et si fugam tibi fecerit intra unum mensem, eum ad te conducere debeam; quod si non fecero tenea[m]ur(!) emendare libras X nomine pene et teneor dare tibi in auxilio modium I ordei et alterum grani, et quot dies in fugam defraudauerit, tot in duplum ultra terminum teneatur tibi seruire. Et ego magister Crisogonus supradictus promitto dictum Radinem filium tuum instruere artem meam bona fide et dare sibi sufficientem victum et vestitum et calceamentum per totum tempus nominatum et in finem dicti termini ipsum a me liberum dimittere cum dei benedictione et mandando sibi necessaria artis nostre, ut est nostra consuctudo. Et ego Stipane filius condam Slauco de Laurana habitator Jadre de predictis omnibus obligo me fideiussorem tibi dicto magistro Grisogono pro predictis Chranco et Radine cum filio in parte et toto, super me et omnia bona mea presentia et futura.

*Registar Kreste de Tarallo 1289—1290. u arkivu pokrajin. sudišta u Zadru. — Vjesnik zem. ark. I. 175.*

## 536.

**1289, 12. januara. U Zadru.**

*Lampridije sin pokojnog Pavla Lampridija izjavljuje, da je primio od Detajda Creste Cotopagne i supruge njegove Živete 1000 libri i obvezuje se, da će taj novac vratiti.*

In nomine domini amen. Anno incarnacionis eius millesimo ducentesimo octuagesimo octavo, mensis ianuari die duodecima intrante, indiccione secunda, Jadere. Temporibus equidem domini Johannis Danduli incliti ducis Venecie, et domini Andree Gausoni venerabilis Jadrensis archielecti, ac domini Jacobi Theupoli egregii comitis. Ego namque Lampridius filius olim Pauli de Lampridio ciuis Jadrensis fateor, quomodo recepi et habeo a vobis quidem Detaydo Creste de Cotopagna et Çyuetta iugalibus ciuibus Jadrensibus in presentia honesti et religiosi viri dompni Johannis Curtiscia abbatis dignissimi monasterii sancti Grisogoni de Jadera libras venetorum paruorum mille in pecunia numerata, quas ad presens inues-

tire debeo in carnibus porcinis, et si aliquid de dictis libris superesset, quod in carnibus porcinis non foret inuestitum, illud etiam ad presens cum consilio tui dicti Detaydi te requisito coram dicto dompno abbate inuestire tenear in eo, quod tibi melius videbitur. Et ita dictis libris omnibus inuestitis totam ipsarum inuestitionem tam carnium porcinarum quam aliarum mercium seu rerum transfretari et conduci facere teneat in Venecias, et ipsis conductis Venecias ibidem eas vendi faciam fideliter ac sine fraude testibus hiis. Subter inuesticione et mercibus venditis denarios, qui ex eis percipientur reinuestire tenear in drapparia et in aliis mercibus, qui ibi mihi uel alio meo nomine vtiliores uidebuntur; et ita ipsis denariis reinuestitis ipsam inuesticionem non mutando viagium Jadriam conducere tenear; qua conducta et vendita prefertas(!) mille libras vestras vobis dictis coniugibus uel vestro certo misso per me uel per meum certum missum hic in Jadra dare, reddere ac soluere tenear cum vna vera ac integra medietate tocius lucri uel contrarii clare facti, quod contrarium Christi . . . . . procul absit, quod cum dictis libris vestris lucratus uel consecutus fuero modo aliquo bona fideliter(!) et sine fraude et reliquam aliam medietatem eiusdem lucri uel alius(!), vt premissum est, in me retinendo. Verum tamen dictis mercibus a Veneciis Jadriam conductis, si prius, quam ipse merces forent vendite, dicte mille libre vobis forent necessarie, tunc infra vnum mensem ab illo die quo dictas libras a me coram dicto dompno abbate requisieritis, vobis hic in Jadera in presencia eiusdem dompni abbatis predicti soluere, dare ac reddere tenear; sicque hec omnia ac singula prenominata ego predictus Lampridius cum heredibus et successoribus meis vobis predictis Detaydo [et] Zyuette(!) iugalibus vestrisque heredibus et successoribus attendere, adimplere ac obseruare tenear sub pena duplici dictarum librarum expensarum omnium, quas in curia uel extra curiam feceritis hac(!) dicta super me et bonis meis omnibus habitis et habendis. Actum est hoc et firmatum presentibus hiis vocatis et rogatis testibus, videlicet: Pelegrino, Damiano, Wylaniçe et Stanco murario.

*Original u arkivu jugoslavenske akademije u Zagrebu: Diplomata a. 1288.*

*Farlati Ill. sacrum V. 84. spominje ovu listinu pod datumom u tekstu (1288. 12. januara.) — Kukuljević Reg. no. 1412.*

## 537.

**1289. 14. februara. U Zagrebu.**

*Ivan biskup zagrebački u parbi kaptola zagrebačkoga sa Andrijom dvorskim sucem biskupskim radi otoka na Savi, dosudjuje isti otok kaptolu zagrebačkomu.*

Johannes miseracione divina episcopus Zagrabiensis omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in omnium salvatore. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod cum viri discreti et honesti fratres nostri, capitulum videlicet ecclesie nostre Zagrabiensis, magistrum Andream tunc iudicem curie [episcopalis] ordine iudiciario super quadam insula inter Zawa et Zauicham existente, que quidem insula fuit quondam cuiusdam nomine Lelchech, coram nobis convenissent, dicentes ipsam insulam ad ius et proprietatem ipsorum pertinere pleno iure, et contra deum et [iusticiam et] contra privilegia venerabilium patrum predecessorum nostrorum Stephani videlicet, Philippi felicis recordacionis episcoporum fore spoliatos . . . . . . . . . . . eandem insulam per sentenciam diffinitivam sibi per nos adiudicari instantissime postularent; licet prefatus magister ˻Andreas˼ aliquamdiu per subterfugia . . . . . illam . . . racione cuiusdam privilegii venerabilis patris Thimothei episcopi pie memorie [nostri antecessor]is tam coram [venerabili patre] Anthonio episcopo . . . . . . . . . . . . . . . . . . dicte cause pl . . . . . . . . . em . . . . . . . . recognoscens se dictam insulam in preiudicium iuris fratrum nostrorum supradictorum aliquanto tempore . . . . . . . . sepefate insule renunciavit, tam eandem insulam, quam privilegium memorati Thimothei episcopi super eadem insula [emanatum] sponte et voluntarie ad manus nostras resignavit, renuncians omni iuri et accioni, si quod se insula habere credebat in eadem. [Nos ita]que inscriptis privilegiis predecessorum nostrorum, Stephani videlicet et Philippi episcoporum predictorum expresse cognovimus dictos fratres nostros in insula ius plenum habuisse et habere, et inspecto privilegio dicti Thimothei episcopi ab eisdem fratribus nostris per veri suppressionem et falsi suggestionem aliena tam exstitisse, eo quod idem privilegium nullam mencionem de prefatis privilegiis exhibitis per ipsos nostros predecessores faciebat, presertim quoniam eciam eamdem insulam prelibati fratres nostri ab annis quorum memoria non exstitit dignoscebantur possedisse, restituimus et assignavimus eisdem fratribus nostris, introduci faciendo eosdem mediante homine nostro in corporalem possessionem insule supradicte, tam prefato magistro Andree,

quam aliis quibuspiam silencium inponentes in hac parte. In cuius rei memoriam et robur perpetuum presentes eisdem concessimus litteras sigilli nosti autentici munimine consignatas. Datum Zagrabie, per manus discreti viri magistri Gogani lectoris ecclesie nostre Zagrabiensis nec non magistri notariorum nostrorum, quinta [feria] proxima post octavas festi purificacionis virginis gloriose, anno domini MCCLXXX. nono.

*Original oštećen, na njemu visi crvena svilena vrvca bez pečata u arkivu kaptola zagreb. fasc. 23. br. 44.*

*Tkalčić Mon. episc. Zagrab. I. 224. i Mon. civit. Zagr. I. 62.—63. Kukuljević Reg. no. 1432.*

## 538.

**1289, 17. februara. U Stražišću.**

*Mirovni suci uredjuju medje izmedju posjeda rapskih i zadarskih na otoku Pagu.*

C. Anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo nono, indiccione secunda, die iouis duodecimo exeunte februarii, in [N]eualia in loco qui dicitur Strasiçe. Temporibus equidem domini nostri Johannis Dandulli incliti ducis Venecie, et venerabilis Gregorii de Costiça Arbensis episcopi, ac domini Marci Michaeli egregii Arbensis comitis, presentibus testibus infrascriptis ad hec specialiter uocatis et rogatis, videlicet nobili viro domino Thoma Michaeli de confinio sancte Sophye de Veneciis, et dominis iudice Riccardo vicecomite Ueglensi, Cerne iudice Uegle condam Petri Faudarii, Francino de Barbine ciue Ueglensi, Tanto filio domini Çantini de Florentia, magistro Petro Bertaldi notario, qui debet se subscribere et aliis pluribus nobilibus Jadre et Arbi. Omnium habere memoriam et in nullo peccare diuinum est potius quam humanum, et ideo quotiens negotia coram hominibus celebrantur, dignum est, ut commendentur memorie scripturarum, ne possint ex discursu temporis obliuisci, cum ita labilis hominum memoria censeatur, quod vix post tot rerum mundialium uarietatem ultra aliquanti temporis spacium illese ualeat permanere. Ea igitur consideratione premoniti nos Fredericus comes Uegle, Vinodoli et Modrusse, ut ea que per nos et coram nobis gesta sunt ab hominum memoria non possint in posterum aboleri, per presentis scripti seriem facimus manifestum, quod cum inter communia Jadre et Arbi lites et questiones dudum diuerse et plurime uerterentur, et tandem Christi preambula gratia de communi

uoluntate et pari consensu utriusque comitis ciuitatum illarum, scilicet egregii viri domini Marci Michaeli Arbensis comitis, et egregii uiri domini Jacobi Teupoli clare memorie domini Laurentii Teupoli incliti ducis Venetiarum filii comitis Jaderensis, consiliariorum eiusdem, iudicum consiliorum et communium utriusque ciuitatis, amicabiliter et beniuole processerit facere et condere quoddam compromissum, vt patet duobus publicis instrumentis, quorum vnum factum est manu domini Viti Jadrensis archidiaconi et notarii sub anno incarnationis Christi millesimo ducentesimo octuagesimo octauo, mense madii die vndecimo intrante, indictione prima, Jadre et cetera, et alıud factum est manu Marini Menti de Martus Arbensis notarii sub eodem millesimo Arbi et cetera, et in eiusdem compromissi instrumentis fecerint et elegerint suos iudices arbitrarios pro parte communitatis Jadre nobiles viros dominos Raynerium Uaricassa et Laurentium Ciualelli, et pro parte communitatis Arbi nobiles viros dominos Stephanum de Gauçigna et Phylippum de Gennano. Et confidentes predicti domini comites et communia de nobis prenominato comite Frederico tanquam de specialissimo consanguineo et amico elegerunt nos in quintum iudicem arbitratorem, sentenciatorem et amicabilem compositorem, ut constat per supradicta publica instrumenta compromissi tali quidem modo, quod dicti quatuor iudices seu arbitri audire deberent, intelligere et diffinire questiones inter ipsa communia hactenus uentilatas in scriptis redactas secundum formam compromissi, et si dicti quatuor iudices seu arbitri discreparent aut non essent concordes uel maior pars eorum, extunc reccurrere haberent ad nos, quem in quintum arbitratorem, sentenciatorem et amicabilem compositorem communiter et concorditer elegerunt, et ubi dicti quatuor iudices arbitri non essent concordes uel maior pars eorum, tunc per nos quintum iudicem diffiniretur in omnibus, in quibus nos ipse uel duo nobiscum aut plures quatuor iudicum consentiremus, uellemus et iudicaremus ratum et firmum in omnibus penitus haberetur, et sic virtute arbitraria ipsius auctoritatis nobis ab eisdem comitibus et communitatibus date et concesse adheserimus et consenserimus quibusdam sentenciis latis per iudices nouos Jaderenses, nobiles viros dominos Uolcinam de Matafaro et Desam de Fafogna loco predictorum dominorum Raynerii et Laurencii iudicum Jaderensium substitutos, qui non potuerunt occasione infirmitatis eorum iudicio interesse in quadam non modica peccunie quantitate et possessionibus eciam quibusdam dandis per Arbense commune aliquibus Jadre nobilibus, iddem(!) commune Arbense humiliter et pacienter nostris sentenciis utpote iustis subiacuit cum effectu, quibus expletis et execucioni mandatis secundum formam compromissi ad instanciam et preces dicti domini comitis Jadrensis et com-

munitatis ipsius et domini vicecomitis Arbensis et communitatis eiusdem personaliter iuimus cum iudicibus utriusque communis superius nominatis et cum procuratoribus aduocatis eorum, scilicet dominis Laurencio Ciualelli, Bogde de Lourechna, Bitte de Petrigna, Barthe Saladino, Micha de Micusso, et Barthe de Grisogono pro parte Jadre, et dominis Creste de Piciga et Martinuscio de Slouigna pro parte Arbi, ad locum litis in termino stabilito ab utroque communi accepto et peremptorie acceptato, ubi predicta communia cum suis racionibus uniuersis sine excepcione aliqua comparere debebant ad audiendas, intelligendas et diffiniendas questiones dictorum communium dudum in loco litis siue questionis habitas, quas commune Jadre petere posset communitati Arbi, et e conuerso commune Arbi communitati Jadre, et metas et confines ponendos prout nobis videretur secundum deum et iusticiam expedire. Ibique tanquam uerus amator utriusque communis et pacis çelator per spacium dierum vndecim residenciam fecimus perscrutantes et indagantes. primo quid de amicabili composicione et concordia sicut decebat inter ipsa communia fieri posset, et postmodum quid de racione et mediante iusticia fieri similiter posset, liquido et aperte inuenimus in procuratoribus communis Arbensis eiusdem negocia procurantibus omnem obedienciam iuxta composicionem amicabilem et iuris ordinem nobis offerre condignam, qui nobis et iudicibus Arbi hostenderunt(!) raciones et iura sua tam priuilegiorum regalium quam ducalis sentencie, quam eciam diuersorum instrumentorum pro eis faciencium et iura sui communis firmancium, que nos et iudices Arbi oculata fide sepe prospeximus, licet Jaderenses iudices ipsa videre nullatenus uoluissent. Et cum nos insuper una cum iudicibus Arbi, quorum conscienciis et uoluntatibus tamquam iustis conscienciam et uoluntatem nostram adhesimus et consensum prebuimus, licet iudices Jaderenses a uoluntatibus iudicum Arbi penitus discreparent, continue et cottidie inuitaremus et moneremus procuratores aduocatos communis Jadre ac eis sentencialiter mandaremus, ut raciones et iura sua hostenderent, si haberent tam in aprobanda monstra suorum confinium per eos facta, quam sic diffusim fecerant in summa breuiter concludendo, quod totum Lonum et tota Neualia cum toto campo et totum Saglauum et tota insula quanta est et durat ex omni parte a mari vsque ad mare erat communis Jadre, dicendo, quod commune Arbi in ipsam insulam per forciam intravisset, qua in reprobanda monstra confinium per commune Arbense eis hostensa(!). Et cum ipsi Jaderenses quandam suam excepcionem proponerent coram nobis dicentes, quod non tenebantur ad ea respondere, que opponebantur per procuratores aduocatos communis Arbi, eo, quod dicebant se non esse in loco litis, cum in compromisso contineatur expresse, quod iudices utriusque com-

munis in loco litis conuenire debeant pro audiendis et terminandis questionibus utriusque communis, et requisiti a nobis et predictis iudicibus Arbi sepe sepius, ut nobis hostenderent locum litis, nichil aliud respondere uoluerunt nisi tantummodo, quod in loco litis non essent et ideo respondere nolebant, quam excepcionem, quia nichil racionabile uel acceptabile testimonium hostenderunt, iuxta iuris ordinem predicti iudices Arbi cum deliberacione consilii inanem reputauerunt et cassam, et quia iuste procedere videbantur nos eisdem iudicibus Arbi consensum nostrum prebuimus et assensum, licet in hoc Jaderenses iudices discrepassent . . . . . et precipimus eisdem consulte, sicut antea feceramus, ut nichilominus responderent oppositis et hostenderent iura sua, qui nichil inde facere uoluerunt. Et quia predicti procuratores aduocati communis Arbi nobis et iudicibus omnibus supradictis publice et manifeste monstrarunt per ydoneos et sufficientes testes fidedignos nobis et iudicibus ipsis in iudicio presentatos et a nobis et iudicibus Arbi sic de iure visu fuit diligenter examinatos, scilicet venerabilem patrem dominum Gregorium Arbensem episcopum, et dominos Creste de Piciga, Martinuscium de Slouigna, Stephanum de Forma et Martinum de Marino, qui in fide eorum testificati sunt, quod confines illi, in quibus monstra facta est per Arbenses dudum fuerant locus litis, nos concorditer cum predictis iudicibus Arbi, dictis tamen Jaderensibus iudicibus a iudicibus Arbi discrepantibus, precepimus peremptorie aduocatoribus communis Jadre, quod iura sua et raciones hostenderent, et si qua contra iura et raciones communis Arbi uellent dicere, proponerent et dicerent coram nobis, licet a nobis in hoc Jaderenses iudices discreparent, cum nobis constaret testimonio predictorum nobilium, quod confines monstre facte per Arbenses fuerant locus litis, et tamen ipsi Jaderenses nullo modo respondere uoluerunt nec hostendere iura sua. Videntes ergo aperte, quod laborabamus in uanum et arene nostra semina mandabamus, et quod nostre moniciones et iusta precepta nichil proficerent apud eos, existendo semper inobedientes et maxime utentes quibusdam eorum dillacionibus, per quas negocium potterat(!) impediri et iuris ordo turbari, volentes et cupientes ipsas controversias ad debitum finem perducere, ut omnis inter ipsa communia litis et scandali materia sopiretur, que occasione huiusmodi dudum exorta fuerat et in detrimentum utriusque partis in posterum poterat exoriri, et quia mora dampnosa esse poterat et nociua non solum de rebus, uerum eciam de personis, et quia predicti quatuor iudices a nobis sepe moniti et rogati tam super cellebranda concordia, quam unitatis, iudicio nobis presentibus et absentibus pluries conuenerunt et nichil concordie et unitatis, ut uolebamus, in eorum conuencionibus inuenerimus, sed pocius discrepacionum diffe-

rencias. Cognitis ergo causarum meritis et utriusque partis uoluntatibus examinatis, lucida ueritate comperimus in ipsarum discrepacionum differenciis, Arbenses iudices in ipsis processibus fideliter et iuste procedere, propter quod conscienciam nostram eorum conscienciis conformauimus, consensum et asensum nostrum eorundem Arbensium iudicum iudicio adherentes. Diligenti itaque deliberacione prehabita et communicato consilio sapientum, inuocata spiritus sancti gracia, nos predictus comes Fredericus quintus iudex et arbiter et nos Stephanus de Gauçigna et Phylippus de Gennano Arbenses iudices et arbitri supradicti, visis, auditis et intellectis et diligenter examinatis iuribus et racionibus communis Arbi scriptis et non scriptis, et habito respectu ad antiquam possessionem antiquissimis temporibus racione dignissime prescripcionis habitam ab Arbensibus et possessam, prout in instrumentis communis Arbensis uariis manifeste vidimus contineri, ipsis quoque Jaderensibus nichil de suis iuribus hostendentibus nec hostendere uolentibus in termino peremptorio, sic eis per predictos iudices Arbenses et nos iniunctum fuerat et de iure debebant, vnanimiter et concorditer per sentenciam arbitralem et diffinitiuam, virtute, auctoritate et potestate data nobis ab eisdem dominis comitibus et utroque communi secundum continenciam compromissi pronunciamus, iudicamus, sentenciando diffinimus et diffiniendo ac irreuocabiliter sentenciamus, quod totum Lonum et totam Neualiam cum suis pertinenciis, coherenciis et adiacenciis et totam Chissam et castrum Neualie cum suis pertinenciis, coherenciis et adiacenciis usque ad ipsos antiquos muros, qui dicuntur sancta Maricia, recto tramite usque ad mare uersus Curinam, et de inde eciam ab ipsis muris sancte Maricie recto tramite usque ad quoddam foramen uocatum sclauonice Nilça iama latine uero profundum foramen, quod est ultra castrum Neualie nominatum ex parte australi, et de inde a dicto foramine recto tramite usque ad mare uersus trauersam commune Arbense libere, quiete ac pacifice habeat, teneat et perpetuo possideat ac faciat quicquid ei placuerit in eis et de eis sine contradicione, molestacione et uexacione communis Jadre ac singularium personarum communis eiusdem in laboribus, in pascuis et omnibus aliis usibus ad suum libitum, comodum et proffectum, et ipsum commune Arbense in ueram et perpetuam tenutam et corporalem possessionem posuimus, quos quidem confines superius designatos concorditer et sentencialiter pro metis et terminis perpetuis inter utrumque commune duximus statuendos et perpetualiter obseruandos; et licet monstra confinium communis Arbensis se extendent usque ad columpnam lapideam, que est in loco qui dicitur Canalis ex parte Curine, et ex alia parte usque ad uallem que est prope ecclesiam sancti Mauri, nos tamen ipsos confines amicabiliter modera-

uimus usque ad confines et metas superius nominatas pro bono pacis et consanguinitatis pocius quam de iure, et ut predicta communia pacificam possessionem et quietum usum habeant, virtute nostre auctoritatis precipimus et sentencialiter iudicamus, quod omnia animalia hominum Jadre amodo extrahantur et educantur foris de predictis confinibus Arbi, et similiter animalia hominum communitatis Arbi amodo extrahantur et educantur foris de confinibus Jadre sub pena mille marcharum argenti secundum formam et continenciam compromissi. Et sub eadem pena precipimus sentenciamus, ut de cetero neutrum commune attemptet aut audeat uel presummat intrare nec apropriare intra dictos aliorum confines; et si predicta contrafecerint uel aliquod predictorum, pars non obseruans quociens contrafecerit, tociens cadat in penam mille marcharum superius nominatam, cuius pene solucionem taliter iudicamus partiri, videlicet, quod commune Veneciarum medietatem ipsius pene obtineat, et altera medietas communi remaneat obseruanti. Et quia sepe sepius solet contingere, quod animalia pascencia in vicinis confinibus solent alternatim pascendo confines intrare, statuimus et sentenciamus nos comes Fredericus iudex arbiter et Arbenses iudices supradicti ad tocius scandali et erroris materiam resecandam, quod si animalia hominum Jadre studiose et uoluntarie deducta fuerint intra confines Arbensium ad pascuam, et e conuerso si animalia hominum Arbi studiose et uoluntarie eciam deducta fuerint ad pascuam inter confines Jadrensium, quod pro qualibet vice soluantur tantum libre decem denariorum venetorum paruorum a quolibet transgressore, quarum decem librarum medietas sit communis Jadre et altera medietas sit communis Arbensis, et hec pena tociens iudicetur et exigatur a communi transgressoris, quociens fuerit contrafactum; quibus penis solutis uel non presens instrumentum huius nostre sentencie robur obtineat perpetue firmitatis, ad huius autem rei geste memoriam et communium predictorum cautelam ac sentencie nostre firmitatem perpetuo ualituram iussimus et uoluimus inde fieri duo publica instrumenta, vnum per manum magistri Petri Bertaldi notarii nostri comitis Frederici, et aliud per manum Jacobi de Benuenuto de Treuiso Arbensis notarii et imperiali auctoritate notariorum, qui predictis omnibus personaliter affuerunt et singula oculata fide uiderunt, que quidem instrumenta ad maiorem cautelam et euidenciam pleniorem nos predictus comes Fredericus iudex arbiter et nos Stephanus de Gauçigna et Phylippus de Gennano iudices arbitri antedicti sigillis nostris cereis pendentibus fecimus roborari et nostris subscripcionibus communiri.

Ego Fredericus comes Vegle iudex arbiter manum misi.

Ego Petrus Veglensis archidiaconus et notarius interuentu predicti

domini Stephani de Gaucingna iudicis arbitri scribere ignorantis suo nomine manum misi.

Ego Phylippus de Genano(!) iudex arbiter manum misi.

Ego Petrus condam Bertaldi imperiali gracia notarius hiis omnibus interfui et rogatus me subscripsi.

Ego Jacobus de Benuenuto de Teruisio imperialis aule ac Arbensis curie notarius predictis omnibus interfui et de mandato domini comitis Frederici et dominorum Stephani et Phylippi iudicum arbitrorum supradictorum hec scripsi, compleui, roboraui et consueto signo signaui.

*Original, kojemu manjkaju potpisi i originalni prijepis kaptola spljetskoga 1407. 14. juna na pergameni u kr. zem. arkivu u Zagrebu: Doc. medii aevi a. 1289. Posljednja alineja nadopunjena je iz prijepisa spljet. kaptola.*

*Ruich Reflesioni sull isola de Pago. I. 166.—175. i II. 76 81.*

## 539.

**1289, 27. februara. U Zadru.**

*Zadrani Prodan de Zukita i Madij de Muto povjeruju Marinu Stjepanovu Trogiraninu oslobodjenje četvorice svojih rodjaka iz tamnice trogirske.*

Die secundo exeunte februario, presentibus Micha de Martinuscio et Angelo piscatore filio condam Pellegrini Jadrensibus et aliis. Comitentes comittimus nos Prode de Çukitta et Madius filius condam Madij de Muto ciues Jadere tibi quidem Marino filio condam Stephani de Buça de Tragurio, ut pro nobis ac nostro nomine plenam habeas virtutem et potestatem in ciuitate Tragurii nos et omnia bona nostra presentia et futura obbligandi(!) communi de Tragurio usque ad libras septingentas et quinquaginta denariorum venetorum paruorum deinde inferius, videlicet: pro me dicto Prode libras quingentas, et pro me dicto Madios(!) libras ducentas et quinquaginta denariorum venetorum paruorum, occasione filiorum Petri de Dommaça de Tragurio nomine Radde et Damiani detentorum in carcere Tragurii, et Luce et Danielis, qui non sunt detenti in carcere, ad ipsos de carcere extrahendum et liberandum ac omnes suprascriptos quatuor fratres propinquos meos ad faciendum, standum et permanendum ad omnia precepta comunis, dantes tibi pro nobis ac nostro nomine illam plenariam facultatem in predictis . . . . . agendi, que aliquis verus et legitimus procurator, actor siue nuncius specialis habere posset, et in omnibus, que fuerint neccessaria, generaliter

circa premissa faciendi, sicut nosmet ipsi [si] addessemus fa[cere] possemus, omnia si necesse fuerit in animas nostras iurandi, promittentes cum nostris heredibus et successoribus ratum et firmum habere et semper tenere quicquid in predictis et singulis predictorum usque ad predictam summam librarum septingentarum quinquaginta denariorum paruorum duxeris faciendum etiam contra facere uel venire in aliqu . . . . . temporibus universis, sub obligatione omnium bonorum meorum presentium et futurorum.

*Registar Kreste de Tarallo 1289—1290. u arkivu pokrajin sudišta u Zadru. — Vjesnik zem. ark. I. 186.*

## 540.

**1289, 26. marta. U Zadru.**

*Jakob papinski delegat u poslu izmirenja izmedju Šibeničana i Trogirana, nalaže notaru Franji neka ispravi dokumenta, koja je bio krivo sastavio.*

Jacobus archidiaconus Spalatensis domini Nicolai pape IV. iudex delegatus siue executor in questione Sibenicensium et Traguriensium discreto viro magistro Francisco notario ciuitatis Spalatensis salutem in domino. Cum vos ad preces et mandatum nostrum confecissetis duo instrumenta in questione predictorum Sibenicensium et Traguriensium, que instrumenta non sunt nostra imo Romane ecclesie et summi pontificis prelibati et illa sunt culpa vestri non modicum defectiua et nullius valoris, nec confecta secundum nostrum exemplum, de quo possetis grauiter in personam puniri et specialiter quando instrumenta papalia non conficitis vt tenemini et debetis. Vobis auctoritate, qua fungimur a domino pape predicto precipimus, et sub excommunicationis pena mandamus, quam penam vos volumus incurrere ipso facto, si nostrum mandatum, quod non credimus neglexeritis adimplere, quatenus predicta instrumenta secundum exemplum quod vobis mittimus per latorem presentium, ponendo testes, diem, locum et preceptum orectenus factum per nos electo Sibenicensi et episcopo Traguriensi predictis et ipsorum responsiones infra quatuor dies a presentatione presentium conficere et emendare curetis, et ea latori presentium detis, quod exemplum est clausum nostro et meorum coniudicum sigillato sigillis, et ne moremini, si ipsi vobis non scribunt, quia non possunt nec debent, quia ab istis non habuistis aliquid in mandatis, nisi dummodo a nobis, et si predictum

nostrum mandatum neglexeritis totaliter adimplere, vos certos reddimus et securos, quod nos vna cum coniudicibus nostris vos intendimus arguere et accusare de falso, coram quo de iuro debemus et per confessionem vestram iam factam in iudicio coram notario et testibus infinitis optime nostram intentionem probabimus. Datum Jadre, die 6. exeunte martii, 1289. indictione 2.

*Nalazi se ova listina u listini od g. 1289. 7. aprila.*
*Lucius Mem. di Trah. 126. — Farlati Ill. sacrum. IV. 458. — Wenzel Cod dipl. Arp. cont. IX. 514.—515 — Kukuljević Reg. no. 1437.*

## 541.

**1289, 7. aprila.**

*Papinski delegati iskazuju svoje punomoći za izmirenje Trogirana i Šibeničana.*

In Christi nomine amen. Anno domini 1289., die septimo intrante mensis aprilis, indictione 2, presentibus nobilibus et potentibus viris dominis Tharabotto de Tharabottis Spalatensi potestate, Jurissa filio Radoy Petro filio Nicolai et Simone Siculi Sibenicensis et aliis pluribus testibus vocatis ad hec specialiter et rogatis. Nobilis vir dominus Cepregna iudex Sibenicensis presentauit et dedit magistro Francisco notario Spalatensi ex parte venerabilis domini Marcelli episcopi Nonensis, ac religiosi viri domini Joannis abbatis monasterii sancti Chrisogoni Jadrensis, ac discret uiri domini Jacobi archidiaconi Spalatensis domini Nicolai pape 4 iudicum delegatorum seu executorum in questione Traguriensi et Sibenicensi quoddam exemplum citationum factarum venerabili patri domino . . . episcopo Traguriensi et nobili viro domino . . Sibenicensi electo per predictos executores clausum et sigillatum tribus sigillis ipsorum sanis et integris, semper dicendo et protestando, quod placeat eidem magistro Francisco scribere, facere et complere totum illud, quod continetur in exemplo predicto, cuius exempli tenor de verbo ad verbum talis est. Istud est exemplum citationum, quod nos Marcellus episcopus Nonensis, Joannes abbas sancti Chrisogoni Jadrensis et Jacobus archidiaconus Spalatensis domini pape iudices delegati vobis magistro Francisco notario Spalatensi mittimus anno domini, die, loco et testibus etc. ponatis secundum ordinem. Reuerendus et nobilis vir dominus Jacobus archidiaconus Spalatensis presentauit et dedit venerabili patri domino Gregorio, domino G episcopo Traguriensi quasdam litteras sigil-

latas tribus sigillis cere viridis sanis et integris non vitiatis, non cancellatas vel in aliqua sui parte abolitas, ipsorum sigillorum vnum erat domini Marcelli episcopi Nonensis, aliud domini Joannis abbatis monasterii sancti Chrisogoni Jadrensis, tertium vero dicti domini Jacobi archidiaconi Spalatensis, quas dictus archidiaconus eidem domino episcopo presentauit et dedit ex parte domini episcopi et abbatis et sui ipsius delegatorum seu executorum a domino Nicolao papa IV. deputatorum per ipsius domini pape litteras, quarum litterarum delegatorum tenor de verbo ad verbum talis est: *(Slijedi listina biskupa ninskoga Marcella Ivanu opatu sv. Grisogona i Jakova arhidjakona spljetskoga od 6. septembra 1288.)* Ac precepit eidem domino Traguriensi episcopo ex parte domini pape, vt per se vel per procuratorem idoneum infra sex mensium spatium cum omnibus actis, iuribus ac munimentis suis contingentibus causam contentam in litteris antedictis, apostolico se debeat conspectui presentare, facturus et recepturus super premissis quod ordo dictauerit rationis. Quas quidem litteras domini pape humiliter et benigne suscepit episcopus memoratus. Actum in Tragurio etc. presentibus talibus etc. Ego Franciscus etc. et sciatis, quod vnum aliud instrumentum simile isto domino electo Sibenicensi mittendo, diem, locum et testes et ipsum de verbo ad verbum adhuc conficere debetis, secundum mandatum vobis factum per nos archidiaconum Spalatensem et secundum istorum exemplum volumus, vt tenemini, conficiatis duo instrumenta citationum, videlicet domini . . . episcopi Traguriensis et domini . . . electi Sibenicensis, quod exemplum est clausum et sigillatum nostris tribus sigillis. Item eodem die, loco, hora et testibus supradictis. Item dominus iudex predicto magistro Francisco notario ex parte predicti domini archidiaconi Spalatensis presentauit et dedit quasdam litteras clausas sigillatas ipsius sigillo cere viride(!) sano et integro, quarum tenor de verbo ad verbum talis est: *(Slijedi listina Jakova arhidjakona spljetskoga notaru Franji od 26. marta 1289.*

*Lucius Memorie di Traù. 124. — Farlati Illyr. sacrum. IV. 457. i 458. — Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. IX. 511—513. — Kukuljević Reg. no. 1435.*

*

## 542.

**1289, 12. aprila.**

*Mir izmedju Raba i Pulja.*

In Christi nomine amen. Die 12 intrante aprılis. Dominus Joannes de Rosa potestas Polae, una cum domino Bertoldo et domino Mauro et domino Marco et presbitero Xisto et consensu et voluntate civium Polae, iuravit pacem et concordiam civibus Arbensibus in palatio domini comitis Roberti, quod est in Pola, ante praesentiam domini Marci comitis Arbe, de eo quod evenit civibus Polae, quando ipsi fuerunt cum galeis apud Arbe, et de eo quod homines de Pola ibi amiserunt et eis tunc ablatum est per homines Arbenses, quod deinde in antea de supradictis rebus nec per se sive per cives Polae, nec per aliquem, qui sit vel moratur in districtu Polae, videlicet a Barbana usque ad mare, quod non facient aliquod impedimentum hominibus de Arbe nec aliquibus, qui sint in eius districtu, et hoc promiserunt et iuraverunt attendere sub pena de C marchis. Et si aliquis ex districtu suprascripta fregerit, potestas Polae ad voluntatem comitis Arbe eorum cives, secundum quod ratio dictat, repatriare faciet, et si hoc non potest fieri, persolvat potestas Polae cum communi civibus Arbensibus supradictas C marcas, salva tamen prima pace et amicitia vetere, quae intrascripta sunt. Et dominus Marcus de Ferro et dominus Albertus de Mazo et Petrus de Permeno et Julianus ex praecepto domini comitis Marci de Arbe et pro comuni eiusdem civitatis hoc sacramentum. Ut potestas et alii de Pola fecerunt similiter et illi de Arbe, videlicet supradicti Marcus de Ferro et Albertus de Mazo et Petrus de Permeno et Julianus fecerunt. Testes Marcus de Ferro de Arbe, Albertus de Mazo et Philippus Vintro de Venetiis, Alberghetus de Capria de Pola, dominus Marcus Joannis de Zistino, Engelfredus filius loco positi et alii quam plurimi.

*Bullettino. VI. 9.*

## 543.

**1289, 14. aprila.**

*Dopušta se Spljećaninu Laurenciju (Laurentius de Spalato) izvesti iz Manfridonije u Spljet* frumenti salmas 10 et hordei salmas 80.

*Syllabus membranarum ad regiae Siclae archivium pertinencium T. II. 39. no. 3.*

*Makušev Zapiski imp. ak. nauk. T. XIX. 2. prilož. 3. str. 6.*

## 544.

**1289, 11. i 12. aprila. U Dubrovniku, te 21. aprila. U Trani.**

*Dubrovčanin Teyfla u ime općine dubrovačke kupuje žito u Apuliji.*

† Anno ab incarnatione domini nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo octuagesimo nono, dominantibus patre domino Gerardo Sabinensi episcopo apostolice sedis legato et illustri domino Rob[erto] egregio comite Atrebatensi regis Sicilie baiulis per sanctam Romanam ecclesiam constitutis, eorum baiulatus anno quinto, die uicesimo primo mense aprilis, secunde indictionis, aput Tranum. Nos Robertus Quirinus de mandato domini ducis Venecie consul Venetorum in Apulia, Thomasius Trani iudex, Philippus de Thomasio puplicus(!) eiusdem ciuitatis notarius et subscripti cives Trani et cives Veneciarum et Ragusii ad hoc specialiter vocati et rogati presenti puplico scripto notificamus et testamur, quod Teyfla filius quondam Vitalis Teyfle civis Ragusii syndicus, procurator et nuncius factus, constitutus atque ordinatus per nobilem virum dominum Marinum Georgium de mandato predicti domini ducis Veneciarum comitem Ragusii, iudices, consiliarios et comune civitatis eiusdem specialiter ad emendum ad partes Apulie vice et nomine domini comitis et comunis predicti usque ad trecentas salmas boni frumenti vel a trecentis inferius usque ad ducentas, secundum quod sibi melius videretur, prout constat ex tenore cuiusdam puplici instrumenti aput eandem civitatem Ragusii confecti, scripti per manus Azonis quondam Jacobi de titulo imperiali auctoritate notarii et nunc predicti comunis Ragusii iurati cancelarii, et quarundam litterarum predicti domini comitis Ragusii, iudicum, consiliariorum et comunitatis civitatis predicte, consueto et noto sigillo eiusdem domini comitis in cera viridi sigillatarum de procuratione ipsa sibi etiam confectis, a nobilibus, qui sunt, consule, iudice et notario subsriptis testibus visarum et perlectarum. Cuius instrumenti continentia talis est: In nomine domini dei eterni. Anno eiusdem nativitatis millesimo ducentesimo octuagesimo nono, indictione secunda, die vndecimo intrante mense aprilis, in civitate Ragusii, presentibus Petro Mimio, Ugolino de Marcii et Marino Trivixiano omnibus predictis civibus et habitatoribus civitatis Veneciarum et aliis testibus ad hoc vocatis et rogatis. Nobilis vir dominus Marinus Georgio de mandato illustris domini ducis Venetiarum comes Ragusii, iudices, consiliarii et comune civitatis eiusdem fecerunt, constituerunt atque ordinaverunt discretum virum Teyflam filium quondam Vitalis Teyfle civem Ragusii presentem et consentientem eorum certum syndicum, procura-

torem et nuncium specialiter ad emendum ad partes Apulie vice et nomine dicti comitis et comunis predicti frumentum in ea quantitate, qua dicto Teyfle videbitur convenire, dantes, concedentes eidem procuratori et nuncio plenam et generalem potestatem et licenciam obligandi dictum comune Ragusii aput quemlibet seu quoslibet, a quo vel a quibus emeret dictum frumentum de solvendo integraliter ad terminum, quem constitutum fuerit inter eos quantitatem pecunie, que sibi credita fuerit, quod [pro] frumento predicto et penam et penas que apposite fuerint pro predictis omnibus integraliter satisfacere promitentes iam dicti comes, iudices, consilium et comune predictum omnia que per dictum syndicum et procuratorem facta et operata fuerint in predictis, acta, firma et rata habere et tenere et non contravenire aliqua ratione sub obligatione omnium suorum bonorum. Ego Azo quondam Jacobi de titulo imperiali auctoritate notarius nunc comunis Ragusii iuratus cancellarius predictis interfui et rogatus eorum iussu hec scripsi signoque meo solito roboravi. [Tenor autem predictarum litterarum sic continet: Nos Marinus Georgio comes Ragusii, iudices, consiliarii et comune civitatis predicte comittimus tibi nobili viro Teyfle Vitalis concivi et nuncio nostro, quod ire debeas ad partes Apulie et emere debeas pro comune nostro usque ad trecentas salmas boni frumenti vel a trecentis inferius usque ad ducentas, secundum quod tibi melius videbitur et apporta nobis dictum frumentum citius quam potes et solvas precium de denariis, quos tibi dedimus, et illud quod deficiat, accipias in credentiam ponendo illum terminum, qui tibi videtur, taliter expediendo, quod sis de diligentia comendandus. Datum Ragusii, die ducecimo(!) aprilis.] Prescripto die in nostri presentia constitutus autem procurationis sue predicte sibi a predictis domino comite, iudicibus, consiliariis et comune dicte civitatis Ragusii in hac parte concessa, bona et gratuita voluntate sua et in presentia obligavit se et dictum comune Ragusii per guade nobili viro domino Angelo de Pando Scalensi eiusdem civitatis Trani filio quondam domini Jacobi de Pando de Scala, solempni stipulatione interposita, se ipso nomine et pro parte predicti comunis ac eodem comuni Ragusii nec non et siro Damiano de Gundula concive suo in solidum fideiussorribus presentis ammodo usque per totum sequentem mensem madii eiusdem secunde indictionis; terminum videlicet inter eos constitutum, ipse Teyfla vel sui heredes vel idem comune Ragusii dent, solvant et assignent atque deliberent eisdem domino Angelo de Pando vel eius heredibus aut certo nuncio vel procuratori suo, in cuius manibus hoc presens scriptum sanum apparere videbitur, ad generale procurationis vestre auri quinquaginta sex et tarenos quinque tarenorum bonorum Sicilie. Quam quantitatem pecunie dictus dominus Angelus de Pando

eidem Teyfle coram nobis pro parte predicti comunis Ragusii credidit, dedit, tradidit, mutuavit et assignavit bene numeratis et ponderatis pro salmis boni frumenti ducentis septuaginta quinque ad salmam generalem, quas idem Teyfla pro parte et nomine dicti comunis Ragusii auctoritate predicte procurationis sue a predictis domino comite, iudicibus, consiliariis et comune Ragusii sibi, ut dictum est in hac parte concessa, ab eodem domino Angelo de Pando emit in nostri presentia et ipsam pecunie quantitatem eidem domino Angelo de Pando vel eius heredibus aut certo nuncio vel procuratori suo, in cuius manibus hoc presens scriptum sanum, ut dictum est, apparere videbitur. Predictus Teyfla vel sui heredes aut dictum comune Ragusii in predicto constituto termino ex causa mutui in solidum dare tenentur sine qualibet questione, renuntiantes tam predictus Teyfla principaliter obligatus pro se et heredibus suis et procuratorio nomine, pro parte et nomine dicti comunis Ragusii autem, ut dictum est, procurationis sue predicte ab eisdem domino comite, iudicibus, consiliariis et comune Ragusii sibi in hac parte concesse, quam predictus sir Damianus fideliter super premissis ex certa conscientia et expressim unusquisque inde eorum pro se et heredibus suis in solidum, excepto doli, metus et infactum et exceptionem non numerate pecunie et auri non ponderis electi, traditi et assignati et beneficio inpetrato vel impetrando iuri et consuetudini, que penam in contractibus prohibent adhiberi et adhibitam exigi prohibent et committi et specialiter Tranensium consuetudini, qua introductum est, in defectum rerum mobilium res stabiles in solutum dari et omni alii iuris tam canonici quam civilis scripti et non scripti auxilio, per que predicta omnia et singula vel aliquod predictorum possint in aliquo minui vel infringi vel aliquo iure nulla dici, de facto vel de iure seu modo quocunque, et si predictus Teyfla aut dictum comune Ragusii contra predicta vel aliquid predictorum fecerint vel facere presumpserint, tam idem Teyfla se et heredes suos et auctoritate dicte procurationis sue sibi, ut dictum in hac parte concessa, predictum comune Ragusii quam etiam ipse prenominatus sir Damianus fideliter nobis obligaverunt se in solidum et in presentia per eandem guade se ipsis in solidum fideiubentibus, in predicto notario puplico pro parte curie et predicti domini Angeli de Pando suorumque heredum ac aliorum omnium, quorum interest vel intererit, solempniter stipulantes dare et solvere nomine pene autentici auri quinquaginta et totidem parti curie et omnes expensas, damna seu interesse, quas et que eundem sirum Angelum de Pando vel eius heredes aut certum nuncium seu procuratorem eorum, in cuius manibus hoc presens scriptum sanum, ut dictum est, aparere videbitur, pro recoligendo predicto debito tam in iudiciis

quam extra iudicia patens contigerit, solo simplici dicto eorum in credendo Que pena pluries comitti et exigi valeat et totiens comittatur et exigatur, quociens prescriptum fuerit contra predicta omnia et singula vel aliquod predictorum. Et eadem pena soluta vel non, presens contractus cum eadem adiectione pene in sui robore et vigore nichilominus perseveret, dantes et concedentes tam idem Teyfla pro se et suis heredibus et procuratorio nomine pro parte et nomine dicti comunis Ragusii, autoritate quidem procurationis sue a predictis domino comite, iudicibus, consiliariis et comune Ragusii sibi, ut dictum est, in hac parte concessis, quam etiam ipse nominatus sir Damianus fidelis eidem siro Angelo de Pando et suis heredibus aut certo nuncio et procuratori eorum, in cuius manibus hoc presens scriptum sanum, ut dictum est, comparere videbitur, licentiam et plenariam potestatem conveniendi et pignorandi se suosque heredes ac dictum comune Ragusii per omnia eorum bona mobilia et immobilia, licita et illicita, habita et habenda, auctoritate propria et huius instrumenti auctoritate sine licencia curie et decreto iudicum, ubicunque eos vel eorum bona et predicti comunis Ragusii invenerint, non obstante eis aliquo priuilegio, consuetudine, constitutione vel iuris donacione, donec predicta omnia eis, ut dictum est, fuerint adimpleta. Et ad maiorem predicti domini Angeli de Pando et eius heredum cautelam tam predictus Teyfla principaliter obligatus quam etiam et prenominatus sirus Damianus fideliter corporale super sancta dei evangelia iuramentum sponte in nostri presentia prestiterunt, ut contra hoc scriptum nichil opponant, sed predictum decretum in prefato constituto termino eidem domino Angelo de Pando vel eius heredibus aut certo nuncio et procuratori suo, in cuius manibus hoc presens scriptum sanum, ut dictum est, apparere videbitur, in solidum solvant et dent aut omnia et singula que et qualiter superius preleguntur in omnibus et per omnia et in singulis et per singula adimpleantur in solidum et inviolabiliter observemus, omni dolo et fraude cessante, sponte quidem consentientes tam predictus Teyfla principaliter obligatus, quam etiam et prenominatus sir Damianus fideliter in nos predictos iudicem, notarium et testes Trani, subiicendo se iurisdictioni nostre ad omnia et singula que continentur in instrumento presenti tamquam in suos iudicem, notarium et testes, cum scirent nos suos non esse, iudicem, notarium et testes, ubi autem supernus in quinta linea a superiori lineas mandatum legitur, videretur deletum, abrasum, emendatum et iterum scriptum est, nemini revocetur in dubium Ego enim idem notarius manuscripta delevi, abrasi, emendavi et iterum scripsi. Que scripsi ego idem Philippus puplicus Trani notarius, qui scriptor interfui.

*(Signum notarii).*

Ego Robertus Quirino consul Venetorum in Napulea(!) manu subscripsi.

† Tomasius qui sum iudex.

Ego Johannes Mauro testis.

Ego Jacobus de Guanzago testis subscripsi.

Ego Maffeo de Benaldo testis subscripsi.

Ego Blasio de Menze di Ragusio me subscripsi.

Ego Theodorus de Zisla de Ragusa.

Ego Georgius de Gostinna subscripsi me.

Nicolaus puplicus Tranensis notarius subscripsi.

Ego Girardus filius Choropalati.

† Ego Aygricio Choripelato.

*Original u dubrovačkom arkivu. — Zbirka Saec. XIII.*

## 545.

**1289, 21. aprila. U Zadru.**

*Ivan opat sv. Krševana kupuje od grada Zadra zid na obali.*

In nomine domini amen. Anno incarnationis eius millesimo ducentesimo octuagesimo nono, mense aprilis die decimo exeunte, indictione secunda, Jadre. Temporibus equidem domini Johannis Danduli incliti ducis Venecie, et domini Andree Gausoni venerandi Jadrensis archielecti, ac domini Jacobi Theupuli egregii comitis. Cum in pleno et maiori consilio ciuitatis Jadre ad sonum campane et voces preconum in sala maioris palatii dicte ciuitatis more solito congregato, ordinatum foret atque firmatum per nos suprascriptum Jacobum Theupulo comitem Jadre nostrosque consiliarios, iudices et omnes homines dicti consilii Jadre, quod ripa portus Jadrensis pro vtilitate et comodo dicte ciuitatis Jadertine regulari deberet, et pro dicto opere faciendo deberet vendi fundamentum muri eiusdem ciuitatis predicte, inchoando ab arsanato usque ad castrum nouum super dictam ripam, et deberet dari quilibet passus comunis Jadre de ipso fundamento muri pro tribus libris et octo soldis denariorum venetorum paruorum hominibus seu personis loca et domos habentibus super ipsum fundamentum, et quod quilibet habentium loca uel domos super dictum fundamentum muri posset libere ac potestatiue facere seu laborare vnum ghayphum de vno passu de comuni per latitudinem ante domum seu stationem suam super dictam

ripam uersus trauersam, absque furcis et columpnis, uel cum furcis et columpnis, uel cum furcis et puntis siue pontellis non tangentibus terram. Et dompnus Johannes de Curtisia humilis abbas monasterii sancti Grisogoni de Jadra, nomine ac vice ipsius monasterii sui plene soluisset atque dedisset in comune seu comuni Jadre libras venetorum paruorum centum et triginta quinque pro locis sui monasterii prelibati positis in confinio monasterii eiusdem versus trauersam super dictam ripam portus ciuitatis Jadertine, infra que loca discurrit vna via comunis, qua itur sub porticum ecclesie sancte Fusce, quibus locis a borea sunt loca Miche Martinusi, et ab austro est domus heredum olym Dese Çelugne. Vnde nos prenominatus comes Jadre vna cum iudicibus nostris et curia nostra suprascripto dompno Johanni de Curtisia abbati monasterii sancti Grisogoni prelibati, pro parte, nomine ac vice ipsius monasterii sui existenti iure perpetuo per diffinitiuam sententiam ratifficamus et confirmamus de predicto fundamento muri civitatis Jadertine tantum, quantum capiunt ipsa loca predicta sui monasterii pretaxati. Ita, quod amodo in antea ipse abbas prenominatus cum fratribus suis nomine ac vice ipsius monasterii sui libere ac potestatiue construere ac facere valeat ghayphum uel ghayphos in altitudinem ante domos siue stationes predictorum locorum monasterii sui predicti de vno passu comunis per amplitudinem seu latitudinem super ripam portus Jadre versus trauersam sine furcis et columpnis, aut cum furcis et puntis siue pontellis non tangentibus terram. Super cuius nostre sententie diffinitionem dedimus et constituimus in prestaldum Paulum Bosaçii curie Jadrensis tribunum ad omnia ac singula premissa taliter percomplenda. Et ego dictus Paulus Bossaç tribunus et prestaldus auctoritate officii mihi comissi omnia ac singula super animam meam testifico(!) uera esse, presentibus hiis vocatis et rogatis testibus, videlicet: Petro de Çane et Micha de Milligosto.

*(Drugi rukopisi).*

Ego Jacobus Teupolus comes Jadre manum misi.

Ego Simon de Slurado manum misi.

Ego Vicentius ecclesie sancte Marie maioris clericus et Jadrensis notarius predictis interfui rogatus ut audiui hanc cartam scripsi, roboraui et signo solito signaui.

*(Sign. not.).*

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru, odio samostana sv. Krševana. Capsula IX no. 124.*

*Farlati Illyricum sacrum V. 84. spominje ovu listinu.*

## 546.

**1289, 4. maja.**

*Bilješka.*

*Dopušta se Tomi de Carassia* extrahere de portu Manfridoniae hordei salmas 30 vehendas Corzulam.

*Syllab. membr. ad reg. Siclae arch. pert. T. II. 42. no. 10. Makušev Zapiski imp. ak. nauk. XIX. 2. prilož. 3. str. 6.*

## 547.

**1289, 9. maja. U Hvaru.**

*Općina hvarska vraća samostanu sv. Silvestra na otoku Biševu oduzete sokolove i zabranjuje dirati u vlasništvo istoga samostana.*

In nomine Christi. Anno natiuitatis eiusdem millesimo ducentesimo octoagesimo nono, indictione 2., die lune(!) mensis madii[1]. Tempore illustrissimi domini Ioannis Dandoli dei gratia ducis Venetiarum, venerandi patris domini Daymi dei gratia episcopi Pharensis, et viri nobilis domini Bertucii d'Auro potestatis Phare et Brachię, suorum iudicum Bogdani de Slauogosto, Mixę Petri et Desislaui Salvi Mixę, in consilio maiori Pharę ad sonum campanę in logia communis more solito congregato. Ibidem comparuit dominus Prodanus dei gratia abbas monasterii sancti Syluestri de Buçi et a dicto domino potestate, iudicibus et consilio petiens, quod sibi placeret fieri facere instrumentum per cancellarium nostrum sicut per ipsum dominum potestatem et iudices, ac toto consilio placeret, quod falcones restituerentur sibi, que aves incantate fuerunt et acceptę per illos, qui incantauerant cum alii falconis(!) Lissę et aliarum insularum. Et presens lectum fuit per Loniziolum notarium et vulgarizatum per priuilegium dicti abbatis et monasterii in consilio maiori Pharę coram dicto domino potestate et iudicibus die dominico preterito proximi(!) octauo, sumptum ex alio, quod priuilegium . . . . . . et concessionis domini papę eidem monasterio concessum fuit, ut publice patet eidem domino potestati, consilio uniuerso; et cum in dicto consilio fuerit reformatum habita diligenti deliberatione, quod ipsa insula

[1] Farlati IV. 249. ima: martii.

Buçi ipsi monasterio pertineat de iure et gratia papali, et quod comune Phare nec aliquis aliquam violentiam faciat eidem domino abbati vel monasterio predicto. Unde habito consilio super hoc placuit consilio nemine contradicente, quod dicto domino abbati recipienti vice et nomine dicti monasterii et pro ipso monasterio, quod nullus audeat violentiam facere eidem abbati et monasterio in dicta insula Buçi, cum dicto monasterio de iure pertineat et de gratia papali, ut patet omnibus de dicto consilio, et quod falcones sibi acceptos per illos, qui emerunt a comuni Pharę ad incantum restituant eidem domino abbati, nec deinceps de aliquibus possessionibus dictę insulę Buçi molestari debeat a comuni Pharę nec ab aliqua persona . . . . . . fuerunt[2] dicti monasterii Buçi[2] . . . . . . .

Ego Bertucius d'Auro potestas, Farę et Brachię interfui.

L. S. Ego Sanculrelus[3] de Graccho[3] sacri palatii notarius et notarię dicti comunis Pharę cancellarius his presens interfui et scripsi.

*Kopija XVII vijeka na papiru učinjena iz nešto starije kopije u arkivu kaptola u Hvaru.*

*Farlati Illyr sacr. IV. 249. priopćio fragmentarno samo početak.*

## 548.

**1289, 23. maja. U Zagrebu.**

*Ivan biskup zagrebački diže Ugrina sa kastelanstva, i ujedno pro daje Grdinu neko zemljište u kotaru ivanićkom, koje je prije držao rečeni Ugrin.*

Johannes miseracione diuina episcopus Zagrabiensis omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod cum per infidelitatem Vgrini condam castellani castri nostri de Garig dictum castrum nostrum ab ecclesia nostra fuerit alienatum, et de ipso castro nostro per depredatores in eodem existentes in toto episcopatu nostro incredibilia et inestimabilia dampna sint illata, et comitatus noster Chasmensis intrinsecus et extrinsecus sit bonis omnibus spoliatus, hominibus occisis, detruncatis et miserabiliter captiuatis fuerit radicitus spoliatus et intestabiliter ac inconsolabiliter destructus Nos infidelitates Vgrini supradicti dissimulare non ualentes nec oculis conniuentibus pertransire, cum

[2] Pisano tri puta uzastopce.

[3] Ime ovoga notara glasi: Smeriolus de Gato (v. list. od g. 1286. 10. nov.)

sint culpe secundum canonicas sancciones, in quibus culpe est relaxare uindictam, omnibus possessionibus suis in episcopatu nostro constitutis sentencialiter decreuimus spoliandum, de quibus unam possessionem, que quondam Jula filii Voynch sine herede decedentis, quam ipsi Vgrino contuleramus, in comitatu nostro de Iwangh sitam et existentem cum omnibus utilitatibus, appendiciis, cohericiis ipsius possessionis vniuersis dedimus, donauimus et contulimus nobili et honesto uiro comiti Gardino tam titulo donacionis quam uendicionis et per eum suis heredibus heredumque suorum successoribus perpetuo possidendam et habendam, sub eisdem terminis et signis quibus dicti Jula et Vgrinus dinoscuntur possedisse, cum idem comes Gardinus nobis de sua pecunia pro necessitatibus ecclesie nostre arduis et urgentibus dederit et persoluerit triginta marcas, singulas marcas cum singulis quinque pensis computando, quam sumpmam pecunie racione et in precium ipsius possessionis plene habuimus et recepimus ab eodem, more et condicione predialium nostrorum aliorum, seruiciis debitis et consuetis nobis et nostris successoribus in eadem reseruatis. Privilegia eciam, si que ullo unquam tempore in iudicio uel extra iudicium contra dictum comitem Gardinum per quospiam fuerint presentata, ex nunc pronunciamus uiribus caritura, nullius efficacie uel momenti. In cuius rei memoriam atque robur presentes eidem comiti Gardino litteras contulimus sigillo nostro, videlicet et capituli nostri Zagrabiensis autenticis roboratas. Datum Zagrabie, per manus discreti uiri Gogan lectoris ecclesie nostre Zagrabiensis tunc magistri notariorum nostrorum, secunda feria proxima post festum ascensionis domini, anno eiusdem MCC. octuagesimo nono.

*Liber privil. eppatus Zagr. 36.*
*Tkalčić Monum. episcop. Zagr. I. 225. — Kukuljević Reg. no. 1438.*

## 549.

**1289, 11. juna.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski potvrdjuje knezovima krčkim sve njihove posjede i prava.*

Ladizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque rex vniuersis Christi[1] fidelibus tam presentibus quam futuris[2] presencium noticiam habituris salutem in

[1] A. i B. xpi.
[2] B.

omnium saluatore. Dignum est et consentaneum racioni, ut ea que per inclitos reges progenitores nostros sibi fideliter[3] obsequentibus iuste et legitime sunt collata perpetuo robore fulciantur et inuiolabiliter obseruentur. Proinde[4] ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod nobiles viri Johannes, Leunardus[5] et eorundem filii comites filii comitis Wyd de Wynodol, Modrus et Wegla[6] missis ad nos procuratoribus suis a nostra regia pecierunt humiliter supplicando maiestate, quod nos possessiones eorum, villas, predia, castella, nemora, terras, siluas, iura patronatus ecclesiarum[7] de Corbouia(!) et de Scenya, que et quas ex collacione illustrium regum Hungarie progenitorum nostrorum piarum recordacionum iuste et legittime possederunt, eis relinqu[ere] dignaremur et nostro priuilegeo confirmare. Quorum nos iustis peticionibus fauorabiliter inclinati, attendentesque fidelitates et seruiciorum merita graciosa eorundem Johannis, Leunardi predictorum[8] comitum, que karissimis progenitoribus nostris illustribus regibus Hungarie et Stephano regi patri nostro reuerendo cum feruore[9] su[m]me fidelitatis impenderunt, prout nobis per relaciones fidelium nostrorum est relatum Considerantes etiam obsequia eorundem gratuita, que in recepcione nunciorum nostrorum ad curiam Romanam et ad inclitum Karulum regem Sycilie et filios suos cognatos nostros predilectos destinatorum hospitalitatis graciam inpendendo non sine magnis eorum sumptibus inpenderunt ut fideliter sic deuote, vniuersas possessiones eorum predia, villas, castella, terras, insulas, nemora, siluas, iura patronatus ecclesiarum[10] de Corbouia et de Scenya, que et quas iusto titulo collacionis predictorum regum pacifice possederunt, super quibus litteras priuilegia seu munimenta predictorum regum et regis Stephani patris nostri karissimi optenta habent uel habere dicuntur et voluerint presentare loco et tempore oportunis, eisdem Johanni, Leunardo et filiis eorum comitibus et per eos ipsorum heredibus heredumque suorum successoribus reliquimus pacifice possidendas, tenendas et habendas et presencium auctoritate duximus confirmandas dupplicis sigilli nostri munimine roborando. Datum per manus venerabilis patris Gregorii dei gracia episcopi Chenadiensis[11] aule nostre cancellarii dilecti et fidelis nostri, anno domini millesimo

[3] ! B.
[4] B. P(ro) racioni(!).
[5] B. Leonardus.
[6] B. Vegla, Vinodol et Modrus.
[7] B. ecclesiarum de Vegla, Segnia et de Corbauia.
[8] Bila rasura učinjena pak ovo uneseno istom rukom ali crnijom tintom.
[9] B. fauore(!).
[10] B. de Wegla, de Segnia et de Corbauia.
[11] B. Cenadensis.

ducentesimo octuagesimo nono, tercio idus iunii, regni autem nostri anno decimo octauo.

*Original (A.) pisan vrlo lijepom minuskulom, u kr. ugar. državnom arkivu u Budimpešti · M. O. D. L no. 33 098. Stara signatura N R. A. fasc. 316. no. 5. — Na listini visi jaka zrvca od svile žute, zelene i ljubičaste boje; pečata više nema. Na hrptu rukom konca XIII. ili početka XIV. vijeka: »Confirmatio priuilegiorum et iurium patronatus« dalje rukom XV. vijeka: »super eligendis episcopum Corbauiensem et episcopum Segniensem.«*

*Glagolska bilješka XV. vijeka: »list Frankapanski.«*

*Postoji u istom arkivu M. O. D. L no. 38.480 (bivši arkiv u Porpettu no 8) i falsificirani original iste listine (B) načinjen, kako je vidjeti jasno po karakteru pisma u polovici XV. vijeka, svrha mu je bila, kako je vidjeti iz jedne interpolacije: »de Wegla«, da učvrsti ili dade pravo Frankopanima imenovati i biskupa krčkog — Listina je ta na tankoj pergameni, a vide se rupe, kuda je prolazila uzica za viseći pečat. Na hrptu sasvim izlizana nečitljiva glagoljska bilješka.*

*Od A. nalazi se u istom arkivu: M. O. D. L. 38.481. (Porpetto no. 36) originalni prijepis kaptola zagrebačkog od g. 1418 18. septembra, što ga moli: »honorabilis vir dominus Stephanus Farkasii archidiaconus de Bexe socius et concanonicus noster in persona . . . . Nicolai Modrussye et Wegle comitis«.*

*Od B takodjer ovdje: M O. D. L. no. 38.482. (Porpetto no. 78) originalni prijepis kaptola požeškoga od god. 1485. 10. novembra, što ga moli: »magnificus dominus Johannes de Francapanis natus condam magnifici domini Nicolai comitis Segne, Vegle et Modrusie«.*

*Codex dipl. patrius VIII., 264 — Kukuljević Reg. no 1439 (po A.)*

## 550.

**1289, 17. juna. U Budimu.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski dariva sinovima Petra, a unucima Kačune neko zemljište u županiji roviščanskoj.*

Nos Lad[izlaus] dei gracia rex Vngarie significamus vniuersis quibus expedit presencium per tenorem, quod intuitis seruiciis filiorum Petri nepotum scilicet Kachuna, que nobis in omnibus regni nostri negociis fideliter impenderunt, volentes eisdem gratuita libertate occurrere, quandam terram Nycolai filii Mycola sine herede decedentis in comitatu de Rewche existentem contulimus eisdem sine preiudicio iuris alieni.

Volentes, quod cum nobis presentes reportanti(!) mom[ento] eisdem priuilegium concedatur. Datum Bude tercio die beatorum Wyti et Modesty

*Original u arkivu narodnog muzeja u Budimpešti. Na listini vidi se trag, da je bila zatvorena pečatom.*

*Wenzel Cod. dipl Arp. cont. IX. 550. — Kukuljević Reg. no 1440.*

## 551.

**1289, 19. jula. U Zadru.**

*Braća Martin i Franjo Riteša prodaju svoj vinograd na otoku Koranu Radoši Glamočaninu i ženi njegovoj Miri.*

In Christi nomine amen. Anno incarnationis eiusdem millesimo ducentesimo octuagesimo nono, mense iulio die terciodecimo exeunte, indictione secunda, Jadere. Temporibus equidem domini Johannis Dandulo incliti ducis Venecie, et domini Andree Galsonis venerabilis Jadrensis electi archiepiscopi, ac domini Jacobi Teupulo egregii comitis. Fatemur nos namque Martinus de Ritesa et Franciscus fratres ciues Jadere, quomodo vendimus, dvmus et transactamus vobis quidem Grubsa filio condam Radosci Glamoçanin, et Mire filie Johannis de Çiualelle coniugibus habitatoribus Jadere, totam vnam nostram vineam circumdatam maceriis positam in insula de Corano in valle sancti Laurencii, finiantem de borea apud terram Draganni de Mladene, et de quirina apud terram Gardanese, et de austro apud vineam Calamunde, et de trauersa apud terram Simonis de Bonfançinno, cum omnibus arboribus in ea natis et plantatis et cum omnibus suis certis terminis, habenciis et pertinenciis tam subtus terram quam supra terram a modo in antea cum plena virtute et potestate intromittendi, habendi, tenendi, possidendi, gaudendi, vendendi, donandi, alienandi et pro corpore et anima indicandi et quicquid inde uobis uestrisque heredibus et successoribus libere et perpetuo placuerit faciendi absque alicuius persone contradictione. Pro precio cuius vendicionis nos prenominati Martinus et Franciscus de Ritesa fratres recepimus a uobis predictis Grubsa et Mira coniugibus libras denariorum venetorum paruorum septuaginta unam, quas nobis dedistis et integre persoluistis. Vnde cum nostris heredibus et successoribus vobis predictis coniugibus et vestris heredibus et successoribus dictam vineam cum omnibus suis proprietatibus excalumpniare promitimus ratione ab omni persona super nos et omnia bona nostra presencia et futura. Actum est hoc et firmatum presentibus hiis

vocatis et rogatis testibus, videlicet Tibaldo Attonis et Jacobo Gregorii mercatoribus Jadere comorantibus et aliis.

*(Drugi rukopis).*

Ego Manfredus Mostacius examinator manum misi.

Ego Cresce(!) de Tarallo, Jadrensis notarius hiis interfui rogatus, ut audiui scripsi, conpleui et roboraui.

*(Monogram not.)*

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru, odio samostana sv. Nikole no. 76.*

## 552.

**1289. 22. jula. U Zadru.**

*Odluka vijeća zadarskoga, kojom se Nikola Dobri de Begna oslobadja od daće za Surcarolu.*

Die X. exeunte iulio, presentibus Bette de Petrigna et Juanne de Lemescio Jadrensibus ac aliis. Cum coram nobis Jacobo Teopulo comite Jadere suprascripto, sedente ad placita audienda et diffinienda cum nostris iudicibus et curia, nata esset questio per aduocatores nostri comunis Jadere super Nicolam condam Dobri de Begne a[c] ciuem Jadere de vno suo scopulo ipsius Nicole plantato vitibus, quod scopulum vocatur Surcarola et [fuerat] olim magistri Stephani de Orlando; et quoniam aduocati ipsius comunis Jadere dicebant ipsum Nicolam non soluisse qua[tuor] ampullas uini pro censu ipsius scopuli, postquam ipsum emit ab heredibus olim dicti magistri Stephani de [Orlando, nos] prenominatus comes Jadere ipsum scopulum per nostram sententiam recepimus in comuni Jadere pro dicta causa et census non solutos per aliquos annos elapsos, licet de quantitate ipsius census non foret bene reperta veritas coram nobis. Quibus sic peractis prenominatus Nicola coram nobis et nostra curia venit pluries conquerere de ipso scopulo suo, ostendens, quod ipsum scopulum pro libris CCC denariorum venetorum paruorum emerat ualde carum a predictis heredibus condam suprascripti magistri Stephani de Orlando, et quod ipse scopulus non valebat tantum, quantum soluerat pro ipso; secundum quod ostendebat coram nobis per sua puplica(!) instrumenta. Vnde suplicabat nobis, quod super ipso negotio procedere dignaremur secundum voluntates et discretionem nobilium et bonorum hominum de consilio Jadere. Nos autem prenominatus comes Jadere videntes petitionem dicti Nicole esse dignam,

rationabilem atque iustam, fecimus congregari consilium rogatorum Jadere in logia domus nostri comitatus ad sonum campane et uoces preconum, ut mos est, in quo vero consilio rogatorum Jadere predicta questio fuit proposita et uentilata tam pro comuni Jadere, quam pro parte dicti Nicole, et uisum fuit predicto consilio rogatorum, quod prenominatus Nicola ius habebat in ipso scopulo et emerat ipsum valde carum ultra etiam quod ualebat, sicut patebat per sua puplica instrumenta, et quod malum erat et inconueniens ac iniquum et contra deum et rationem accipere sibi taliter predictum scopulum suum et ipsum ponere in comuni Jadere. Vnde facto partium ..... et ballottas captum fuit et firmatum per predictum consilium rogatorum Jadere et per maiorem partem [ipsius], quod ipse Nicola cum suis heredibus et successoribus habeat et habere debeat libere et perpetuo predictum scopulum nunc et semper absque aliqua impeditione et contradictione comunis Jadere siue alicuius persone, et ipse Nicola cum suis heredibus uel successoribus teneatur dare comuni Jadere perpetuo annuatim ad festum sancti Laurentii martiris de mense augusti dimidium modium boni vini pro censu dicti scopuli. Quam vero reformationem suprascripti consilii rogatorum Jadere nos prenominatus Jacobus Teopulo comes Jadere cum nostris iudicibus et curia per nostram diffinitivam sententiam confirmamus et ratifficamus(!) dantes super hoc in pristaldum virum nobilem Bogde de Laurechna de dicto consilio Jadere ad predicta omnia taliter perconplenda. Et ego prenominatus Bogde de Laurechna pristaldus super hoc per predictum dominum comitem constitutus, omnia suprascripta vera esse testifficor(!) [in salutem] anime mee coram testibus suprascriptis.

*Registar Kreste de Tarallo 1289—1290. u arkivu pokrajin. sudišta u Zadru. — Vjesnik zem. ark. I, 256—257.*

## 553.

**1289, 23. jula. U Zadru.**

*Knez zadarski i njegov sud uništuju oporuku Plenke kćeri pokojnoga Dešena Vesogrivića a žene Dominika Pavrškovića.*

Eodem die, presentibus Lesiça Georgii de Lesiça et Barte de Scomla. Cum coram nobis Jacobo Teopulo comite Jadere supradicto nostrisque iudicibus et curia ad placita audienda et diffinienda sedentibus, foret [questio] mota per Micham Matafarri nostre curie ad-

uocatum pro parte et nomine Jurislaue uxoris condam Desseni Vesogriuig et Vitco eius filii, conquerendo super Magerum de Rainerio comissarium Plence filie olim ipsius Jurislaue et uxoris Dominici filii condam Pauerscouig, et etiam super predictum Dominicum virum condam dicte Plence sic dicentem et alegantem: quod, cum dicta Plenca filia mea non esset diuisa neque sortita a me predicta Jurislaua matre sua, sine conscientia mea ordinauit suum testamentum et dimisit bona sua ipsi Magero comissario suo et etiam ipsi Dominico condam Jura, suo [viro], iure facere non potuit, nec eis dimittere nec etiam bona sua ordinare quia satis melius est . . . . conueniens, ut mihi matri sue atque predicto Vitco fratri suo filio meo, indigentibus, bona ipsius . . . . remaneant quam eisdem Magero comissario atque Dominico viro suo predictis; et testamento predicto . . . . Plence contradicimus, quia de iure ipsum sine nobis ordinare nequiuit. E contra Mager pro se ac predicto com[issario] . . . . co, se defendendo respondebat: immo diuisa et partita erat ipsa Plenca a te matre sua predicta [et a] Vitco fratre suo ex tunc, quando ipsa nupta fuit mecum Dominico marito suo, et omnia morte [sua] ordinauerat suum testamentum, et cui sibi placuit bona sua derelinquere potuit et ordinare, tam mihi quam dicto marito suo, tam pro deo, sicut ipsa fecit. Vnde nos comes superius nominatus cum nostris iudicibus auditis et intelectis questionibus, alegationibus multimodo alegatis et rationibus partis utriusque, habita deliberatione consilii omnes unanimi et concordes per nostram diffinitivam sententiam iussimus dictum testamentum anichilari, in[n]itari atque cassari, et de predictis bonis ipsius Plence ipsi Magero suo comissario atque ipsi Dominico viro eius prenominato silentium in perpetuum imponentes. Sed ipsi Jurislaue matri sue predicte atque Vitco eius filio bona ipsius Plence redire et permanere debeant, ut ipsi faciant pro corpore et anima, ut eis melius et sanctum uisum fuerit. Et sic super huius nostre sententie diffinitionem dedimus in pristaldum Johannem de Lemescio nostre curie tribunum ad hec omnia et singula perconplenda. Et ego dictus Juanne tribunus et pristaldus auctoritate officii mihi comissi anichilari ac cancellari testamentum predictum iussi atque feci, ac suprascripta omnia esse uera testificor in salutem anime mee coram testibus suprascriptis.

*Registar Kreste de Tarallo 1289.—1290. u arkivu pokrajin. sudišta u Zadru. — Vjesnik zem. ark. I. 259.*

*

## 554.

**1289, 24. jula. U Zadru.**

*Knez zadarski i njegov sud potvrdjuje osudu dobrih ljudi glede oporuke popa Dominie Anime.*

Die VIII. exeunte iulio, presentibus Lompre de Lacurtiscia et Jacobo de Gregorio incantatore Jadrensibus et aliis. Cum coram nobis Jacobo Teopulo comite Jadrensi nostrisque iudicibus et curia sedentibus more solito ad placita universorum audienda et diffinienda, questio uerteretur ex una parte inter Juannem fratrem olim presbiteri Domigne cognominati Anime, et ex altera inter Mariam et Lucam fratrem cum sorore et Marinum Gersanne atque Vale et Dobre fratres, filios et heredes condam dicti presbiteri Domigne Anime vocati, que talis erat: petebat enim supradictus Juanne frater predicti presbiteri Domigne a predictis heredibus et filiis omnia bona et possessiones, que fuerant dicti presbiteri Domigne, per suum advocatum presentem et dicentem: quod magis conueniens esset, quod ego predictus Juanne frater ipsius presbiteri Domigne succedam et habeam bona sua, quam isti naturali(!) filii et heredes sui. Et contra predicti heredes presbiteri Domigne Anime vocati, per Jacobum de Petriço illorum aduocatorem respondebant sic dicentes: satis suficit tibi, quod habuisti omnes possessiones suas paterne et materne successionis; et alias suas possessiones, quas idem presbiter Domigna lucratus fuit et nobis dereliquit per suum testamentum et etiam insimul inter nos predictos heredes sortiti sumus secundum sententiam domini comitis supradicti et suorum iudicum et curia nos rationabiliter habere debemus et super hec etiam cum nobiscum inssimul(!) dimissimus in iudicibus arbitris, videlicet in Micham de Mataffaro atque Tadeo Contareno de pari consensu et unanimi voluntate, ut secundum quod ipsi sententiarent atque diffinirent inter nos de predictis bonis, ita ratum et firmum permaneret sub pena librarum X denariorum venetorum paruorum pro unoquoque nostrorum. Qui iudices arbitri et amicabiles compositores auditis et intellectis questionibus et rationibus ambarum partium nostrarum, diffinierunt et sententiauerunt, quod omnia bona condam presbiteri Domigne uocati Anime, que sortita inter nos suprascriptos heredes et filios suos erant secundum breuiarium et sententiam predicti domini comitis, in nobis libera a te et ab heredibus tuis permanere deberent in perpetuum et nos deberemus dare tibi unam tinam et unum guarnaçonum inuestitum et libras III de parvulis pro

cotta I uxoris tue, que idem presbiter Domigna tibi ad mortem suam promiserat; et sic tu pariter nobiscum contentus fuisti, unde nescimus quid petis a nobis, tibi respondere debemus. Et ad hec ipse Juanne respondebat: nolit deus. Vnde nos comes superius nominatus cum nostris iudicibus et curia, visis et auditis questionibus, alegationibus et rationibus partis utriusque, ac interrogatis et examinatis predictis iudicibus arbitris, per quos inuenimus ita fuisse, ut superius est expositum, habita deliberatione consilii, omnes unanimiter et concordes confirmauimus per nostram diffinitiuam sententiam et ratifficauimus sententiam predictorum iudicum arbitrum, ut superius est expensum, inponentes perpetuum silentium dicto Juanno fratri domini Anime et suis heredibus de predictis bonis olim predicti presbiteri Domigne Anime uocati, que inter predictos heredes suos sunt sortita secundum nostram sententiam, ut in eorum breuiario continetur. Et sic super huius nostre sententie diffinitionem dedimus in pristaldum Johannem Lemesci nostre curie tribunum ad hec omnia et singula totaliter perconplenda. Et ego dictus Juanne tribunus et pristaldus auctoritate officii mihi comissi feci tibi Juanno fratri domini Anime a suprascriptis heredibus et filiis illius presbiteri Anime dari dictas res, videlicet: butem et tinam et guarnazonum inuestitum et libras tres denariorum paruorum, ac suprascripta omnia esse vera testifficor in salutem anime mee coram testibus suprascriptis.

*(Signum notarii Creste de Tarallo.)*

*Registar Kreste de Tarallo 1289.—1290. u arkivu pokrajin. sudišta u Zadru. — Vjesnik zem. ark. I. 260—261.*

## 555.

**1289, 25. jula. U Zadru.**

*Knez zadarski i njegov sud daju Franji Lampri povlast, da se prè s Pavlom banom i njegovim bratom Gjurom radi učinjene mu štete.*

Eodem die presentibus Prodde de Cossa et Micha de Spela Jadrensibus et aliis. Cum coram nobis Jocobo Teopulo comite Jadere supradicto et nostris iudicibus venisset Franciscus Lompri de Nicola ciuis Jadere, conquerens supra banum Paulum et fratres suos, quod sui homines abstulerant sibi vaccas XXVIIII magnas; vnde ad petitionem ipsius misimus Vitum de Cerna nostrum nuntium ad dictum

banum; et comes Georgius promiserit dicto Vito et Francisco predicto, qui venierat(!) cum dicto Vito nontio(!) nostro ad ipsos in Scardonam, reddere; et postmodum nos predictus comes cum pluribus nobilibus de Jadera fuimus insimul cum dicto bano et fratribus suis ad Rogouam pro facere concordium inter nos ipsos, in quo concordio iurauimus nos cum viginti nobilibus de Jadera et ipse banus cum fratribus suis ac cum viginti nobilibus de Sclavonia similiter iurauerat, et in illo sacramento promiserat reddere dictas vaccas Francisco, qui illuc erat in presenti; et post hec reddidit ei vaccas XVII; et nos alias insimul fuimus cum dicto bano et fratribus suis ac aliis quam pluribus nobilibus ad villam sancte Marie[1], et idem Franciscus petebat a predictis coram nobis vaccas XII, que sibi defficiebant de predictis XXVIIII vaccis; ad que comes Georgius, cuius homines abstulerant dictas vaccas, dicebat, quod non habet plus quid reddere, sed tantum quod acceperat reddidit; cui Franciscus respondidit, quod omnes rubatores dicerent, quod non acceperat tantum, sed pastor meus dixit bano et tibi, quod viginti novem vacce accepte fuerant, qui pastor est sub nostro dominio non auderet dicere si non essent accepte. Vnde nos comes diximus bano Paulo et comiti Georgio, quia non dicebat bene, quod ipsi cum tot nobilibus iurauerant ad Rogouam, quod volebant sibi reddere omnes predictas vaccas, que sunt tam manifeste accepte; et ad hoc banus Paulus et comes Georgius illuc coram multis nobilibus promiserat omnino et reddere omnes predictas vaccas et etiam multis nostris nuntiis postea promiserat eas reddere et nichil fecerat multo tempore iam elapso. Vnde nos comes cum curia nostra, conuocato consilio rogatorum Jadere, videntes et congnoscentes maniffeste, quod idem Franciscus sustinet magnum tortum et dapnum(!), dedimus ei licentiam cum dicto nostro consilio paccandi se de suo dapno quicquid dixerit per sacramentum esse dapnum suum de duodecim vaccis, super banum Paulum et comitem Georgium et homines suos, qui coram nobis iurauit de libris centum paruorum denariorum esse dapnum suum. Et super hoc dedimus in pristaldum Micham de Micusso ciuem Jadere de dicto nostro consilio rogatorum ad predicta omnia taliter perconplenda Et ego dictus Micha per predictum dominum comitem pristaldus constitutus, predicta omnia esse vera testifficor auctoritate officii mihi commissi in salutem anime mee coram testibus suprascriptis.

*Registar Kreste de Tarallo 1289.—1290. — Vjesnik zem. ark. II. 13—14.*

[1] Bribinje?

## 556.

**1289, 26. jula. U Zadru.**

*Knez zadarski sa svojim sudom pomaže Zadraninu Damjanu Miligostu, da dodje do svojih posjeda u Kalčinoj gorici.*

Die VI. exeunte iulio, presentibus Tibaldo Attonis et Marino Stumulo Jadrensibus et aliis. Cum coram nobis Jacopo(!) Teopulo comite Jadere supradicto, et nostris iudicibus et curia pluries venisset Damianus de Miligosto ciuis Jadere, conquerens se supra uxorem condam comitis Michalis de Nona et filios suos dicens, quod iam diu ipse comes Michal indebite tenuisset terras, vineas atque possessiones suas de Calcina goriça, bestias atque debita, ac nunc ipsa uxor eius et heredes sui similiter teneant ac rationem ab eisdem habere non ualeant, suplico vobis, ut mihi vestrum auxilium et consilium porigatis in hac parte. Cui Damiano nostro ciui dedimus solempnem nostrum nuntium virum nobilem Prodde de Cassa, qui iuit Nonam ad eandem et suos filios, ut eo nostro ciui res suas redderet et bona s[ua]. Cum a curia None ab ipsa aliquam rationem et heredibus suis habere non posset, quia curia None contra eandem se intromittere nolebat, ipsa autem excusabat se et circa hanc velle habere suum consilium et nihil faciebat. Iterato misimus per alium nostrum nontium(!) et nichil habere potuit ab ea. Vnde nos comes supranominatus cum nostris iudicibus et curia, uolentes prouidere dicto nostro ciui, ut ordo iuris postulat et requirit, fecimus ad sonum campane congregari consilium rogatorum Jadere, et posito partito per ballottas, ad . . gendum consilium et fauorem Damiano predicto in hac parte, acceptatum fuit per ipsum consilium et maiorem partem ipsius dare pignora Damiano predicto et suis heredibus et succ[essoribus] de predictis suis terris, vineis, bestiis et debitis supra uxorem condam predicti comitis Micha[lis et] heredes et successores et super [i]obagiones suos et bona eorum in personis sicut in rebus, usque ad plenam suam satisfati[onem] . . . rerum in Jadera et ubicunque ipsas uel ipsam posset reperire, ut liberaliter intromittere et h . . . Quam uero refformationem(!) dicti consilii rogatorum nos predictus comes cum nostris iudicibus per nostram diffinitiuam sententiam ratifficauimus et confirmauimus ac per sacramentum ipsum . . . . . . mus, ut suum dapnum(!) libris CCCC paruorum denariorum inferius per ueritatem in hac parte receptum atque retentum maniffestari deberet; qui tactis sacrosanctis euangeliis sacramentum suum dapnum de libris CCCC paruorum denariorum fecit

coram nobis et de plus. Vnde supra h[oc dedimus ei] in pristaldum virum nobilem Micham Mar[t]inuscii de dicto consilio et nostrum iudicem ad he[c omnia] predicta taliter percomplenda. Et ego dictus Micha pristaldus constitutus per predictum dominum [comitem et eius consilium] auctoritate officii mihi commissi predicta omnia esse vera testificor in salutem [anime mee] coram testibus supradictis.

*Registar Kreste de Tarallo 1289.—1290. u arkivu pokrajin sudišta u Zadru. — Vjesnik zem. ark. II. 14.—15.*

## 557.

**1289, 26. jula. U Zadru.**

*Dokida se sud glede zemlje u Tričici (Zemuniku).*

Eodem die presentibus Damiano de Miligosto et Micha de Spela Jadrensibus et aliis. Cum coram nobis Jacobo Teopulo comite Jadere suprascripto, et nostris iudicibus et curia [propositum] foret, quod plures questiones ventilate sunt inter Bogdde de Lourechna ex una parte, et ex altera inter Micham Mataffarri advocatum pro parte et nomine Stane uxoris condam Bocariçi et Brane eius filie uxoris sue, atque Micham Micusci advocatum pro parte et nomine heredum condam Stephani de Formino, de quibusdam terris de Triçiçe. Vnde nos comes superius nominatus cum nostris iudicibus et curia, auditis et intellectis questionibus, allegationibus, rationibus et cartis partium predictarum, omnes unanimiter et concordes, habito consilio diligenti, unanimiter et omnes concordes per nostram diffinitiuam sententiam adiudicauimus, quod potoccum totum ipsius ville libere et perpetuo sit predicti Bogdi,(!) secundum continentiam unius sui instrumenti facti manu Lodeusci sacri palacii notarii et nunc Jadrensis iurati, quod sic incipit: In Christi nomine amen. Anno ab incarnatione eiusdem millesimo CC. septuagessimo primo, indictione quintadecima, Jadere, die quinto exeunte ianuarii etc.; et ut in eo inferius continetur. Item de terra, que est uersus trasversam a via que vadit in Kaurilmost ad sanctum Bartolomeum, quam Vitus de Cerna ipsi Bogde dedit, sententiamus diffinitiue, quod ipsa Stana atque Brana eius filia cum suis heredibus uel successoribus et omnes heredes dicti Stephani de Furmino(!), non possint a dicto Bogde uel ab heredibus suis eam petere nec recipere, set si habent quid petere super ipsam, petant a dicto Vito; et insuper, quod omnes isti predicti Stana et Brana atque heredes dicti Stephani de Furmino ullo

tempore possint a dicto Bogde petere aliquid de blado siue reditibus, quos Bogde hucusque habuisset et recepisset de terris inventis, quas ipse Bogde plus de parte sua de dicta villa tenuisset a predicto Bogde cum suis heredibus et successoribus a predictis Stana et Brana et ab heredibus et successoribus suis atque a filiis et heredibus dicti Stephani de Furmino et eorum heredibus et successoribus, per nostram diffinitiuam sententiam liber et absolutus maneat temporibus universis. Et sic super huius nostre sententie diffinitionem dedimus in pristaldum Micham Martinuscii iudicem Jadere ad hec omnia et singula totaliter percomplenda. Et ego dictus Micha pristaldus per predictum dominum comitem constitutus auctoritate officii mihi *(slijedi umetak:)* de blado et reditibus suprascriptis. *(nastavlja:)* comissi per predicta omnia esse *(slijedi umetak:)* que est inter eorum villam et Semenicum *(nastavlja:)* uera testificor in salutem anime mee coram testibus suprascriptis. De mandato domini comitis supradicti cancellaui et anichilaui preter nomine.[1]

*Registar Kreste de Tarallo 1289.—1290. u arkivu pokrajin. sudišta u Zadru. — Vjesnik zem. ark. II. 16.*

## 558.

**1289, 27. jula. U Zadru.**

*Knez zadarski i njegov sud dozvoljuju prioru sv. Mihajla de Scopulo (Galovac), da može dati zemlje na sedmo.*

In Christi nomine amen. Anno incarnationis eiusdem millesimo ducentesimo octuagesimo nono, indictione secunda, die quinto exeunte mensse(!) iulio, Jadere Temporibus equidem domini Johannis Dandulo incliti ducis Venetiarum, et domini Andree Galsonis venerabilis Jadrensis electi archiepiscopi, ac domini Jacobi Teopulo egregii comitis. Cum pro parte capta confirmata consilii Jadere sit vitatum omnibus hominibus Jadere non posse dare terras suas alicui ad pastinandum, nisi ad quartum et non ad plus; ac frater Johannes prior sancti Michaelis de Scopulo habeat terras datas dicto monasterio de Scopulo per comune Jadere, sitas in insula sancti Michaelis de monte Brecelli, quas quidem terras imboscatas ipse prior non valeat alicui ad pastinandum dare ad quartum, venit idem prior coram nobis Jacobo Teopulo comite supradicto et nostris iudicibus, petens de gratia speciali, ut sibi licentiam daremus, ut ipse dictas posset ad pastinandum dare ad septimum, sicut

[1] Riječi koji su brisane označene su križičem.

dari potest, et ut utilitatem fructuum ex ipsis terris ille pauper locus habere et extrahere posset. Nos uero comes superius nominatus cum nostris iudicibus et curia, videntes iustas petitiones predicti prioris et exaudientes, habito consilio diligenti, omnes unanimiter et concordes damus licentiam per nostram diffinitiuam sententiam de gratia speciali dicto priori et suis successoribus posse dare liberaliter dictas terras in parte et toto cui voluerit ad pastinandum ad septimum, uel quocumque modo ipse se potuerit convenire, non obstante ad hec parte capta dicti consilii Jadere supradicta, siue aliquo statuto; et sic super huius nostre sententie diffinitionem dedimus et constituimus in pristaldum Nicolam Dobri de Begna iudicem nostrum ad hec omnia et singula prenotata totaliter perconplenda. Et ego dictus Nicola iudex et pristaldus constitutus per predictum dominum comitem predicta omnia esse uera testifficor in salute anime mee coram testibus hiis vocatis et rogatis etc., videlicet: Damiano de Miligosto et Micha de Spela Jadrensibus et aliis.

*Registar Kreste de Tarallo 1289—1290. u arkivu pokrajin. sudišta u Zadru. — Vjesnik zem. ark. II. 16—17*

## 559.

**1289, 1. augusta, U Trogiru.**

*Vijeće trogirsko odlučuje glede nekih zasužnjenika.*

1289. die primo augusti. In dei nomine amen. Examinatum est per dominum Stefanum Vgerii ciuem Ancone potestatem et quatuor sapientes ad infrascripta examinanda et est examinatum et approbatum per XV sapientes homines de Tragurio communicato consilio inter eos super facto captiuorum, qui pro communi Traguriensi in carcere detinentur. Quod si dicti captiui volunt exire carcerem communis, quod tam ipsi quam Lucas et Daniel, qui sunt extra forciam communis, debeant parere et obedire mandatis potestatum, iudicum et rectorum et communis ciuitatis Traguriensis tam presentium quam futurorum et maxime infrascripta forma pactis et conditionibus videlicet: quod dicti carcerati statim dum detracti fuerint de carcere cum dictis Daniele et Luca promittere debeant et iurent stare et morari quatuor annis continuis Ancone, hoc excepto, quod cum licentia potestatis Ancone dictis quatuor annis ad quascumque partes ire possint ad lucrandum, preterquam ad partes Dalmatie; dictis autem quatuor annis completis debeant habi-

tare filii Jacobi Decii in Jadra, filii Petri Domatii habitare debeant in Arbi, ressidui vero habitare debeant in Fara temporibus vite eorum cum omnibus de eorum familiis. Et quod nullo modo presumant de cetero realiter vel personaliter offendere vel quomodolibet dapnificare(!) aliquem vel aliquos de Tragurio, nec eorum ciues et commune dicte civitatis Traguriensis aliquam prodictionem, machinationem vel conuenticolam, conspirationem seu conuocationem modo aliquo facient vel procurabunt per se vel cum aliquibus aliis temporibus vite eorum, nec aliquod damnum facient vel fieri facient ipsi communi vel ciuitati; et si contrafacerent in aliquibus predictorum, cadant pro qualibet vice et incidant in pena infrascripta tam ipsi quam eorum fideiussores, et de offensa facienda speciali concedatur ipsi speciali offenso prestito sacramento; de offensa autem communi vel civitati facienda concedatur persone legitime procurationis cum dicto quatuor testium. Et pro his attendendis et firmiter obseruandis dabunt infrascriptas securitates bonas et idoneas videlicet de trecentis marchis argenti de Spaleto, de ducentis marchis argenti de Briberio, de ducentis marchis argenti a domino comite Zanne de Vegla, de ducentis marchis argenti de Jadria, et de ducentis marchis argenti de Sibinico, et de ducentis marchis de Tragurio, que pena si contrafactum fuerit modo aliquo pro qualibet vice applicetur medietas denuncianti et alia medietas communi Traguriensi et dampnum patienti emendetur.

*Lucius Memorie di Traù. 127—128. — Fejér Cod. dipl. Hung VII. 4. 215.—216. — Wenzel Cod dipl. Arpad. cont IX. 515. — Kukuljević Reg. no. 1443.*

## 560.

**1289, 2. augusta. U Zadru.**

*Domica sin Velkoja odsudjuje se na smrt radi umorstva Jurka Praškoga, a Pribko Stančić oslobadja se.*

Die sucundo intrante augusti, presentibus Jacobo de Gregorio et Pelegrino de Kilaneça Jadrensibus, per nos Jacobum Teopulum comitem Jadere suprascriptum et nostros iudices sunt data pignora Pribco filio condam Stantii habitatori Jadere de pecudis(!) LXXX supra Cabudine filium condam Drascilli Coçanig et omnia bona sua ubi poterit reperiri ad liberaliter et potestative intromittendum et habendum usque ad plenam suam satisfactionem predictarum bestiarum, quas idem Cabudine

isti Pribco abstulit occasione mortis Jurgii filii condam Prasci, qui fuit villanus Mathei de Nasce propinqui istius Cabudine, de morte cuius iste Cabudine inculpabat istum Pribco coram nobis. Vnde per nos capto isto Pribco cum filiis suis et pristauo suo Domice nomine filio condam Velcoy, per quos ad tormentum inuenimus istum Pribco inculpabilem de morte predicti Jurgii cum filiis suis, ac istum Domice suum pristauum suprascriptum culpabilem, quem de nostra sententia suspendi ad mortem fecimus occ[asione] mortis illius, quem occiderat, ac predictum Pribco per nostram sententiam diffinitiuam de predicta morte illius Jurgii inculpabilem liberamus, ut rei ueritatem inuenimus. Et sic super huius nostre sententie diffinitionem dedimus in pristaldum Johannem Lemescii nostre curie tribunum ad suprascripta omnia totaliter perconplenda. Et ego dictus Juanne tribunus et pristaldus constitutus per dictum dominum comitem predicta omnia esse vera testificor in salutem anime mee coram testibus suprascriptis.

*Registar Kreste de Tarallo 1289.—1290 u arkivu pokrajin. sudišta u Zadru. — Vjesnik zem. ark. II. 117—118.*

## 561.

**1289, 2. augusta. U Zadru.**

*Andrija de Rava kupuje na dražbi sve posjede Krašićeve na Pagu.*

Eodem die, presentibus Matheo de Sgano et Andree de Barte de Scomba Jadrensibus et aliis. Testifficans testifficor ego namque Vitale Jadrensis curie preco in salutem anime mee et in ea veritate, quae Christus est, dico, quod de mandato domini Jacobi Teopulo comitis Jadere supradicti, et eius curie incantaui omnes possessiones et bona Crasiçii de Pago per conde[m]pnationem, quam incurrerat sua culpa, videlicet totum vnum casamentum positum in Pago, de trasuersa iuxta viam puplicam (¹), de borea possidet Çanicha Bisanig, et de austro iuxta viam puplicam et quirina possidet Jacobus Druscouig. Item unam vineam cum terris et orto et domo sitam in insula Pagi ad sanctam Femiam, de parte austri possident heredes de Sumerio, de trasuersa Budogna filius Bixanni, de borea Drussa Criuiç et de quirina similiter. Item vineam unam positam in eadem insula in contrata Mirene uodde, de trasuersa possidet Miliça uxor Tolmeri, de austro Disislauo Masliçig, de borea Buna uxor Desenni Drusanig, et de quirina mons. Item totam partem suam terrarum de Slatina sibi pertinentem cum omnibus suis pertinentiis Item terram

unam sitam in eadem insula Pagi ad punctam ubi uocatur Belueder, de borea possidet Jure Desinig, de trasuersa via communis, de austro Dominac Sestacouig, et de quirina idem Dominac cum sua cognata. Item bestias magnas minutas XLVIII et paruas XXIIII. Et sic presentauit se Andreas de Raua ciuis Jadere daturus de dictis possessionibus et rebus libras CL denariorum venetorum paruorum de dictis possessionibus et rebus et omnia alia bona sua, si reperiri potuerint. Et sic eas incantaui per plateas Jadere in locis consuetis, alta voce uociferrando, requirens si aliquis esset, qui vellet dare ultra pecuniam iam promissam per vnum mensem et plus; et cum nemo apareret, qui uellet dare plus nec etiam tantum, demum obseruata sole[m]pnitate statuti iuris et consuetudinis Jadere, que solet in talibus obseruari, de mandato suprascripti domini comitis et eius curie puplice sub logia Jadere possessiones predictas et bestias coram predicto domino comite et eius curie(!) predicto Andree dedi, uendidi et deliberaui cum omnibus suis certis terminibus(!) et pertinentiis tam subtus quam supra terram, amodo cum omnimoda potestate de eis faciendi omne libitum sue voluntatis et suorum heredum et successorum libere et perpetuo nemine contradicente, pro predictis libris CL denariorum venetorum paruorum, quas idem Andreas communi Jadere dedit integraliter et plene persoluit. Et hec pro ueritate dico coram testibus supradictis.

*Registar Kreste de Tarallo 1289—1290. u arkivu pokrajin. sudišta u Zadru. — Vjesnik zem. arkiva II. 118.*

## 562.

**1289, 6. augusta.**

*Bilješka.*

*Dopušta se Filipu* »de Churalexio extrahere de portu Bari fabarum salmas 50 vehendas Ragusium vel Cateram«.

*Syllab. membr ad. reg. Siclae arch. part. T. II. 53. no. 7.*
*Makušev: Zapiski XIX. 2. prilož. 3. 6.*

## 563.

**1289, 17. augusta.**

*Parba izmedju Petrča Gaucinje i Kose Saladina radi jedne zemlje.*

Die XV. exeunte augusto, presentibus Johane Çançi de Petriço et Matheo filio Thomasii Johanis Canathe et aliis. Cum nos quidem suprascriptus Jacobus Teopulus comes Jadrensis cum iudicibus nostris et curia nostra ad placita intendenda, audienda et diffinienda unanimiter sederemus, accessit ad nostram presentiam Petriçus filius olim Mathei de Gauçina dicens adversum(!) Cossam Saladinum civem Jadrensem: male facis quod tenes quandam terram meam, quam mihi quondam Prodana filia olim Petrici de Forto matertera mea ad obitum suum donauit siue dimisit posita(!) ad Raccam, uersus quirinam iuxta viam puplicam(!), uersus austrum est draga discurrendo in potoc ubi ferit uia de Frasan, uersus traversam est potoc, uersus boream est quadam via apud quedam(!) lacum; vellem igitur, quod ipsam terram mihi dimittas liberam et quetam. Cui ad hec dictus Cossa Saladinus respondit: vellem scire, qualiter dicta Prodana terram prenominatam tibi donavit sive dimisit Et tunc dictus Petriçus ostendit sibi unam cartam scriptam et roboratam nuper factam, in qua testificauit Maurus Grisogoni de Mauro, et Chaça relicta quondam Forti de Forto commissarii predicte Prodane, se interfuisse et audiuisse a dicta Prodana ad obitum suum eadem Prodana donauit et reliquid(!) ipsam Petriço nepoti suo terram predictam, et ipsa comissaria prenominata virtute et auctoritate officii sui comissarii in quantum de iure valebat terram predictam dicto Petriço dabat siue derelinquebat et confirmabat. Qua suprascripta carta lecta, audita et intellecta dictus Cossa Saladinus dixit: frater, per dictam cartam de iure terram predictam minime requirere vales et ipsi comissarii prenominati cartam ipsam tibi etiam de iure facere nequeunt, cum dicta Prodana fecit suum testamentum et postmodum codicellum, in quibus de dicta terra nulla(!) studuit facere mentionem; nec terram ipsam tibi per suum testamentum uel codicellum donauit seu dimisit. Nos uero memoratus comes cum iudicibus nostris et curia nostra permissis(! omnibus ac singulis auditis et plenius intellectis, habitoque exinde consilio et deliberatione ad invicem diligente(!), unanimiter et concorditer dicto Petriço per sententiam firmiter super dictam cartam silentio(!) perpetuo(!) inponimus, conferentes ac dantes licentiam preffatis(!) comissariis dicte Prodane, quod si voluerint et ius habuerint possint iure

comissarie dictam terram exquirere; et tunc dictus Maurus in mediante(!) surgens pro se et dicta Chaça cepit dicere aduersum Cossam predictum · non bene fecisti, quod in dicta terra, que fuit suprascripti Petriçi de Forto violenter ac contra iuris ordinem intrasti, et sic eam tenes et posides occupatam. Volumus itaque, quod eam dicto Petriço dimittes liberam et quietam ipsam dictam(!) [quam] Prodana suprascripto Petriço nepoti suo donauit seu dimisit. Cui dictus Cossa dixit · vellem scire qualiter, dicta terra fuit dicto Petriço de Forte aut eius filie prenotate. Et tunc Maurus predictus ostendit sibi unum puplicum(!) instrumentum breuiarium sive de contumacia late(!) per nobilem virum bone memorie dominum Johanem Baduarium olim comitem Jadrensem contra Petrum Rigonig scriptum et completum per manum quondam Michaelis sancte Marie maioris clerici et Jadrensis notarii, sub anno incarnationis Christi MCC. quinquagesimo nono, mense septembri die XII. exeunte, indictione tertia etc., ut in eo plenius continetur, ad quod dictus Cossa respondit: non libeat deo, quod tota terra predicta fuit suprascripti Petri Rigonig, nisi tantum una sexta pars terre ipsius fuit condam Prodi de Streça, quam habeo per incantum et hanc terciam partem dicte terre uivente dicto Petriço de Forto tenui et laborari feci post mortem eiusdem Prodi tamquam comissarius ipsius, et postmodum ipsam terciam partem dicte terre feci incantari circa menses octo, que Jacobo Çadulino per incantum extitit deliberata, ut maniffeste(!) apparet uno puplico instrumento scripto et completo manu quondam Lodouisci sacri palatii notarii et nunc Jadertini iurati, quod sic cernitur inchoare: In Christi nomine. Anno ab incarnatione millesimo ducentesimo septuagesimo secundo, die nono intrante aprili, indictione quinta decima etc, et ut in eo plenius declaratur et eciam ad ultimum instrumentum, qualiter dictus Jacobus Çadulinus eandem terciam partem dicte terre mihi dedit et transactavit cum omni iure suo, et alie superflue residue partes tocius eiusdem terre superius terminate fuerunt propinquorum dicti Petri Rigonig et suprascripti Prode, a quibus de eorum partibus partim puplice instrumenta emi et partim comutaui seu per comutationem habeo; unde his de causis tibi non teneor respondere; preterea offerro me probaturum, quod ego et dictus Prodde(!) de Streça hanc tertiam partem tocius terre predicte tenuimus assidue circa annos XL. Idcirco secundum statutum Jadrense vobis non teneor respondere. Unde nos memoratus comes cum iudicibus nostris et curia nostra premissa omnia et plura alia, que dicte partes hinc inde coram nobis in iudicio dicere, proponere, componere, alegare et probare et ostendere voluerint diligenter audientes et inteligentes partis utriusque rationes, et visis, lectis et intelectis instrumentis omnibus ab utraque parte productis, ac auditis testificationibus parcium utrarumque, habitoque

exinde consilio et deliberatione ad invicem diligenti unanimiter et concorditer per sententiam diffinitiuam dictum breuiarium incanti dicte tercie partis dicto Cosse a dicto Jacobo Çadulino traditum cum omni robore et uigore suo eidem Cosse suisque successoribus iure perpetuo confirmamus, aprobamus et ratifficamus, prenominatis autem comissariis et eorum successoribus perpetuo exinde silentium inponentes. Saluo(!) tamen semper dicta sua contumacia tam in parte suprascripti Petri Rigonigi in terra superius expressa, et sic super huiuș nostre sententie diffinitionem dedimus et constituimus in pristaldum Paulum Bosaçi Jadrensis curie tribunum ad omnia hec singula premissa taliter percomplenda, que nempe omnia et singula prenotata ego dictus Paulus super animam meam testifficor(!) uera esse . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

*Nastavlja se blijedom tintom:* anichilata de p[rece]pto dicti domini comitis . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . *te je prema tome i čitava listina isprecrtana.*

*Registar Kreste de Taralo u arkivu pokrajin. sudišta u Zadru. — Vjesnik zem. arkiva III, 137.*

## 564.

**1289, 4. septembra. U Spljetu.**

*Daje se osobna sloboda.*

In Christi nomine amen. Anno a natiuitate eiusdem millesimo ducentesimo octogesimo nono, indictione secunda, die dominica, quarto intrante septembri, Spaleti. Temporibus dominorum Ladislay serenissimi regis Vngarie, Johanis dei gratia uenerabilis Spalatensis archiepiscopi, Mladini quondam Stepconis de Birberio comitis, Renaldi de Taraboctis de Ancona potestatis, ac nobilium uirorum Camurcii Petri, Peruoslai Dabralis et Lucani Dese iudicum. Ego quidem iuppanus Dobroslauus Coplichanus(?) mea propria uoluntate quieto, dimitto et absoluo Dragam matrem Stonoy ab omni seruitute et confiteor eam numquam fuisse ancillam uel seruam, promittens, quod nullo unquam tempore per me meosque heredes uel aliquem alium quis intererit molestetur aut inquietetur nomine seruitutis et non contrauenire uel contraueniri facere sub fidei sacramento. Actum in statione Filippi apothecarii presentibus comite Ciprona, Petro Damiani et Johane Stephani Justi testibus et aliis.

Ego Damianus Nicole Marule examinaui.

Et ego magister Stephanus imperiali auctoritate notarius et nunc iuratus comunis Spaleti Traguriensis canonicus his interfui rogatus scribere scripsi ac meo signo et nomine roboraui.

*(Signum not.)*

*Original u arkivu samostana sv. Marije u Zadru.*

## 565.

**1289, 4. oktobra. U Prištini.**

*Bajka o osnutku Poljica.*

Stephanus Nemagnich dei gratía rex Rassiae, Dalmatiae et Bossinae etc. omnibus banis, vajvodis, comitibus, serdariis, officialibus et omnibus aliis indicentibus militiae et locorum nostrorum dilectionem et salutem auguramus. Spectabiles nobiles loci Rogoznicae in Dalmatia parum distantis a mari vocati comites Diklicich, Rubraich(!), Davidovich, Blaxevich, Miculich, Voinich et Radich, qui omnes hic(!) pervenerunt a regno Hungariae cum eorum familiis et possederunt ipsum locum cum omnibus suis pertinentiis, ex quibus nobilibus multi postea nati sunt nobiles, praesentaverunt se maiestati nostrae unus pro familia missi a spectabili suo comite, voivoda, iudicibus et ab universo suo consilio ad dedicandos se ipsos, filios et universum suum populum maiestati nostrae cum conditione, quod ipsi in eorum consilio debeant creare comitem, vojvodam, iudices, provisores sanitatis et iustitierem(!) et iudicare in criminali et civili causa et facere iudicia alterius naturae secundum eorum consuetudines et leges, et nunquam debeant solvere nobis et subditis nostris tributum nullum de eorum fructibus generis cuiusvis, nec de negotiis in ulla civitate et locis regni nostri, nec quiddam solvere herbatica, sed sicut liberi et inmunes a quovis genere tributorum, cum ipsi accurrerint affectu magno in bello cum exercitu nostro contra inimicos nostros, et saepe demonstrati sint fortes in armis, et iuraverunt fore fideles pro semper maiestati nostrae. Nos igitur pro operibus eorum dignis confirmamus ipsis leges omnes, consuetudines, facta indulta, et concedimus eis tenere navicula pro eorum indigentiis et piscatione; et clementia nostra concedit eis totum, quod supra petierunt et ut continetur cum perpetua confirmatione non solum, sed etiam concedimus nobilibus praedictis, quod totum illud, [quod] decisum erit ab eorum

comite, vaivoda, iudicibus et consilio nobilium, debet esse firmum, quantum si a nobis iudicatum esset. Et confirmamus illis omnia privilegia concessa a serenissimis regibus Hungariae et omnia alia habita temporibus transactis, et totum id pro semper, et munimus sigillo nostro regali argenteo pendente. Pristinae, quarto octobris 1289. Stephanus Ninoslaus Grabglanovich secretarius.

*Ova patvorina je više puta tobože potvrdjena. Ovo su potvrde·*

*1. god. 1310. 6. septembra u Miloševu po Stjepanu Kotromanu banu bosanskom. Spominju se »loca et civitates universi banatus nostri«.*

*2. 1360. 21. maja u Prištini po Stjepanu Tvrtku, kralju bosanskome. Spominju se; »loca et civitates regni nostri.«*

*3. 1423. 4. aprila po republici mletačkoj.*

*4. 1437. 30 marta potvrdjuje· »Xanza Frangipani Vegliae, Segnae, Modrussi, Cetinae, Clissae, Almissae comes, Dalmatiae et Croatiae banus*

*Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont. IX. 497.—498.*

## 566.

**1289, 9. oktobra. U Trogiru.**

*Otac proglašuje sina samostalnim gospodarom.*

In nomine domni potentis dei amen. Anno eiusdem a natiuitate millesimo ducentesimo octuagesimo nono, indiccione secunda, regnante domino Ladizlao serenissimo rege Vngarie, temporibus venerabilis patris domini Gregorii episcopi, nobilium virorum domini Georgii de Birberio comitis et domini Stephani, domini Vgerii de Ancona potestatis Traguriensium, die nono mensis octubris. Petrossius filius Abre Mecche in filium suum Yuannem nimium amorem et integram dileccionem gerens uolensque, quod dictus eius filius seorsum a se et aliis filiis si quos . . in posterum [ase]cuturus est pro se aliquid proprium habere possit et ualeat, ex nunc dicto suo filio ibidem presenti et hoc in se recipienti omnem et liberam potestatem, libertatem et bailiam concessit et tribuit, cum . . . . . si quod habet uel habiturus est ab hodie in antea lucrandi, mercandi et fatiendi(!) libere sine sui patris contradiccione quod ei placuerit. Volens, affirmans, concedens et asserens eidem id totum pecunie uel alterius cuiusque rei quod habiturus et lucraturus est, libere eius sit sine contradiccione sui uel cuiusque alterius et de hiis ex nunc facere possit et ualeat quod liber homo et sui iuris de sua propria re facere potest ac de hiis donare, contrahere, pacisci, testari et cuiuslibet alte-

ius generis contractus et pacciones inire et facere prout ei placuerit. Promittens eidem in hiis impeditum aliquod non inferre set ....... omnia et singula rata et firma habere, tenere, attendere et obseruare sub pena et obligacione suorum bonorum et pena soluta uel non ratis manentibus omnibus et singulis supradictis. Actum Tragurii in domo Zolle Plusii habitatoris mei subscripti notarii, pressentibus (!) Francisco domini Valentini examinatore, Joue Pasque et dompno Natale Lupsie testibus de hiis uocatis et rogatis.

*(Drugi rukopis).*

Ego Francisco Valentini examinaui.

*(Signum not.)*

Et ego Petrus Symi de Puluro auctoritate imperiali et nunc ciuitatis predicte notarius rogatus scripsi et publicaui.

*Original u ark. kaptola u Trogiru no. 27.*

## 567.

**1289, 9. oktobra. U Kotoru.**

*Posveta crkve sv. Nikole.*

Ecclesiam beati Nicolai mirabili modo depictam ad honorem et laudem dei et dicti beati vir nobilis Tryphon Balduinus de Dragone et filii sui Drago et Germanus fundaverunt, haereditaverunt et consecrari fecerunt de sua propria substantia. Admodum reverendo domino Domnio episcopo Catharensi et suo capitulo donant dictae ecclesiae omnes possessiones suas circa ecclesiam dictam, scilicet vineas, zardinos et hortos pro remedio animarum suarum. Actum in praesentia episcopi et sui capituli et totius populi civitatis. Thomas de Firmo Cathari notarius scripsit et roboravit.

*Ex collectione Ms. Papafavae.*
*Kukuljević Reg. no. 1446.*

## 568.

**1289, 21. oktobra. U Zagrebu.**

*Plemići od koljena Rate prodavaju Stjepanu banu svoj posjed Drozgomet kraj potoka Maje.*

Capitulum Zagrabiensis ecclesie universis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in domino. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod Mark filio Martini pro se et fratribus suis Gregorio videlicet et Demetrio, item Dersk filio Mortunus pro se et fratre suo Andrea nobilibus de genere Rata ab una parte, et Nicolao filio Arlandi pro domino suo nobili viro Stephano bano filio comitis St[ephani] ab altera, personaliter in nostri presencia constitutis idem Mark et Dersk confessi sunt se et fratres suos prenominatos de bona et spontanea voluntate eorum quandam terram suam de Drozgometh existentem iuxta fluvium Maya nuncupatum cum omnibus utilitatibus et pertinenciis eiusdem prefato St[ephano] bano vendidisse, tradidisse et assignasse, ac per eum suis heredibus heredumque suorum successoribus iure perpetuo possidendam et habendam pro viginti marcis, quas se et fratres suos dixerunt ab eodem St[ephano] bano plenarie recepisse. Obligantes se iidem venditores ad expediendum eundem Stephanum banum et eius heredes ab omni super ipsa vendita terra per quempiam in posterum emergente questione in propriis ipsorum laboribus et expensis. Cuius quidem terre sicut homo noster fidelis et partes retulerunt, incipit prima meta a parte orientali in latere montis Cupckagorycha vocata ab arbore nucis cruce signata, inde tendit versus occidentem per eandem Cupckagorycha ad arborem yva uulgo vocata, inde per eundem montem pervenit ad quandam fruticem yezeno gorni ubi est meta terrea, inde tendens pervenit ad arborem nucis, de qua procedens venit ad montem ubi sunt due arbores haraztfa vocate, ibi eciam sunt due mete terree, deinde per viam paruam ad alium montem ad arbores haraztfa, quarum tercia est arbor que nuncupatur yva, ibidem eciam meta terrea existente, exinde versus semptentrionem per eundem montem ad arborem cerasi, de qua cadit in fluvium Clococheuec vocatum, per eundem fluvium tendens cadit ad silvam ad arbores videlicet fyzfa, de quibus per parvum et modicum spacium procedens cadit in parvum fluvium et per eundem fluvium cadit in fluvium Maya vocatum, inde superius per eundem fluvium versus meridiem vadit ad arborem topul vocatam, deinde cadit ad priorem metam ibique termi-

natur. In cuius rei memoriam et certitudinem presentes ad instanciam parcium sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum et actum in festo undecim millium virginum, anno domini MCC. octuagesimo nono.

*Privileg. monaster. B. V. Mariae de Toplica, no. XLIX. Tkalčić Mon. episc. Zagrab. I. 226. — Wenzel Cod dipl. Arp. cont. XII. 484.—485. po originalu iz arkiva knezova Eszterházya. — Kukuljević Reg. no. 1447.*

## 569.

**1289, 10. decembra. U Spljetu.**

*Dimicijana daje dozvolom nadstojnice samostana sv. Benedikta punomoć Miliću, da je zastupa.*

In nomine domini amen. Anno eiusdem ab incarnacione domini MCCLXXXVIIII., indiccione secunda, die X. mensis decembris, regnante domino nostro Ladizlao serenissimo rege Vngarie. Temporibus venerabilis domini Johannis archiepiscopi Spalatensis, illustris viri domini Maladenni de Birberio comitis Spalatensis, egregii uiri domini Ramaldi de Cerobottis de Ancona potestatis Spalatensis, nobilium uirorum dominorum Joseppy Petri, Petri Damiani et Madii Dobri. Domina Dimitiana de voluntate et consensu sue abbatisse sancti Benedicti et sua or . . . fecit, constituit et ordinauit Milliçe filium quondam Pecche ibidem presentem et sponte recipientem suum procuratorem, actorem, negociorum gestorem et nuntium specialem in causa seu causis, quam uel quas habet uel habitura est cum Lucaro quondam Andree de quadam domo posita in fenestris iusta ecclesiam sancti Andree, in curia domini potestatis uel alibi ubicumque coram quocumque iudice uel auditore dato uel dando, ad agendum et defendendum litem et iuramentum calumpnie seu de ueritate dicendum et cuiuslibet alterius generis in animam suam prestandum, excepciones cuiuscumque generis proponendum, testes et instrumenta producendum, alterius partis iurare uidendum, sentenciam audiendum, appellandum et appellationem prosequendum, benefitium absolucionis, si opus fuerit, et restitutionis in integrum implorandum, alium uel alios procuratores loco sui substituendum et reuocandum, et generaliter omnia et singula facienda et exercenda, que ipsamet facere et exercere posset, si personaliter interesset. Promittens coram me notario et testibus infrascriptis se ratum et firmum perpetuis temporibus habituram, quicquid per dictum eius procuratorem, substitutum uel sub-

stitutos ab eo factum fuerit in premissis et quolibet premissorum. Actum . . . . in monasterio sancti Benedicti pressentibus(!) Junio Drage et Jachcxa filio Gçcoli(!) Menchati testibus [et aliis].

*(Drugi rukopis).*

Ego Petrus filius quondam Petrahe consius(!) exami[naui].

*(Signum not.)*

Et ego Thomas Vitalis de Perusio auctoritate imperiali notarius et nunc autem iuratus Spalatensis notarius interfui rogatus eaque scribere scripsi meoque signo posui et nomine roboraui.

*Original u arkivu samostana sv. Marije u Zadru.*

## 570.

**1289. U Baču.**

*Pred kaptolom bačkim svjedoči se o izmjeni zemlje u županiji vukovskoj.*

Capitulum ecclesie Bachiensis omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis salutem in eo, qui est vera salus Ad universorum notitiam harum litterarum serie volumus pervenire, quod cum ad instantiam et petitionem comitis Andree Deniperi castelani de Zata et comitis Herrici dicti Katach hominem nostrum misissemus, idem ad nos rediens nobis dixit, quod antedicti comes Andreas et comes Herricus ex voluntate et consensu filii sui nomine Nicolai, qui ibidem presens aderat, talem permutationem inter se celebrarunt, ut memoratus comes Andreas in concambium possessionis ipsius Herrici Churug vocate existentis in comitatu Bachiensi, dedit et assignavit eidem comiti Herrico terram Scylmezeu vocatam existentem in comitatu de Wolkou, cum omnibus utilitatibus et pertinentiis suis iure perpetuo possidendam. Prefatus vero comes Herricus superius dictam possessionem suam Churug vocatam dedit et assignauit predicto comiti Andree firmiter cum omnibus iuribus et pertinentiis suis in concambium sepedicte terre Scylmezeu vocate, quam ex collatione regia possidebat, iure perpetuo et in filios filiorum possidendam, a nullo unquam propinquorum suorum requirendam. Preterea eodem die et loco comes Benedictus officialis pretacti comitis Herrici coram nobis nomine et vice eiusdem domini sui, ut dicebat, constitutus, confessus est viva voce comitem Andream prenominatum ad supplecionem iam dicte terre Scilmezeu quia ipsa terra vacua et habitatoribus destituta existebat, sexaginta marcas exol-

uisse comiti Herrico sepius nominato. Ut igitur talis permutatio seu concambium processu temporum in irritum non possit per quempiam revocari seu retractari, ad petitionem partium presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno domini MCC. octuagesimo nono. Nicolao preposito, Philippo lectore, Laurentio cantore, Sebastiano Bachiensi, Paulo Syrmiensi, Jacobo Scygidiensi archidiaconis, Morcolpho custode, Daniele decano, ceterisque fratribus in ecclesia Bacsiensi fideliter famulantibus et devote.

*Iz novoga dipl. zbornika F. Széchényia in fol. vol. I. 524—527. u narod. muzeju u Budimpešti. Prepisivač imao original, za koji veli, da je chirograf, a pečat da je otpao.*

*Fejér Cod. dipl. Hung. V. 3 472.—473.*

## 571.

**1289. U Kotraži.**

*Jelena kraljica srpska potvrdjuje Dubrovčanima zemlje, koje su posjedovali za vrijeme Uroševo.*

✝ Пишє кралевьство ми, да ѥ вѣдомо всакомȣ. Милость створи кралевьство ми ѡпьщинѣ дȣбровьчкои, що си сȣ дрьжали виноградє ȣ господина ми свєто почивьшега кралꙗ, то да си и сьдє дрьжє; и какȣ имь ѥ милость створиль синъ кралєвьства ми краль Ȣрошь, такогє имь и ꙗ єткарамь. А тȣ им милость створи кралевьство ми на Котражи. А тȣ бѣшє сȣдиꙗ Болєславь, казньць Мрьнань, сȣдиꙗ Десиславь. А приде ѡдь нихь ȣ посьльство кралевствȣ ми Лȣкарь Михоиловикь и Пиро Гоиславикь. Да кто се прѣтвори, да приме гнѣвь и наказаниѥ ѡть кралевьства ми, а тьде бѣше имь кнезь дȣбровьчаномь Маринь Жорьги.

Ѥлена кралица.

*Miklosich Mon. Serb. 56. no. 59. — Kukuljević Reg. no. 1451.*

## 572.

**1289. U Prizrenu.**

*Stjepan Uroš kralj srpski daje Dubrovčanima, da posjeduju polja i vinograde, koje su posjedovali za vrijeme oca njegova.*

† **Пише кралевьство ми, да є ведомо всакомꙋ. Створи милость кралевьство ми градꙋ дꙋбровьчькомꙋ, що єꙋ дрьжали земле и виноградь и ѡраниꙗ ꙋ господина ми свето почившега ѡтьца ми, такожде нимь створи милость кралевьство ми, да си дрьже и ꙋ кралевьства ми, а да нимь не забаве ни ѡдь когаре. Тько ли се ѡбрѣте потворивь повеленије кралевьства ми, и що нимь забави ис пакости, да приме гневь и наказаније ѡдь кралевьства ми А тꙋ нимь милость створи кралевьство ми ꙋ Призрене ꙋ граде, а странь кралевьства ми беше слꙋга Драгославь и Бꙋдиславь Хвальчикь А тꙋ нимь милость ꙋчини кралевьство ми, кьди приде Лꙋкарь Михоиловикь и Пѣро Гонславикь. А ꙋ то време беше кнезь ꙋ Дꙋбровьнице Маринь Жꙋрьжи**

**Стефань Ꙋрошь краль.**

*Miklosich Mon. Serb. 55. no. 58. — Kukuljević Reg. br. 1250.*

## 573.

**1289.**

*Guilermo prior templarski prodaje zemlju Švegovo knezu Odolenu.*

Nos frater Guillermus de Suaseto domorum militie templi per Hungariam et Sclavoniam magister tenore presentium significamus quibus expedit universis, quod constitutus coram nobis et coram iobagionibus castri Fabianus filius Pozobuc, terram suam Suegeuo vocatam superiorem cum omnibus utilitatibus et pertinentiis suis sub antiquis metis, terminis et limitationibus per examinationem proborum virorum, Nicolai videlicet de Zkabina, Pribina, Jurini filii Georgii de Greda, Moitini ac aliorum nobilium comiti Odoleno filio comitis Bogdani propinco(!) consanguineo suo se vendidisse [pro] viginti marcis denariorum sibi plenarie persolutis est confessus, quam Blasius senior frater dicti Odoleni astans noluit emere, sed fratri suo comiti Odoleno permisit, qui sibi propriis rebus

suis comparavit, et sicut intelleximus ab eodem Fabiano et alios emptores incitabat, est ipsa terra ad emendum, nisi comes Odolenus comparasset, ut debuit. Ad hec nos una cum iobagionibus castri nobiscum assedentibus supradictam [t]erram sepetato comiti Odoleno et per eum suis heredibus heredumque successoribus statuimus, confirmavimus cum presentibus literis nostris tenendam et possidendam petpetuo procul omnium contradictione. Datum anno domini M. CC. LXXXIX.

*Thallóczy és Barabas Codex dipl. com. de Blagay 54—55. no. 26.*

## 574.

**1289. U Čazmi.**

*Pred kaptolom čazmanskim ustanovljuju se neke prodane zemlje.*

In tenore literarum (capituli Chasmensis in anno domini M° CC° octuagesimo nono emanatorum) visum fuerat contineri, quod comite Rodyno a parte una, et Jacobo filio Blagonya coram eodem capitulo personaliter constituti ab altera, idem comes Rodynus dimidietatem particule terre inter fluvios Bokonoh et Hrednyk vocatos existentis, ad ipsum ex parte Martini filii Pethk pro viginti quatuor marcis denariorum secundum formam privilegii eiusdem capituli Chasmensis exinde confecti devolute, equali divisione confessus extitisset vendidisse eidem Jacobo suisque per eum heredibus pro duodecim marcis denariorum perpetuo possidendam sub condicione et metis in eisdem specifice contentis perpetuo possidendam.

*Iz presude bana Nikole Seča od g. 1368 Original u arkivu grofa Festetića u Kestelju.*

*Cod. dipl. patrius VIII. 269.—270. no. 216.*

## 575.

**1289.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski oslobadja podložnike Andrije itd. od plemena Gutkeled od kunovine i drugih dača.*

[L]adizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in omnium saluatore. Vt colla-

ciones regie perpetua firmitate solidentur, litterarum solent testimonio communiri, inconcussum quippe permanet, quod regio fuerit patrocinio communitum. Proinde ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod Endree, Dyonisius et Lothardus filii Lothardi de genere Gutkeled ad nostram accedentes presenciam a nobis instantissime supplicando pecierunt, ut collectam populorum suorum in comitatu Wlko existencium, martuninarum videlicet septem denariorum vt(!) victualium, que uulgariter sulusma(!) nuncupatur, eisdem relaxare de benignitate regia dignaremus. Nos igitur consideratis seruiciis et fidelitatibus prefatorum Endree, Dyonisii et Lothardi, que in omnibus expedicionibus regni nostri fideliter impenderunt, omnes populos seu iobagiones ipsorum in prefato comitatu commorantes a predicta exaccione collecte marturinarum septem denariorum et eciam victualium omnino duximus exhimendos(!) ita, vt de cetero bano pro tempore constituto exaccioni seu collecte huiusmodi in nullo dinoscantur adiacere, se omnino expediti et exempti habeantur. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem presentes concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabillis patris Thome episcopi Wachiensis aule nostre cancellarii dilecti fidelis nostri anno domini M°CC° LXXX° nono.

*Iz potvrde kralja Karla od god. 1314. 15. februara na molbu, što je podnio »magister Mortunus filius Endre bani«, u arkivu knezova Esterházya.*

*Wenzel Cod. dipl Arp. cont. IX. 493. — Kukuljević Reg no 1449.*

## 576.

**1290, u prvoj poli januara. U Dubrovniku.**

*Sud nadbiskupa glede jedne prčije.*

In nomine domini Amen. Exorta dudum coram nobis fratre Bonaventura de ordine minorum miseracione diuina archiepiscopo Ragusino inter Nalescum et Andream de Palialoco actores ex una parte, et Pascam de Mergnuco procuratorem Bellosclaue olim ancille Jacobi condam de Dragochina et vice et nomine ipsius ex altera, super quadam summa pecunie, quam citate cuiusdam perchiuii cuiusdam Bratosclaue condam uxoris dicti Jacobi materia questionis; cuius cause siue questionis tenor talis est: Coram vobis etc dicunt et proponunt Nalescus et Andreas de Pallialoco nepotes Bratosclaue filie Andree de Pallialoco uxoris condam

Jacobi de Dragochina contra Bellosclauam Biçogam olim ancillam dicti Jacobi de Dragochina, quod donec patronus suus Jacobus predictus noster auunculus viveret, potuit suum et dotes uxoris sue Bratisclaue amite nostre possidere, post mortem vero eiusdem Jacobi dotes debent redire propinquioribus parentibus secundum Ragusinam consuetudinem; cum Bratosclaua obierit intestata et sine herede et dictus Jacobus non potuit de dotibus dicte amite nostre facere testamentum que dotes fuerunt trecenti yperperi. Quare petunt dictam Belosclauam constringi censura ecclesiastica, ut exeat de positionibus et rebus nostris, cum sumus propinquiores parentes dicte Bratesclaue. Cui Nalesco, licet Andreas citatus peremptorie noluerit comparere, in questione huiusmodi diffidens de iure suo, Pasca de Mergnuco predictus procuratoris nomine et vice et nomine dicte Bellosclaue Biçoghe(!) olim ancille dicti Jacobi ex adverso respondit dicens: Reverende pater admiror non modicum de proposicione istorum, cum non teneor eisdem [in aliquo] respondere, quoniam sepenominata Bratosclaua condidit testamentum, quod testamentum productum fuit in iudicio et ostensum. Et hiis questionibus actis ambe partes renuntiauerunt aliis omnibus probationibus imposterum faciendis et in causa predicta voluntarie concluserant, petentes super predictis sententiam ferri. Nos itaque visis et diligenter inspectis testamentis predicti Jacobi et Bratesclaue predictorum, ac diligenter examinatis ac eciam consideratis iuribus et allegacionibus utriusque partis, quas allegare dare in scriptis vel oretenus dicere voluerunt, et super hiis omnibus habito quam plurium consilio peritorum et intra nos deliberatione solempni utraque parte presente in termino sibi dato ad hanc sentenciam audiendam et sentenciam postulante, solum deum habentes pre oculis et eius nomine inuocato in hiis scriptis sententiam do. Absoluimus dictum Pascam procuratorio nomine pro dicta Bellosclaua ab impeticione predictorum Nalleschi(!) et Andree, cum dicta Bellosclaua predictis Nalescho et Andree non teneatur in aliquo respondere, cum non possideat de bonis Bratesclaue predicte ser Jacobi supradicti, tamen si quid habent petere, petant a pitropis dicte Bratesclaue, cum de bonis suis condiderit testamentum. Lata et pronunciata fuit hec sententia in archiepiscopatu Ragusino per dominum archiepiscopum supradictum pro tribunali sedente. Anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo, indictione sexta(!), die . . . . intrante ianuario, presentibus dompno Symone sacrista, Marino de Petragna et diacono Andrea de Benexa et aliis Ut autem hec sentencia magis robur obtineat firmitatis, supradictus dominus archiepiscopus eam mandavit sui sigilli munimine roborari.

*(Signum not.).*

Et ego Antonius filius condam domini Armani de Carletis civis Parmensis et predicti domini archiepiscopi Ragusini iuratus officialis, imperialis aule publicus auctoritate notarius hiis omnibus interfui, rogatus scripsi et de mandato sepedicti domini meoque signo consueto et nomine roboraui.

*Original u arkivu samostana dominikanskoga u Dubrovniku. Crvena vrvca ostala, pečat otpao. Listina oštećena kod datuma. Indikcija sumnjiva.*

## 577.

**1290, 20. januara. U Šoltunu.**

*Ivan ban daruje Nikoli sinu Ivana pustu zemlju Čanjevo u križevačkoj županiji.*

Nos Johannes banus tocius Sclavonie, comes Supromiensis et Castriferrei significamus quibus expedit vniuersis et presentes ostendentur, quod consideratis meritoriis seruiciis Nicolai filii Iwan, quandam terram Chanow vocatam in comitatu Crisiensi existentem uacuam et habitatoribus destitutam dedimus, donauimus et contulimus ipsi Nicolao iure perpetuo possidendam. Datum in Soltun, in festo beatorum Fabiani et Sebastiani, anno domini M⁰CC⁰ nonagesimo.

*Ovu izpravu potvrdio je iste god. 1290. 29. novembra kralj Andrija III. Original ove potvrdnice nalazi se u kr. zem. arkivu u Zagrebu: Doc. med. aevi*

## 578.

**1290, 2. februara. U Ninu.**

*Grgur sin Berislava daruje Proku sinu Krševana neku svoju zemlju »Va rtu«.*

In Christi nomine. Anno incarnationis eius millesimo ducentesimo octuagesimo nono, mense februario die secundo intrante, indiccione tercia, None. Temporibus domini Ladizlay magnifici regis Hungarie, et Ma[r]cy venerabilis Nonensis episcopi, domini Pauli inclıti bani maritimi, ac Georgii eggregii comitis, nec non et domini Mladeni honorabilis po[testa]tis None. Ego quidem Gregorius filius olim Berislay per hoc presens scriptum confiteor: donasse tibi Procco filio olim Kerseuani unum

gonayum et dimidium terre mee proprie positum Wartu[1]; ex trauersa uinea nostra, ex austro vinea Radoslay Bermecheuig, ex meridie vinea Kerseuani Couacheuig, ex borea vinea Dobre habitatricis Jadre; ob quam donacionem dedisti mihi pro talione solidos triginta; quem decem unum gonayum et dimidium terre teneor tibi tuisque heredibus ab omnibus discalumpniare ac deffensare imperpetuum super omnia bona mea habita uel habenda in hoc seculo. Quare igitur a modo in antea liceat tibi prefatum unum gonayum et dimidium terre libere habere, perpetuo possidere, heredibus et proheredibus derelinquere, uendere, dare, donare, conmutare, pignori locare, pro anima indicare de omnimode ad tuam uoluntatem alienare nemine tibi contradicente. Actum est hoc et firmatum coram hiis uocatis et rogatis testibus scilicet: Bugio, Georgio Moysa Stepcouig, nunc iudicibus: Hrancio Bratoslauig et Stephano Luce.

*(Drugi rukopis).*

Et ego Drusina filius Johannis examinator manum meam misi.

Et ego Petrus Nonensis notarius interfui rogatus, ut audiui scripsi roboraui et solito signo signaui.

*(Monogram not.)*

*Original u arkivu jugoslavenske akademije u Zagrebu: Diplomata a. 1289.*

*Kukuljević Reg no. 1431.*

## 579.

**1290, 9. februara.**

*Stjepan ban osigurava samostanu u Kostanjevici (Landstrasse) desetinu od nekih posjeda.*

Nos Stephanus banus notum facimus vniuersis et singulis presentes litteras inspecturis, quod de bona uoluntate nostra ac filiorum nostrorum puro corde et bona uoluntate Fryschoni de Altenburch et Philippo filio suo indulgemus et relaxamus quicquit(!) in decimis subnotatis: in Zebur nouem mansi, in Grubelac septem, in Druga sex, Nazelich aput Nuztorf septem, vltra nouem marcas quicquit lucri et vtilitatis[2] receperunt de dictis decimis, quas a nobis pro nouem marcis vsque nunc tenuerunt obligatas, ita tamen, si sepedictas decimas, quas ecclesie fontis sancte Marie iuxta Landestrost in elemosinam contulimus ipsi ecclesie reddi-

[1] Jamačno »va rtu«.
[2] Slijedi »de« prekriženo.

derint libere et quiete possidendas. Similiter et ceteris omnibus duximus indulgendum, qui possessiones in ducatu Karynthie, quas ecclesie supradicte in elemosinam donauimus euidentem, ita tamen, si cum abbate et conuentu conposuerint secundum racionem iustam et honestam. In cuius rei testimonium sigillum nostrum duximus apponendum. Datum anno domini M° C° C.[1] nonagesimo, in octauis purificacionis virginis gloriose.

*Original u ljubljanskom Rudolfinu. — Visi o pergamenoj vezici dobro sačuvani pečat.*

## 580.

**1290, 12 februara. U Zadru.**

*Bratoslav Recinić prodaje Grižanu svoju zemlju u Virulama.*

In nomine domini amen. Anno incarnacionis eius millesimo ducentesimo octuagesimo nono, mensis februarii die duodecimo intrante, indicione tercia, Jadre. Temporibus equidem domini Petri Gradonici incliti ducis Venecie, et domini Andree Gausoni venerabilis Jadrensis archyèlecti, ac domini Marini Superancii egregii comitis. Ego namque Bratoslauus Recinig olym de Scibenico nunc autem habitator Jadre fateor, quomodo vendo, do, trado atque transacto vobis quidem Grisanno filio olym Crasinge et Marinne iugalibus habitatoribus Jadre vestrisque heredibus et successoribus totam vnam terram meam vndique maceriis congiratam cum suis propriis et integris maceriis, silicet boreali, trauersali et quirinali et cum medietate macerii australis positam in starea vltra portum Jadre ad Virrullas versus boream, et trauersam iuxta aliam terram meam, uersus austrum iuxta terram presbiteri Mathei Stephany de Orlando, et uersus quirinam est via publica seu quadam (!) terra vacua; cum omni longitudine et latitudine ipsius terre prenominate cum oliuis, arboribus et crescenciis suis, cum omnibus suis certis terminis, habenciis et pertinenciis tam subtus terram quam supra terram, atque cum omnibus iurisdictionibus, rationibus et iuribus suis a modo cum plena virtute, auctoritate et potestate totam ac omnimodam voluntatem vestram ex ea pro animabus et corporibus faciendi, nemine vobis exinde in perpetuum contradicente. Ob quam venditionem, dationem, traditionem siue transactationem vos dicti coniuges mihi bene et plenarie pro pretio in pecunia numerata dedistis et persoluistis libras venetorum paruorum triginta, de quibus eam pacatum me teneo. Vnde ego pre-

[1] Sljedi još: »C° nonagesimo« što je prekriženo i opet ispravljano.

dictus Bratoslauus cum heredibus et successoribus meis debeo et teneor vobis uestrisque heredibus et successoribus prefatam terram cum habenciis et pertinenciis suis omnibus ab omni homine ipsa calumpniante defensari (!) et excalumpniari super me et bonis meis omnibus habitis et habendis. Actum est hoc et firmatum presentibus hiis vocatis et rogatis testibus, videlicet: *Marino presbitero et Stanoyo Grancin.*

*(Drugi rukopisi).*

*+ Ego Matus Vanzas examinator manum misi.*

*Ego* Vincentius ecclesie sancte *Marie* maioris clericus et Jadrensis notarius predictis interfui rogatus, vt audiui hanc cartam scripsi, roboraui et signo solito signaui.

*(Signum not.)*

*Original u gubernijalnom arkivu u Zadru, odio samostana sv. Krševana, cap. XV. no. 269.*

*Farlati Illyr. sac. V. 84. spominje ovu listinu pod datumom u tekstu godine 1289. 12 februara; vidi se ovdje, da se njegova tvrdnja, da je Andrija bio 2 ili 3 godine archielekt, može i na g. 1290. protegnuti.*

## 581.

**1290, 15. februara. U Zadru.**

*Ivana de Nasse, žena Franjina, prodaje za 800 libara svi svoju baštinu po ocu i materi braći svojoj.*

In Christi nomine amen. Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo octoagesimo nono, indicione tercia, die quinto decimo intrante mense februario, Jadre. Temporibus equidem domini Petri Gradenici(!) inclita ducis Venecie, et domini Andree Causoni Jadrensis archielecti, ac domini Marini Superancii egregii comitis. Manifestum facio per hoc presens instrumentum ego quidem Johana (!) filia condam Nasse de Biualdo Jadre, quomodo cum voluntate et assensu viri mei Francisci filii condam Valentini de Tragurio, ac eciam cum voluntate et assensu matris mee Stane relicte condam dicti Nasse de Biualdo plene habui et recepi a uobis Matheo et Damiano fratribus meis filiis condam dicti Nasse de Biualdo libras denariorum venetorum paruorum octingentas, quas mihi integre persoluistis de bonis et dotibus vestrarum[1] vxorum pro dote mea seu re promissa mea et pro tota mea parte de omnibus bonis paternis, maternis et fraternis. Pro quibus uero octingentis libris

[1] Pisano 2 puta.

denariorum ego prenominata Johana do, dono, uendo, quieto, reffuto, atque transacto vobis vestrisque heredibus et successoribus integre totam meam partem mihi pertinentem, et que mihi quoquo modo pertinere potest tam ad presens quam in futurum de omnibus bonis paternis, maternis et fraternis et tam de mobilibus quam de immobilibus paruis et magnis ubicumque sunt et inueniri poterunt ita, quod quandocumque dicta bona paterna et materna diuidentur inter vos et alios filios et heredes condam dicti Nasse nostri patris et suprascripte Stane nostre matris, possetis libere cum vestris heredibus et successoribus recipere, in vobis trahere et habere, sicut ego presens facere possem et deberem totam predictam meam partem de omnibus predictis bonis paternis et maternis, et facere ac dicere de ipsa mea parte omnem vestram voluntatem, comodum et profectum, sicut de uestra propria legitime empta; et in omnibus et per omnia facio me et meos heredes foras de tota predicta mea parte omnium predictorum bonorum paternorum et maternorum presencium et futurorum; et ipsam uobis totam transacto, reffuto, relinquo et in omnibus et per omnia et quieto sicut rem vestram a me legiptime(!) comparatam, quia nichil remansit de ipsa parte mea, ynde per me uel meos heredes aut successores valeam vos uel matrem nostram prenominatam aut vestros heredes uel successores de predicta mea parte requirere seu in aliquo molestare per ullam racionem, ingenium seu causam, que dici possit uel cogitari per homines viuentes sub celo et super terram. Et insuper promitto cum meis heredibus et successoribus omnia suprascripta et singula semper habere et tenere firma, rata et grata et nunquam contrauenire per ullum modum uel ingenium seu causam sub pena dupli dicte partis, secundum quod valebit pro tempore. Et insuper pro maioris nexu firmitatis me obligo et promitto cum meis heredibus venire uel mittere ad vos Jadram meum nuncium et procuratorem sufficienem, quando fiet predicta diuisio bonorum paternorum et maternorum inter vos et alios heredes predictorum Nasse et Stane nostrorum patris et matris et accipere meam partem et eam totam dare et assignare vobis uel uestris heredibus aut successoribus et ponere tunc vos uel heredes vestros aut successores per me uel heredes meos aut per meum certum et sufficientem nuncium uel procuratorem in plena et corporali tenuta et possessione tocius dicte mee partis mee(!), omnium predictorum bonorum mobilium et immobilium presencium et futurorum sicut in rem vestram propriam, et hec omnia et singula suprascripta me obligo et promitto plene attendere et obseruare uobis suprascriptis fratribus meis vestrisque heredibus aut successoribus sub eadem pena dupli et omnium expensarum, quas in curiam(!) uel extra feceritis hac de causa super me et omnia bona mea presencia et futura.

Et ego suprascripta Stana de Nasse confiteor, quia maritaui te prenominatam Johanam filiam meam cum predicta tua parte bonorum paternorum et maternorum scomputata(!) tibi in dote et repromissa tua, et quia noluisti expectare predictam tuam partem predictorum bonorum ad obitum meum, sicut alii heredes mei expectant, set(!) pro tua maiori vtilitate et profectu cum mea uoluntate et assensu vendidisti ipsam partem tuam suprascriptis tuis fratribus Matheo et Damiano, qui eandem partem tuam emerunt cum dotibus suarum vxorum aggrauando se et satisfaciendo tibi et suprascripto viro tuo Francisco pro tuis vtilitatibus faciendis. Vnde ego prenominata Stana mater tua et ipsorum Mathei et Damiani tuorum fratrum laudo, ratifico et confirmo omnia et singula suprascripta. Actum est hoc et firmatum coram hiis vocatis et rogatis testibus, scilicet: Vito de Cerna, Barthe filio condam Grisogoni de Mauro Jadrensibus et Stephano filio condam Duymi de Cega de Tragurio et aliis.

*(Drugi rukopis).*

† Ego Madius Varicasa examinator manum missi.

Ego Henricus imperiali auctoritate notarius et Jadrensis iuratus hiis interfui et rogatus scripsi et roboraui.

*(Signum not.).*

*Original u arkivu samostana sv. Marije u Zadru.*

## 582.

**1290, 7. marta. U Trogiru.**

*Odredbe trogirskoga vijeća glede nekih prognanih gradjana trogirskih.*

1290. die septimo mensis martii. Actum in palatio ciuitatis Traguriensis, presentibus Donato domini Nicole examinatore, dominis Dessa Amblasii, Luca Mathei, Valentino Casarizze et aliis pluribus testibus hiis vocatis et rogatis. Quia Petrus, Lucas, Zannes, Martinossius et Margaritus filii quondam Jacobi Petri de Tragurio in eorum libertate propria existentes coram me notario, dictis examinatoribus et testibus vere confitentur, affirmant et asserunt, quod dominus Vitus Cerni de Jadria suo nomine pro D. libris et procuratorio nomine domini Miche Martinossi de Jadra pro M. libris, Preuoslauus Dobralis pro C. libris, Milcius Desse pro C. libris et Dompnus Vulcinna procuratorio nomine domine Jacobine sue matris pro C. libris, Duymus Gaudii pro C. libris, Ciprianus Petri Leonardi pro C. libris, Joannes Rambaldi pro C. libris et Creste

Alberti pro C. libris, Theodosius Alberti procuratorio nomine domine Agapis vidue quondam Gregorii Grubi pro C. libris, Domaldus Duymi Cuttbigne pro C. libris et dominus Theodosius procuratorio nomine sue matris et domine Goisclaue relicte Alberti pro C. libris. Item dicti domini Vitus, Creste, Theodosius pro dominis Zanne, Duymo et Leonardo comitibus Vegle pro M. libris. Item Marcus Stefani Raghe procuratorio nomine Vuchese filii quondam comitis Budislaui de Birberio pro D. et procuratorio nomine et Petrusius Cerniche pro C. libris, Lucas Bastiani pro C. libris, Gausinna comitis Marini pro C. libris, Theodosius Firmini pro C. libris et Marinus Andree pro C. libris denariorum venetorum paruulorum pro ipsis Petro, Luca, Zanne, Martinossio et Margarita in predictis quantitibus prout suprascriptum est fideiusserunt et se obligauerunt, et eorum mandato apud virum nobilem dominum Stefanum Vgerii de Ancona potestatem ciuitatis Traguriensis et commune dicte ciuitatis et apud magistrum Philippum notarium dicti domini potestatis et dicte ciuitatis recipientem pro dicto domino potestate et in dicta ciuitate in his videlicet, quod ipsi Petrus, Lucas, Zannes, Martinossius et Margaritus cunctis temporibus eorum vite parebunt et obedient mandatis potestatis, qui pro tempore fuerit, et communi dicte ciuitatis et maxime de non offendendo, neque offendi faciendo in personis vel rebus commune seu speciales personas ciuitatis predicte, neque contrarium aliquid dicte ciuitati facient vel specialibus personis, vel modo aliquo per . . . . . . . . . . . . . . et quod ad mandatum domini potestatis et communis Traguriensis ibunt Anconam et ibi stabunt iuxta mandatum ipsius domini potestatis secedentes per quatuor annos continuos, stabunt in Dalmatia extra districtum Traguriensem a ciuitate Spalati vsque Fluuium seu Tars[at]icum. Et dictis quatuor annis completis cum omnibus suis familiis stabunt Jadre vsque ad tempus vite eorum, et si contigerit eos per mare applicare per fortunam ad partes Tragurii in terram non descendent, sed quam citius poterunt inde omnino secedent, et ad omnia et singula se pro eis obligasse in predictis quantitatibus prout in instrumento promissionis scripte per dominum Philippum notarium plenius continetur, renunciantes exceptioni dictarum promissionum et obligationum eorum precibus et mandato in predictis quantitatibus prout supra scriptum est per predictos fideiussores, non iure et omnibus legum et decretorum auxiliis, quibus se tueri vel defendi modo aliquo possent. Idcirco dicti Petrus, Lucas, Zannes, Martinossius et Margaritus solempni stipulatione promiserunt domino Theodosio stipulanti et recipienti tam pro se quam pro omnibus et singulis fideiussoribus supradictis, ipsos et quemlibet eorum omni tempore a dictis promissionibus, fideiussionibus et obligationibus et ab omnibus et singulis dampnis, expensis et inter-

esse, et eorum et cuiuslibet eorum heredes conseruare indemnes, obligantes se personaliter et omnia bona sua presentia et futura pro obseruatione omnium et singulorum predictorum domino Theodosio stipulanti nomine suo et nomine omnium et singulorum predictorum fideïussorum. Que omnia singulariter singula et vniuersaliter vniuersa promiserunt dicti Petrus, Lucas, Zannes, Martinossius et Margaritus stipulatione solempni dicto Theodosio stipulanti et recipienti nomine suo et nomine omnium et singulorum predictorum fide rata et firma habere et tenere, attendere et obseruare et non contrauenire et damna et expensa reficere indebita et extra sub pena et obligatione omnium suorum bonorum presentium, et futurorum, et pro rata eorum et cuiuslibet eorum dantes et concedentes etiam Theodosio stipulanti suo nomine et nomine predictorum fideiussorum, atque volentes, quod si per eos vel aliquem ipsorum fuerit in aliquo contrafactum, licentiam, libertatem, bayliam et potestatem auctoritate propria capitulis, statutis, ordinamentis seu consuetudinibus alicuius ciuitatis, castri vel loci non obstantibus et ipsos personaliter capiendi, ducendi et detinendi et possessionem et tenutam dictorum bonorum intrandi, vendendi vel apud se iusto pretio retinendi, donec eis et cuilibet eorum fideiussorum et suorum heredum de predictis quantitatibus, damnis et expensis et interesse fuerit totaliter satisfactum, quibus capitulis, statutis, ordinamentis et consuetudinibus sponte et expresse renuntiauerunt et pena soluta vel non ratis manentibus omnibus et singulis supradictis.

*Lucius Memorie di Traù 128—129. — Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont. IX. 570. — Kukuljević Reg. no. 1455.*

## 583.

**1290, 8. marta. U Rimu kod sv. Marije.**

*Nikola IV. papa postavlja Lamberta Franjevca za biskupa krčkoga*

Nicolaus episcopus servus servorum dei venerabili fratri Lamberto episcopo Veglensi salutem et apostolicam benedictionem. Vacante dudum Veglensi ecclesia per obitum bone memorie Marini Veglensis episcopi, due fuerunt electiones a canonicis ipsius ecclesie, una videlicet de fratre Johanne de Vegla Minorum et altera de fratre Zacharia Predicatorum fratrum ordinum in discordia celebrate. Huiusmodi vero electionum negotio ad sedem apostolicam devoluto, cum dicti electi infra tempus a iure statutum, et etiam post ad eandem sedem accedere non

*

curarent pro huiusmodi electionum suarum negotio prosequendo, nos ipsos in audientia publica citari fecimus, ut ad prosequendum ius, si quod eis in electionibus huiusmodi competebat, certo termino comparerent; et demum cum nullus illorum ad hec comparere curaret, pronuntiavimus ipsos a iure, si quod eis competebat ex eisdem electionibus, cecidisse. Deinde vero, ne dicta ecclesia ulterius viduitatis incommoda deploraret, ei de pastore ydoneo providere volentes, ad personam tuam, morum honestate decoram, litterarum scientia preditam, in spiritualibus providam, in temporalibus circumspectam ac aliis virtutum donis multipliciter commendatam, direximus oculos nostre mentis, illam fore perutilem ad ipsius ecclesie regimen arbitrantes. Eapropter te ordinem fratrum Minorum professum de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie in episcopum prefecimus et pastorem, [tibi] curam et administrationem ipsius Veglensis ecclesie spiritualiter et temporaliter committendo, firma de te concepta fiducia, quod dirigente domino actus tuos inibi cultus divinus augebitur, et eadem ecclesia per tue circumspectionis industriam in spiritualibus et temporalibus prospere dirigetur, et salubria, dante domino, suscipiet incrementa. Reverenter igitur suscipe iugum domini et suavi eius oneri humiliter colla flecte, manumque mittens ad fortia ipsius Veglensis ecclesie administrationem exequi studeas diligenter, et gregis tibi in ea commissi custodiam prosequaris sollicite ac prudenter, ut laudabili de ipso in die iudicii reddita ratione una cum eis eterni patris regnum ab origine mundi preparatum electis merearis accipere, ac dilecta domini tabernacula possidere. Datum Rome apud sanctam Mariam maiorem, VIII. idus martii, pontificatus nostri anno tertio.

In e. m. Capitulo ecclesie Veglensis, clero et populo civitatis et diocesis Veglensis.

*Theiner Mon. Slav. Mer. I. 107—108. no. 143. Iz Reg. An. III. ep. 65. fol. 11. — Farlati Illyr. sac. V. 301—302. — Wadding Annal. Minor. V. 535. no. 42. — Sbaralea Bullar. Francisc. IV. 440. no. 232. — Potthast Reg. pontif. II. 23.207. — Kukuljević Reg. no. 1456.*

## 584.

**1290, 29. marta. U Zagrebu.**

*Gardun kastelan medvedgradski i blaguški dosudjuje Ivanu sinu Martinovom neku zemlju u Žepnici, koju mu Itemerij oteo bio.*

Nos comes Gardun castellanus venerabilis patris domini Johannis dei gracia episcopi Zagrabiensis de castro Medwey et Blagosa[1] memorie commendantes significamus quibus expedit vniuersis per presentes, quod cum relicta Martini filii Thoma de Scepnicha iobagionis castri, astante sibi Otto gladipurgatore nunc marito suo, Itemerium servientem Martini quondam castellani de Blagosa[2] conuenissent coram nobis. Egerunt contra eundem in hunc modum: quod prefatus Itemerius terram filii sui a prefato Martino procreati, Iuan nomine, existentem in Scepnicha inter terras Laztech et Stank ac comitis Perchini quondam occupatam indebite detineret. E contrario uero prenominatus Itemerius respondens asseruit super ipsa terra se habere instrumenta, quibus mediantibus obtentam possedisset. Ad que coram nobis presentanda, dum terminum recepisset, Itemerius prenominatus in ipso termino nullas litteras, instrucciones seu instrumenta aliqua potuit exhibere, expectatus per memoratos Ottonem et uxorem suam ac Iuan supradictum legittime coram nobis. Quo habito eandem terram cum vniuersis utilitatibus ac attinenciis suis ac circumstanciis metarum, prout prefatus Thoma auus dicti Iuan tenuit et possedit, statuimus et reliquimus Iuan supradicto perpetuo possidendam, salua quarta parte terre prefate Damasdo(!) pertinente. Datum Zagrabie, feria quarta post dominicam palmarum proximam, anno domini MCCLXXXX.

*Liber privileg. eppatus. Zagrab. list. 41.*
*Tkalčić Monum. episc. Zagr. I. 227.— Kukuljević Reg. no. 1457*

---

[1] Naš rukopis pogrešno Baglosa.
[2] Opet rukopis Baglosa.

## 585.

**1290, 3. maja. U Oronašu.**

*Elizabeta kraljica ugarska i hrvatska majka daje Dominikancima crkve Spasitelja u Virovitici svoje dohotke od tamošnjih podanika.*

Elisabeth dei gracia maior regina Hungarie uniuersis Christi fidelibus ad quos presens scriptum peruenerit salutem in omnium saluatore. Ad uniuersorum noticiam, tam presencium quam futurorum harum serie volumus peruenire, quod nos in signum retribucionis seu recompensacionis donorum nostri creatoris, quibus nos a gentilitatis errore reuocatorum et ad agnicionem ueri luminis perductam multiplici effectu gracie sue decorauit, et super cetera dona sua filium nostrum karissimum ad regni Hungarie et filias nostras ad diuersorum regnorum coronas prefecit, aliqualibus operibus pietatis uolentes occurrere et respondere eidem nostro redemptori, licet respectu sue dilectionis, qua nos dilexit sine merito et amauit, respondere nequeamus, tamen cum vidua totum mittere precium desiderantes operis et amoris, iuxta illud: quia manus nunquam vacua a munere reperitur, si archa cordis repleta est bona uoluntate, ordinauimus hanc elemosinam satis modicam [tam] pro salute domini regis karissimi filii nostri et nostra, quam Bele regis, domine [Marie] regine consortis eius matris nostre karissime, Bele ducis filii sui et domini Stephani illustris regis uiri nostri karissimi felicium [recor]dacionum pro remedio animarum, quin etiam primo et principaliter pro donis a deo nobis largitis paulo superius denotatis, ad opus sancti saluatoris, in quo fratres Predicatores, quos omni fauorabilitate prosequi intendimus, eidem omnium saluatori famulentur, uidelicet collecta uiginti denariorum, qua nobis hospites nostri de Vereuche racione terragii nostri iuxta nostram ordinacionem ex nouo factam de singulis portis tenentur, eisdem fratribus predicatoribus ad opus supradictum annuatim persoluere et dare debeant, donec ipsum opus domino concedente finaliter poterit consummari. Una uolumus, quod quicunque ipsam premissam nostram ordinacionem et elemosinam ausu temerario anihilarre(!) et irritum reuocare uoluerit, indignacionem dei omnipotentis et nostram senciat se merito incurrisse. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam eisdem fratribus Predicatoribus presentes concessimus literas duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum in villa Oronas, per manus discreti viri magistri Laurencii prepositi ecclesie sancti Petri de Posega

aule nostre cancellarii fidelis nostri, in festo inuencionis sancte crucis, anno domini MCC. nonagesimo.

*Original u c. kr. tajnom arkivu u Beču. Na ledjima. »Privilegium Elisabeth regine maioris super XX. denariis, quibus ciues Vereuche ven. ecclesie s. Saluatoris ordinis Predicatorum obligantur singulis annis«.*

*Wenzel Cod. dipl. Arp. cont. IX. 524.—525.*

## 586.

**1290, 14. maja. U Zadru.**

*Mihajlo Varikaša izjavljuje, da je primio od svog nećaka Madija 300 libri zapisanih u oporuci pokojnoga mu brata.*

In Christi nomine. Anno incarnacionis eiusdem millesimo ducentesimo nonagesimo, indiccione tercia, die quarto decimo intrante mense madii, Jadre. Temporibus equidem domini Petri Gradonici incliti ducis Venecie, et domini Andree Causoni (!) Jadrensis archielecti, ac domini Marini Superancii egregii comitis. Plenam et irreuocabilem securitatem, finem, dimissionem et quietacionem cum meis heredibus et successoribus facio ego quidem Michael de Varicassa filius condam Damiani de Varicassa ciuis Jadre tibi namque nepoti meo Madio filio fratris mei Stane de Varicassa comissario olim Guidoti de Varicassa fratris mei, ut constat per suum publicum testamentum factum manu Vicencii ecclesie sancte Marie maioris clerici et Jadrensis notarii, in anno incarnacionis domini millesimo ducentesimo octuagesimo septimo, mense marcio die vndecimo intrante, indicione prima, de libris denariorum paruorum trecentis, quas idem olim Guidotus frater meus in predicto suo testamento mihi dimisit et indicauit pro suis terris et possessionibus de Polissano, quas ipse Guidotus tibi dimisit et indicauit, ut mihi dares et persolueres pro ipsis terris et possessionibus predictas trecentas libras denariorum paruorum. Nunc autem quia mihi predictas trecentas libras denariorum dedisti et integre persoluisti, a modo igitur in antea cum tuis heredibus et successoribus a me meisque heredibus et successoribus[1] de ipsis trecentis libris denariorum et suprascriptis terris et possessionibus de Poliseno (!) securus maneas in perpetuum pariter et quietus, quia ipsas trecentas libras denariorum plene a te habui et recepi et nichil remansit ex ipsis trecentis libris denariorum aut ex predictis terris et possessio-

[1] Od »a . . . . successoribus« pisano dva puta.

nibus de Polisano, vnde per me uel meos heredes aut successores valeam te uel tuos heredes aut successores deinceps require(!) seu in aliquo molestare per ullam racionem, ingenium seu causam, que dici posset uel cogitari per hominem viuentem sub celo et super terram. Et si contra hanc securitatis cartam ire temptauero, tunc tenear cum meis heredibus et successoribus soluere et emendare pro pena auri libras quinque; et hec securitatis carta nichilominus in sua semper permaneat firmitate. Actum est hoc et firmatum coram hiis vocatis et rogatis testibus., scilicet· Damiano filio Pasque de Varicassa et Vito de Drasimero Jadrensibus et aliis.

*(Drugi rukopis.)*

Ego Creste Mathey de Georgio examinator manum missi.

Ego Henricus imperiali auctoritate notarius et Jadrensis iuratus hiis interfui et rogatus scripsi et roboraui.

*(Signum not.)*

*Original u arkivu samostana sv. Marije u Zadru.*

## 587.

**1290, 14. maja. U Veneciji.**

*Ban Pavao i braća njegova sklapaju mir sa republikom mletačkom.*

In Christi nomine amen. Die domenico, XIV. mensis madii, presentibus Jacobo Donato Leonardi Gisi sancti Eustachii, Pancracio Venerio sancti Joannis decollati, et Marco Maripetro sancti Severii, Fanto cancellario, et Rustechino Benintendi notario et scriba ducatus Veneciarum testibus vocatis et rogatis et aliis multis. Coram illustri domino Petro Gradonico dei gracia Veneciarum, Dalmacie atque Croacie duce et domino quarte partis et dimidie tocius imperii Romanie, astantibus sibi nobilibus viris Andrea de Molino, Leonardo Venerio, Marino Ruzino, Grabono Dandulo, Gabriele Delfino et Johanne Superancio sancti Angeli. consiliariis eius Nobiles viri domini Pasqua de Varicassa et Domaldus de Zadulino, cives Jadre, nuncii, procuratores, sindici et actores egregii viri domini Pauli Breberiensis bani et eius fratrum comitis Georgii et comitis Mladini ad infrascripta constituti, sicut apparet per instrumentum publicum inde scriptum et roboratum per manum Henrici imperiali auctoritate notarii et Jadrensis iurati, anno ab incarnacione Christi mille-

simo ducentesimo octogesimo nono, indiccione tercia, die sexto intrante mense martii, procuratorio, sindicario et actorio nomine pro predictis dominis Paulo bano et comitibus Georgio et Mladino fratribus solemniter inierunt, fecerunt et firmauerunt meram, puram et firmam treugiam usque ad tres annos continuos et completos, cum predicto magnifico domino Petro Gradonico dei gracia Veneciarum, Dalmacie atque Chroacie(!) duce et domino quarte partis et dimidie tocius imperii Romanie, recipienti et stipulanti pro se et communi et hominibus Veneriarum, habitatoribus, subiectis et districtualibus suis. Promittentes nomine quo dictum est supra dicto domino duci recipienti pro se, pro communi et hominibus Veneciarum, quod predicti fratres, vel aliquis eorum per se seu per homines Almisii seu per ullos eorum uel alicuius eorum homines subditos, seu per homines qui se receptarent in banatu vel comitatibus predictorum dominorum fratrum, seu in aliis eorum terris, vel sub eorum, vel alicuius eorum dominio, non offendi permittent in personis vel rebus dictum dominem ducem, commune et homines Veneciarum, nec habitatores fideles, districtuales seu subditos dicti domini ducis, nec aliquam terram seu locum habentem rectorem pro dicto domine duce sed eos et omnes et singulos in personis et rebus tam in mari quam in terris eorum, et in toto eorum dominio, et cuiuslibet eorum habebunt salvos et securos. Item occasione ipsa promiserunt supradicti domini fratres, quod si ipsi vel aliquis eorum per se vel alios attemptassent aliquid contra honorem domini ducis Veneciarum de terra Farre et Braze vel de aliqua alia terra vel loco habente rectorem a domino duce, removebunt se omni modo attemptare de cetero contra honorem eius, nec attemptabunt amplius de terris et locis predictis. Item quod predicti domini fratres vel aliquis eorum per se vel per homines Almisii seu per ullos eorum vel alicuius eorum homines subditos seu per homines, qui se receptarent in banatu vel comitatibus predictorum dominorum seu in aliis eorum terris seu sub eorum dominio vel per alios non accostabunt se cum eorum ligno vel lignis alicui vel aliquibus ligno vel lignis Venetorum seu habitatorum Veneciis fidelium vel subditorum et districtualium dicti domini ducis, nisi cum pupi antea, nec inferrent nec facient eis nec alicui eorum nec alii vel aliis qui foret vel forent in dicto ligno vel lignis iniuriam, molestiam, dampnum, offensionem vel gravamen in personis vel rebus existentibus in dicto ligno vel lignis. Et eciam predictos Venetos habitatores Veneciis fideles subditos et districtuales dicti domini ducis existentes in ligno vel lignis forinsecorum cum personis et rebus non offendent, nec eis inferent nec facient iniuriam, molestiam, dampnum, offensionem vel gravamen in personis vel rebus eorum, sed eos omnes et singulos cum

omnibus bonis et rebus eorum tam in suis quam in forinsecorum ligno vel lignis habebunt salvos et securos. Nec venient ab Ancona ultra versus Venecias, nec a Nia ultra versus Venecias. Preterea dicti nuncii, procuratores, sindici, actores procuratorio nomine predictorum dominorum Pauli bani et comitum Georgii et Mladini solempniter promiserunt dicto domino duci, recipientes pro se et communi et hominibus Veneciarum, quod ipsi usque ad duos menses dabunt et procurabunt bonas et ydoneas securitates nuncio seu sindico dicti domini ducis et communis Veneciarum de libris viginti milibus denariorum venetorum videlicet commune Tragurii, Sibinici et Spalati, et de singularibus hominibus Jadre, qui et que solempniter et principaliter promittent et se obligabunt in dicta quantitate pecunie pro predictis omnibus attendendis, observandis et adimplendis. Item dicti procuratores, sindici seu actores et nuncii, sicut superius promiserunt et fecerunt, sic ad sancta dei evangelia corporaliter tacto libro iuraverunt in animabus predictorum dominorum bani Pauli et comitum Georgii et Mladini, quod ipsi domini et quilibet eorum attendent, observabunt, adimplebunt et facient, et attendi, observari, adimpleri et fieri facient omnia et singula suprascripta, et quod ea omnia et singula ratificabunt, approbabunt, promittent et ad sancta dei evangelia iurabunt attendere, observare, adimplere et facere, et attendi, observari, adimpleri et fieri facient, et contra non venient aliqua ratione, ingenio sive causa, et de hiis fieri facient publicum instrumentum sigillis eorum signatum, quod dabunt nuncio seu sindico dicti domini ducis sub pena dicte plezarie viginti millium librarum dande. Versa vice predictus dominus dux per se, commune et homines Veneciarum, habitatores, subiectos et districtuales suos inivit, fecit et firmavit meram, puram et firmam treuguam usque ad tres annos continuos et completos cum supradictis nunciis, procuratoribus, sindicis et actoribus predictorum dominorum bani Pauli et comitum Georgii et Mladini, recipientibus pro eisdem, promittentes, quod ipse dominus dux per se seu per commune et homines Veneciarum, habitatores, fideles et districtuales seu subditos suos, non offendet nec offendi faciet nec offendi permittet in personis vel rebus predictos dominos banum Paulum et comites Georgium et Mladinum nec homines Almisii, seu ullos eorum vel alicuius eorum homines, subditos vel homines, qui se receptarent in banatu vel comitatibus eorumdem seu in aliis eorum terris vel eorum seu alicuius eorum dominio, sed eos omnes et singulos in personis et rebus tam in mari quam in terris suis et sui dominii habebit salvos et securos. Ceterum si dictus dominus comes Georgius veniret Venecias occasione eundi ad curiam domini pape vel alia occasione, dictus dominus dux per se et predictos suos habebit et haberi faciet eum cum sua comitiva in per-

sonis et rebus salvum et securum Venecias veniendo, stando, eundo et redeundo. Et in horum fidem et evidenciam pleniorem dictus dominus dux presens publicum instrumentum sua bulla plumbea communiri mandavit. Actum est hoc in felici urbe Veneciarum, in ducali palacio anno nativitatis domini nostri Jesu Christi currente millesimo ducentesimo nonagesimo, indictione tercia. Ego Ziliolus de Xanino imperiali auctoritate notarius publicus et ducatus Veneciarum scriba predictis omnibus interfui, et rogatus a partibus supradictis predicta scribere, scripsi et publicavi.

*Original u mletačkom državnom arkivu.*

*Glasnik srpskoga družtva XV. 207. ima samo prvu polovicu, po njemu Wenzel Cod. dipl. Arpad. cont. IX. 500.—501. Potpuno Ljubić Listine I. 147.—149. — Kukuljević Reg. no. 1458.*

## 588.

**1290. 15. maja. U Dubrovniku.**

*Nadbiskup dubrovački daje oprost bratovštini sv. Mihajla u Gružu.*

Universis in Christo fidelibus has litteras inspecturis frater Bonaventura de ordine Minorum miseratione divina archiepiscopus Ragusinus salutem in domino sempiternam. Noverit universitas vestra, quod in nostra presentia constituti presbyter Leonardus capellanus fratie(!) edite ad honorem gloriorissimi archangeli sancti Michaelis de arboribus de Gravosio et fratres fratrie huiusmodi, videlicet Obrad, Bratomir Brajat, Radovan Bratomilich, Radovan Baba et Stanisa eius filius, Stanoe Deligost, Vidoie, Pascha Marini et Dragasa eius frater, Braticus Jupicus et Milgost eius frater, Radinus et Nicola eius frater, Radine gener Derigne et Petrichma cognatus eius, Ralicus et Stancus eius filius, Matheus Pinech, Radesa et Rosinus filius eius, Radomil Cedighit, Radomil frater Miloradi . . . . . et Vila eius frater, Stagnus et Stana uxor eius, Milos et Dobrichina invadentes se ad invicem in domino consolari, nobis humiliter suplicarunt, ut indulgentiam benefactoribus fratie huiusmodi concedere dignaremur. Nos itaque eorum precibus annuentes ut . . . . . pax fieri debeat inter ipsos, hoc etiam de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius hac(!) beatissimi sancti Michaelis de arboribus auctoritate confisi omnibus vere penitentibus ac confessis, qui huic fratie manus porrexerint caritatis, quadraginta dies de iniuncta sibi penitentia in domino relaxamus. In cuius rei testimonium

presentibus litteris nostrum sigillum duximus apponendum. Data anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo, indictione V.(?), die XV. intrante madio.

*Mattei Memorie storiche su Ragusa. Rukopis u knjižnici Male braće dubrovačke no. 416 (267). Tom III. 79.*

## 589.

**1290, 15. maja. U Dubrovniku.**

*Ustanova bratstva u Gružu.*

Anno domini 1290., indictione V.(?), die 15. intrante madio. Insuper omnes et singuli suprascripti fratres specialiter et voluntarie obligaverunt se invicem tantummodo et hodie, quod si contingeret, quod aliquis fratrum huiusmodi fratie esset infirmus extra civitatem Ragusii et fuerit a puncta Stagni infra usque ad Exilimtum (!), et a Malunto usque ad punctam Stagni infra, et gastaldus qui pro tempora fuerit dictę fratie precep[er]it uni vel pluribus dictorum fratrum, quod vadant pro ipso infirmo et aducatur Ragusium, sique noluerit obedire eidem, sine remissione solvat quilibet grossos VI. Item si quis fratrum iaceret infirmus et gastaldus preceperit alicui fratrum, quod vadat ad domum infirmi ad custodiendum ipsum, et ipse noluerit, solvat, pro qualibet vice grossum I. Item si quis fratrum obiret et gastaldus preceperit alicui fratrum, quod vadat ad traponendum eum, et vir facere noluerit, solvat grossum I. Item si quis fratrum dixerit iniuriam unus alteri, non vadat ad curiam comitis sub pena unius yperperi, nisi esset iniuria sanguinis vel magni excessus, set(!) gastaldus puniat eos secundum quod si videbitur expedire. Item volunt et statuunt domini fratres, quod quociescunque presbyter Leonardus vel alius capellanus suus iverit Gravosium pro servicio fratie, habeat expensas necessarias et grossum I et dimidium. Si quis autem hanc fratiam infringere presumpserit, incurrat indignationem omnipotentis dei et beate virginis Marie ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius et beati Michaelis de Gravosio etc.

*Mattei Memorie storiche su Ragusa. Rukopis u knjižnici Male braće dubrovačke no. 416 (267). Tom III. 81.*

## 590.

**1290, 24. maja. U Spljetu.**

*Ovršitelji oporuke Stane, kćeri Mihajlove, prodaju zastupnicima kaptola zemljište u Feruli.*

In nomine domini amen. Anno eiusdem MCC°LXXXX., indictione tertia, die XXIIII. mensis madii, regnante domino nostro Ladislauo serenissimo rege Vngarie. Temporibus venerabilis domini Johannis archiepiscopi Spalatensis, illustris uiri domini Maladeni de Birberio comitis Spalatensis, egregii viri domini Stephani domini Vgerii de Ancona potestatis ciuitatis Spaleti, nobilium uirorum dominorum Johannis Dabragelli, Leonardi Crisochono et[1] Miche[1] Hresuche[1] iudicum. Dompnus Dominicus, Perusclauus Dabragelli et Stephanus Duimi Çege de Traguno fideicommissarii domine Stane filie quondam Michaelis, per auctoritatem et licentiam eis datam per dictam dominam, sicut in testamento patet scriptu(!) per dompnum Lucam notarium, uendiderunt, tradiderunt iure proprio et in perpetuum dompno Sergio et dompno Rugerio procuratoribus capituli sancti Dompnii ementibus nomine dicti capituli terram unam, que fuit quondam Stane, positam in Ferule prope terram Johannis Rambaldi et prope terram Sabe Chuçi uel alia latera si qua sunt ueriora; ad habendum, tenendum, uendendum, donandum et quicquid dictis procuratoribus nomine dicti capituli placuerit deinceps perpetuo faciendum, cum omnibus pertinentiis et circumstantiis suis; bannitam per riuarium comunis publice in platea pro pretio sexaginta librarum uenetorum paruorum, quod pretium totum dicti commissarii fuerunt confessi et contepti(!) se habuisse et recepisse sine diminutione aliqua a dictis procuratoribus; renuntiantes exceptioni dicte quantitatis non numerate et non consignate et omni legum auxilio et decretorum. Et in signum pure uenditionis hab(!) eis habuisse tres barchos de terra eorum in Bade pro cambio secundum consuetudinem ciuitatis; promittentes dicti commissarii nomine ipsi(!) Stane dictis procuratoribus nomine dicti capituli litem uel controuersiam eis ullo tempore non inferre nec inferrenti consentire, set(!) eam defendere et excalumpniare sub obligatione bonorum Stane. Actum infra ambas portas presentibus Junio Dusiçe et Junio Drage testibus et aliis.

*(Drugi rukopis).*

---

[1] Umetnuto znakom navodnim na koncu listine.

Ego Micha Madii Miche examinans scripsi.

Et ego Thomas Vitalis de Perusio auctoritate inperiali(!) notarius et nunc auctoritate ciuitatis Spaleti iuratus notarius omnibus interfui et rogatus scribe[re] scripsi, meo signo consueto signaui.

*(Signum not.).*

*Original u arkivu kaptola u Spljetu a. 1290. (XVI. 1. 46.)*

## 591.

**1290, 28. juna. U Požegi.**

*Pred kaptolom požeškim knez Gilet daje svoj posjed Završje u ime krvarine.*

Capitulum ecclesie beati Petri de Posoga omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris salutem in domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod comes Gyleth ad nostram personaliter accedendo presenciam confessus est oraculo viue vocis, quod ipse quandam possessionem suam Zauarsya vocatam intra metas possessionis Ezech nuncupate existentem metis et terminis infrascriptis circumdatam cum terris arabilibus, vineis, fenetis et siluis ac aliis vtilitatibus suis vniuersis Ipolito officiali suo pro morte seu homicidio Peronii fratris predicti Ipoliti per ipsum comitem Gyletum, ut asseruit, casualiter interempti, et insuper pro meritoriis fidelibus seruiciis eorundem Peronii videlicet et Ipoliti dedisset, donasset et contulisset, ymo dedit, donauit et contulit serie presencium coram nobis heredum per heredes perpetuo et irreuocabiliter possidendam tenendam et habendam ex consensu, bona uoluntate et permissione filiorum suorum similiter personaliter astancium coram nobis; et si aliquis eundem Ipolitum et heredes suos nomine prescripte possessionis Zauarsya vocate vel pertinenciarum suarum processu temporum ordine iudiciario impediret vel impedire attemptaret, iidem Gyleth et filii sui ac heredes ipsorum tenebuntur expedire et defendere ac in eadem possessione Zauarsya pacifice et indempniter conseruare propriis laboribus et expensis, qui si expedire et defensare non possent vel non curarent, extunc aliam possessionem eorum similem huic qualitate, quantitate et valore in eodem comitatu de Posoga habitam, quam idem Ipolitus et sui heredes voluerint, ipsi Ipolito et suis heredibus dare et assignare tenebuntur similiter in heredum heredes possidendam sine dilacione et occasione aliquali Cuius scilicet possessionis Zauarsya

vocate, [sic]vt idem comes Gyleth asseruit, mete hoc ordine distinguntur: Prima meta incipit iuxta aquam Oryaua dictam vbi est arbor zyl, inde vertitur ad orientem et per fluuium dicti Oryaue vadit et peruenit ubi quidam riuulus Ezech patak dictus cadit in Oryauam, inde vergitur ad meridionalem et per eundem riuulum Ezech patak dictum vadit et peruenit prope quandam villam Gurbunyk vocatam, vbi est meta terrea, inde vertitur versus occidentem et per eundem riuulum vadit et peruenit ad quandam viam, qua via vadit vltra riuulum, inde vadit per eundem riuulum et peruenit prope quedam fenilia, inde vadit iuxta predicta fenilia per eundem riuulum et peruenit ad quandam viam vbi est meta terrea, inde vertitur ad aquilonem et per eandem viam iuxta predicta fenilia vadit et peruenit ad quandam viam et vadit vltra viam et per eandem viam ascendit ad quendam montem Belnikelnik vocatum, inde vertitur ad orientem et per berch iuxta nemus vadit et peruenit ad quendam montem vbi est meta terrea, inde vertitur ad aquilonem et per nemus descendit ad alium montem vbi est meta terrea, inde per nemus descendit ad quandam magnam viam vbi est meta terrea, inde vadit vltra magnam viam et per quandam semitam vadit et peruenit ad priorem metam et ibi terminantur. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes concessimus litteras nostri sigilli pendentis munimine roboratas. Datum in vigilia beatorum Petri et Pauli apostolorum, anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo.

*Iz originalnog prijepisa dvorskog suca Ivana Paztoha od god. 1396. 13. aprila u kr. ugar državnom arkivu u Budimpešti: M. O. D. L. no. 33.515. Stara sign. N. R. A. fasc. 1513. no. 19.*

*Kukuljević Reg. no. 1459.*

## 592.

### 1290. u prvoj poli godine.

*Elizabeta kraljica ugarska i hrvatska daruje Lovri Lovrinu upravu posjeda sv. Martina na vječna vremena.*

Elizabeth dei gracia, maior regina Hungarie . . . . . quod cum magister Laurencius, filius comitis Laurencii de genere Aba, cognatus noster karissimus, a primevis sue pueritie temporibus, gratos nobis et fideles inpenderit famulatus, se et sua pro honore regie corone variis periculorum generibus et multis fortuitis casibus exponere non verendo.

Cuius quidem magistri Laurentii dux Austrie, quia eius consorcio noluit adherere propter inpendendam fidelitatem corone regali, tria castra occupavit et innumerabilia bona abstulit, que nullus hominum iusto modo posset computare et quia etiam cum in nostris legationibus iverat in electis equis, dampnum contra valorem ducentarum marcarum est perpessus, et quem ad nos mediante fide nostra duxeramus tum ratione proximitatis, tum in recompensationem serviciorum, tum etiam in aliqualem satisfactionem dampnorum eius in rebus illatorum, luet eidem minimum quid respectu dampnorum suorum videatur, vyznicatum sancti Martini in comitatu de Wereuche existentem ex certa scientia et voluntate domini Ladislai regis, filii nostri karissimi et consensu baronum suorum ac nostrorum cum omnibus utilitatibus suis vineis scilicet, silvis, pratis circumstantiis et continenciis universis a tempore domine M. regine matris nostre predilecte felicis recordacionis per diversos dominos habitam et possessam et ab eis culpis suis amissam et ad nostras manus sepius dovolutam ipsi magistro Laurentio et per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus sub eisdem metis et terminis, quibus antea extitit limitata et possessa dedimus, donavimus et contulimus iure perpetuo pacifice et irrevocabiliter possidendum cassantes, irritantes, retractantes et irrita pronunciantes instrumenta seu privilegia que per nos seu per quempiam super facto ipsius vyznicatus cuicumque essent super facto ipsius vyznicatus emanata . . . . . Datum per manus discreti viri magistri Laurentii prepositi de Posoga, aule nostre cancellarii . anno domini MCC nonagesimo.

*Iz bivše zbirke N. R. A. fasc. 1504. no. 12 u arkivu zem. u Zagrebu.*

*Iz prijepisa Karla Roberta koga učini g. 1318. na molbu Nikole, Jakoba, Ivana i Petra, sinova magistri Laurencii dicti de Suprunio de genere Aba. — Po prijepisu Ivana Tkalčića.*

*Kukuljević Reg. no. 1462.*

# DODATAK.

## 593.

**1274.**

*Ladislav kralj ugarski i hrvatski potvrdjuje listinu kralja Stjepana (od g. 1271) u prilog Demetrija, sina Demetrijeva.*

Ladizlaus dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod comes Demetrius filius Demetrii fidelis noster ad nostram accedens presenciam exhibuit nobis privilegium domini Stephani karissimi patris nostri quondam illustris regis Hungarie felicis recordacionis, confectum super relaxacione collecte septem denariorum, petens cum instancia, ut ipsum priuilegium ratum habere et nostro dignaremur priuilegio confirmare. Cuius quidem priuilegii tenor talis est: (*Slijedi listina kralja Stjepana od g. 1271.*) Nos igitur ipsum priuilegium patris nostri non uiciatum, non abrasum, non cancellatum, nec in aliqua sui parte diminutum, ratum habentes et acceptum auctoritate presencium duximus confirmandum. Vt igitur eadem gracia a nobis facta [in] perpetuum perseueret [nec pro]cessu temporum per quempiam ualeat uel possit retractari, presentes concessimus litteras dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis domini magistri Benedicti [Strigoniensis] ecclesie electi eiusdemque loci comitis perpetui, prepositi [Budensis] et aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno domini MCCLXX°. quarto, regni autem nostri anno tercio; [venerabilibus] patribus Stephano Colocensi et Johanne Spalatensi archiepiscopis, [Lamperto] Agriensi, Briccio Chanadiensi, Job Quinqueecclesiensi, Paulo Wesprimiensi aule nostre cancellario, Philippo Wachiensi aule domine regine karissime consortis nostre cancellario, Lodomerio Waradiensi, Tymotheo [Zagra-

biensi], Dyonisio Jauriensi et Petro Transiluano episcopis ccclesias dei feliciter gubernantibus; Dyonisio palatino comite de Oclych et iudice [Cum]anorum, Herrico bano tocius Sclauonie, Matheo woyawoda Transiluano et comite de Zonuk, Erney bano iudice curie nostre, Vgrino bano de Zeurino, Egidio magistro tauarnicorum, Moys magistro tauarnicorum domine regine karissime [consortis nostre] comite Symigiensi, Herbordo magistro dapiferorum comite de Barana, Petro magistro agasonum comite Zulgageuriensi, . . . . . . . . . magistro pincernarum nostrorum comite Musuniensi et [aliis quam pluribus comitatus] regni nostri tenentibus et honores.

*Iz novoga diplom. zbornika Fr. Széchényia in fol. vol. I. 390—399. u ugar. narodnom muzeju u Budimpešti. Prepisivač imao pred sobom original, za koji veli, da je oštećen, a pečat da visi.*

*Fejer Cod. dipl. V. 1, 150.*

# SUMMARIUM.



*

*

## Additamentum.

# INDEX ALPHABETICUS.*

## A.



* Složio Ivan Barišić.

## B.

## C, Ć, Č, K.

*

## D.

## E.



**Ecclesiae.**

*

## F.

## G.

## H.

## I, J, Y.



*

## L.

## M.

**Monasteria.**

## N.

*

# O.

## P.

## Q.



## R.

## S, Š.

Spalatum (Spaletum croat. Spljet) 1272, 1, 2, 8, 9, 17; 1273, 30, 43, 47, 48;

## T.

## U.

## V, W.

## X.



## Z, Ž.